CHRONICORVM
TVRCICORVM,
IN QVIBVS DIVERSORVM REGNORVM, VRBIVM, INSVLARVM, VASTATIONES, ET OCCVPATIONES, A' DIVERSIS AVTORIBVS EXPONVNTVR: QVAE ANtehac quidem excuſa fuerant: ſed nunc à mendis repurgata, & concinnis Figuris illuſtrata, caſtigatiùs expreſſa ſunt:

TOMVS SECVNDVS.

Catalogum Autorum poſt Præfationem inuenies.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

FRANCOFVRTI AD MOENVM, EX OFFICINA Georgij Coruini, impenſis Sigiſmundi Feyrabendij,

M. D. LXXVIII.

VIRTVTVM SPLENDORE, MAIORVMQVE IMAGINIBVS NOBILI VIRO, GEORGIO LEONI A' STEINFVRT, DOMINO SVO OFFICIOSE COLENDO.





VOTIES Regnorum, quæ olim Ecclesię præbuerunt hospitium, vastationem, hominumq; in ijs miserandam seruitutem & lanienam intuentur, quicunque humanis calamitatibus condolent, vt verè inter ἐυαλάκρυας ἀλφας sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt, profectò nō possunt non cohorrescere, dum animaduertunt tantam esse Diaboli malitiam potentiamq;, vt ex ipsius furore mundus, qui Paradisus esse debebat DOMINI, gratumq; sacrosanctæ Ecclesiæ hospitium, sit domicilium impietatis, diabolicæq; istius tyrannidis, quæ Ecclesiam persequitur, honestas Leges euertit, humanam societatem dissipat. In tot enim tantisque Europæ, Asiæ, Africæq; Regnis, in quibus olim Ecclesiæ status fuit florētissimus, quantula quęso pars reliqua est, quę Ecclesię CHRISTI hospitium præbeat? Nónne plęraq; omnia vel iam per Turcicam tyrannidem occupata & deuastata sunt, vel ægrè intra angustos conclusa limites, aduersus eam se tuentur? A' pręcipuis orbis terrarum Regnis Christianæ Religionis sinceritas exulat. Quàm latè sese Turcicæ

 poten-

potētiæ rabies extēdit, tam latè etiā Mahumetana blasphemia virus suum euomit, quin etiā Regna plurima, quæ Turcico Imperatori minimè parent, vt amplissima Persarum, Arabum & Tartarorum Regna, abnegato vel reiecto CHRISTO, seductorem Mahumetem sequuntur. Et licet Christiani milites Tyranno isti, Turcicæ blasphemiæ propugnatori sese opponant, attamē nihil ferè aliud tot expeditionibus efficere videntur, quàm Hydræ caput amputare. Nam quemadmodum vno capite Hydræ resecto, tria alia enascebantur, sic quoties illi vnicum vel castellum vel oppidum è Turcarum manibus eripiūt, vel vnum è Turcarum Ducibus prosternunt, alij complures multoq; immaniores prodeunt, qui vnius oppidi vel castelli loco erepti, amplissima Regna, vastissimas Insulas, vrbesq; complures munitissimas occupant, & è Turcarū manibus extorquent. Cuius mali causam, quia perpauci animaduertunt, haud sanè, causa minus cognita, malum illud vnquā auerti poterit. Nec iam de ijs causis verba facio, quas haud immeritò magni faciunt periti Duces, qui victoriam animis certam concipiunt, si præsto esse videant promptum & obedientem militem, Ducis ipsius industriam, armorum idoneorum copiam, ad necessarios vsus pecuniarum, commeatusq; sufficientiam. Verùm eas iam consideremus causas, quas Spiritus sanctus nobis ob oculos ponit, passim in sacris historijs, quæ sunt syncerus DEI cultus, ardens diuini numinis inuocatio, certa in DEUM fiducia, vitæ morumque iuxta mandata DEI emendatio. Per hæc arma Moyses de Pharaone, Amalecitis, alijsque Regibus plurimis triumphat. Per hæc arma Gideon, Iephthe, Simson, Dauid, Ezechias, Macchabæi, immanissimorum hostiū arma retundunt. Cōtrà, his armis neglectis, Israëlitæ vel millies victi, & in durissimā tandē seruitutem rapti & diuenditi fuēre. Quæ arma cum perinde segniter admodum Christiani milites capessant, haud sanè difficile est, causam tantorum malorum, quibus Orbis terrarum per Turcicam vastationem inuolutus est, inde agnoscere. Reuelauit humano generi verbi sui gratiam verus ille & vnicus mundi Seruator CHRISTUS, eamq; per Apostolos, & pios Doctores, per vniuersum Orbem terrarum annunciauit, sed mundus plus amauit tenebras & mendacia quàm lucem veritatis, ad CHRISTUM eiusq; Apostolos opprimendos, velut ad publicum restinguendum incendium, omnes suas vires conuertit. Reges & Principes terrarū, qui portas attollere debebant, vt introiret Rex gloriæ, in vnum cōuenerunt, vt Principem gloriæ è medio tollerent. Qui CHRISTI verbum prædicare ausi sunt, fuēre oues ad lanienam destinatæ, nec vlla pietatis ratio alibi habita est. Quin etiam vbi saluifica Euangelij doctrina prædicari cœpit, impijs ibi erroribus doctrina veritatis protinus obfuscata & contaminata fuit, nec fructus in ingrato mūdo vllos tulit saluifici verbi prædicatio. Hac itaque sua impietate CHRISTUM diuiniq; numinis fauorē à se alienarūt homines, & quia CHRISTUM hospitio suscipere dedignati fuerūt,
menda-

mendaciorũ patrẽ vt susciperent necesse fuit. Sic florentissima Asiæ, Græciæque Regna, vbi olim CHRISTVS prædicatus fuit amplissimè, per suam impietatem CHRISTVM à se eiecêre, & impietati Turcicæ, suo merito, subiecta sunt. [redacted] quàm seriò pietatem & veritatis doctrinam amplecti. Turcica itaque rabies DEI flagellum est, quo impietas gentium punitur, quantoque maior diuinæ veritatis neglectus fuerit, inter eos, qui se Christianos profitentur, tantò felicioribus vsque successibus Turcica potentia gaudebit, nec vllis armorum viribus retundi poterit. Ita rem se habere frequentissimæ Christianorum ostendunt clades, per quas superiores facti Turcæ, clarissima Imperia, Regna, Insulas, Regiones, Ciuitates, occuparunt, & in ijs Mahometanã blasphemiam plantarunt. Quod sanè accurato studio omnes eos, qui à Christiana pietate haud sunt alieni, considerare deceba, vt tantarum cladium agnita causa, vera aduersus tyrannidem illam Mahometistarum arma arriperent, vitæ nimirum emendationem, verum diuini numinis cultum, ardentem inuocationem, & in moribus DEO placentem sanctimoniam. Hæc arma si capesserent Christiani Principes & milites, haud ipsis difficilius esset hostes, quamuis immanissimos, prosternere, funditusque delere, quàm Moysi Amalecitas in Raphidim, dum sublatis cœlum versus manibus diuinum implorat auxilium: vel Mosis successori Iosuæ, cum vnum & triginta Reges, transito Iordane, debellat, omnesq; eorum copias delet, vel Gideoni, cum Midianitarum multa millia, trecentis assumptis viris, in fugam versa, ingenti clade afficit. Hæc, vt sedulò perpendamus, & inde ad vera arma arripienda nos exhortemur, necesse est, vt historia ipsa de Turcicæ tyrannidis initijs & progressu, in promptu nobis sit, & iram DEI aduersus contemptum verbi diuini agnoscere discamus, eamque à nobis auertere vel lenire per inuocationis assiduitatem studeamus.

Cùm itaque in concinnanda historia Turcica, quam motus petitione Sigismundi Feyrabendij, Bibliopolæ clarissimi, in Latinum idioma transtuli, cum mihi finem proposuerim, vt pio Lectori incitamentum præberem, ad agnoscendam iram DEI, aduersus peccata mortalium, & ad supradicta vera arma aduersus Turcicũ furorem capessenda: absoluto isto labore annotaui diuersorum Autorum memorabiles aliquot historias, vt: *P. Callimachi Experientis, de clade Varnensi: Leonhardi Chiensis, Mitylenæi Episcopi, de capta Constantinopoli: De Nigroponti captione: Sabellici, de pugna inter Turcas & Venetos ad Sontium amnem: De bello Rhodio, Iacobi Fontani: Melchioris Sotteri à Vinda, de bello Pannonico: Iohannis Crispi, de Naxo insula à Turcis occupata: Iohannis Martini Stellæ, de Turcarum in Regno Hungariæ successibus.* Quas historias, cum Sigismundus ille Feyrabendius in peculiarem Tomum


distributas, superiori libro, quo Chronologia Turcica continetur, attexere constituisset, tuæ nobili Præstantiæ, nobilissime Georgi, eas in peculiarem fasciculum congestas, offerre & dedicare visum est. Tum quòd olim Nobilis animi tui candorem perspexerim, cum Marpurgi sub parente meo charissimo Iohanne Lonicero, sacræ quondā Theologiæ Linguarumq; professore publico, humanitatis studia in Musarum castris militans colebas, tum quòd posthac etiam plurimis indicijs singularem Nobilis tuæ præstantiæ humanitatem & beneuolentiam expertus sim, ab eo tempore, quo relictis Francofurtēsium Musis, ex diuina prouidentia [illegible] ab illustris Teutonici ordinis proceribus Francofordiæ cōmorantibus, Morlinum Kōnigsteinensis ditionis oppidum euocatus, te vicinum habeo exoptatissimum. Vt ergo grati animi testimonium adeoq; pignus aliquod meę obseruantiæ apud Nobilem tuam Prętantiam relinquerem, hasce de bellis, prælijs, oppugnationibus, vrbium direptionibus, Insulis occupatis, & Turcarum in Regno Hungariæ successibus historias, ex piæ beneuolentiæ gratiq; animi candore tibi offero, enixeq; rogo, ne hoc meum factum ita interpreteris, quasi ex aliqua arrogantia proueniat, sed potiùs, quòd ex pio grati animi candore proficiscatur. Quanquam, cum exploratum habeam, ab humanioribus studijs minimè alienam esse, Nobilem tuam Prętantiam, nihil opus esse puto, solicita circa hanc rem petitione, sed firmiter potiùs statuo, grata tibi esse ea munera, quæ ab ijs, qui Humanitati etiam sunt addicti, offeruntur. Fateor quidem, parum iucunditatis afferre huiuscemodi historias, quæ tristissimam florentissimorum Regnorum & Imperiorum ruinam cōtinent: neminem tamen inficias iturum credo, quòd pius animus dum vastationes illas Imperiorum euoluit, inde simul quæ sit hostium Ecclesiæ immanitas, non sine maximo fructu addiscat, & sanctis illis, quæ Spiritus sanctus commendat, armis, aduersus illos vti assuescat. Qui sanè fructus, si ex historijs hisce percipiatur, haud parum iucunditatis pijs mentibus afferet. Adhæc, cum historię istæ doceant, quòd multa Christianorum millia durissimam seruitutem sub Turcis seruiant, qui ardentissimis precibus & votis ad DEVM suspirent, nostrorumq; Principum subsidia expectent, piæ mentes ex hisce historijs mouentur, vt captiuis istis cōdoleant, & suas etiam pro eorum liberatione ad DEVM preces fundant. Quo sanè officio quid queat esse sanctius, quid honestius, quid vtilius? Quin etiam heroicæ mentes inde excitantur, vt omnes suas vires, assumpta simul sancta illa panoplia, quæ Christianum militem potissimùm ornat, fide, spe, charitate, inuocatione, &, quæ reliquas virtutes omnes sub se continet, pietate, ad retundendam illam Turcarum tyrannidem dirigant, & de Ecclesiæ commodis, CHRISTIQVE honore propagando, vnicè sint soliciti. Quocirca, vt Christianum militem & heroa decet, hisce historijs fruere, meque pro Nobilis animi tui candore, inter eos recense,

cense, qui Nobilis tuæ Præstantiæ sunt quàm studiosissimi. Morlini, Calendis Martij, Anno reparatæ salutis, M. D. LXXVIII.

Nobilis tuæ Præstantiæ

studiosissimus,

Philippus Bearkoome.




CATALOGVS AVTORVM, QVORVM OPVSCVLA IN HOC VOLVMEN REFERENDA DUXIMUS.

F I N I S.





P. CALLIMACHI EXPERIENTIS DE VLADISLAO REGE SIVE CLADE VARNENSI, LIB. I.



SIGISMVNDVS *rex Hungariæ, qui vltrò ad imperium accitus, Boëmos quoque sibi postea subiecerat, tanta moderatione annos supra quinquaginta regnauit, vt cùm sine virili prole tandem mortem obijsset, Hungari nemini subesse maluerint quàm Duci Austriæ Alberto, cui iampridem Sigismundus vnicam filiam suā matrimonio iunxerat. videbatur leniri posse desiderium mitis & sancti regis, si eius filiam apud se regnare intuerentur. quæ persuasio subinde etiam penè profuit illius nepoti nondum nato. Nam cùm Albertus quoque haud multò post delatum ad se regnum grauida vxore vita excessisset, optimates Hungariæ frequentes vnà cum oratoribus Despoti Rasciæ ac Ciliæ Comite ad reginam Budæ agitantem conuenêre: cœptúmque est agi de regni statu constituendo. & primò quidem nō exaudiebantur præter voces, felicem faustúmque partum reginæ ominātium, asserentiumq́, minimè prius de nouo rege referendum, quàm illa peperisset. deberi id recentibus Sigismundi meritis, qui paterna in omnes caritate omnes tenuisset: non tentandam temerè fortunam externis regibus experiendis, cum domi iam forsan affuturus, qui aui sui eos æquabilitate gubernaret. Valuissétque publicus fauor, & gratissima omnibus Sigismundi memoria, si Ioannes Hunniadianus ante omnes prioris suǽq́ ætatis magnos viros rerum militarium ciuiliúmque artium peritia memorabilis, vrgentium periculorum nō admonuisset, propter Sunderouium oppidum cum vniuersa penè Rasciaiam tum à Turcis occupatū, sublatúmque veluti murum: quo illis obiecto, Hungaria satis tuta videbatur. Ea vox quasi frenum à mortui gratificatione curam omnium in præsentes necessitates conuertit: cœperéque ipsorum animis obuersari regni orbitas, & Turcorum maiores indies vires, iterq́, ad se planè illis patefactum. Præterea in partu reginæ, & vt votis omnium correspondisset, dum puer coalesceret, parum momenti fore constabat ad regni curam & tutelam, cum interim virorum animi muliebre regimen aspernarentur, propter imbecillitatem plerunq́ illi insitam sexui, & si curatores posthumo aßignarentur, intelligebāt regium fastū regiasq́ cupiditates in paulo ante paribus conditione vel perferre, vel explere, durissimum fore. Sed & regina nō mediocriter animo sollicita, haud satis constituebat secum quidnam maximè in deliberatione tam ancipiti esset expetendum, cū aut filio, si nasceretur, regnum abrogandum, aut Turcis prodendum appareret: sed neq́ exploratū habebat marem nasciturum, vel tam beneuola in se & suos Hungarorum studia, si difficultas aliqua ingruisset, ad extremum permansura.*

Sigismundus Hungariæ & Boëmiæ Rex Alberto Austriaco filiam vnicam matrimonio iungit.

Iohannis Hūniadis consilium.

Ladislaus rex Poloniȩ, Hungariæ regno præficiendus.

Diuersis igitur diuersa probantibus, nihil æquè ab omnibus laudabatur, quàm si Vladislaus rex Poloniæ paulo antè puberem ætatem ingressus, cuiusque indoles ac virtus velut humanum modum supergressa, iam tum magno famæ consensu celebris erat, viduam reginam vxorem duceret, vtriusque gentis rerum summæ præfuturus, id vnicum columen aduersus domi forisque imminentes turbas, si ea affinitate Polonorum robur inuictum rei Hungaricæ iungeretur. Sed nihil æquè Vladislai assensum remoraturum apparebat, quàm nascendorum sibi liberorum incerta successio, propter ventrem quem Regina ferebat: atque ideo non aduersante illa, in id consensum, quòd si puer nasceretur, Austriæ ac Boëmiæ: liberi autem noui regis si qui procrearentur, in Hungaria regnarent: eáque conditione regnum & coniugium perferri ad Vladislaum placuit: ita tamen, vt prius de liberorum successione diceretur, quàm ex diuerso eius rei mentio nata foret. Designati ad id munus omniũ cõsensu, Episcopus Strigoniensis, Mathico Thalutius, Emericus Marcellus, Ioannes Perenus, Vladislaus Palocius. Quibus Cracouiam venientibus, Vladislaus ad mille passus obuiam misit fratrem suum Cazimirum: à quo mutua gratulatione suscepti, atq; in ciuitatẽ inducti sunt. Postridie verò in curiam acciti, ita ad regem verba fecisse traduntur: Si vicinitas, & rerum variæ occasiones ac tem-

Legatorũ Vngaricorum ad Regem Poloniæ Oratio.



pora, non coniunxisset regnum nostrum cum tuo multis fœderib. officijsque mutuis, virtus tamẽ & felicitas tua, rex inclyte, nobis dignißima visa foret, quæ dubijs rebus nostris imploraretur. Cum enim cordi non fuerit Deo Opt. Max. Albertum apud nos regnare (in cuius electione sequuti eramus, non quod expediret, sed quod à gratis animis recens atq; eadem acceptißima omnibus Sigismũdi memoria exposcebat) quod facturi prius fuerant,

rant, si saluo officio licuisset, te qui Rex noster sis, vniuersi, quorū interest, vnanimi sententia elegerunt. Omittimus illa prosequi, quòd indoles tua verè regia, quòd maiorum tuorum decora illos pellexerint, vt crederent te vnum tam amplissimis duob. regnis vtiliter præesse posse. Coniuncta est vtriusq; gentis fortuna. & prospera omnia vtrisq; semper fuisse animaduertimus, nisi cum mala quæpiam ratio, consilia & res alterius ab altera separauit. Sic olim Gothi, sic Vandali, aliaq; gentes, penè ignotos terrarum tractus: sic postea Tartari per Poloniam & Hungariam primò, deinde in alias etiam regiones, irrupere. sic nisi eandem mētem tibi ad suscipiendum regnum, quàm nostris ad deferendum, Deus dederit, propè est, quod omina ri animus horret, vt Turci patefacta sibi Hungaria, in vos inde bellum vastitatemq; conuertant, dum pro Ruscia & Bulgaria, quæ duo sepimenta regni nostri erāt, lentius paulo quàm expediret, arma nuper induimus, in discrimen rerum nostrarum venimus, & bellum quod ab alienis finibus propulsare oportuit, in nostris cogimur sustinere. Si nihil vltrà peteretur quàm vt succurreres discrimini nostro, vtique præstaret aliena defendere, quàm pati sua in periculis rapi. Nunc quando non sola tutela, sed ius & arbitrium opulentissimi regni ad te defertur, quid est quòd maximopere à te deliberandum sit, debeásne cum tam ingenti & gloriosa mercede eam dimicationem, etiam geminatis viribus, suscipere, cui nostris copijs, nostrisq; armis semper pares fuisse nos, scias. Periculum est, arbitramur, ne semiermem & ex fuga pugnantem hostem, quem sine vllis externis auxilijs propè contempsimus, si tu paulùlum cum tuis anniteris, finibus nostris non submoueas. Nomen hercle tuū sine vllis armis ad id suffecerit: vel si molienda vis erit, haud indifficili conatu regni vtriusq; rem perpetuò stabilies. Neq; ideo quòd vltrò expeteris, relinqui omnia desperata à nobis putes in maximo multorum ambitu. Te iudicio, non necessitate prætulimus, qui scires æquè atq; illi regnum administrare. Sed cōmodius forsan tueri nos iunctis vtriusq; regni viribus posses, & in primis deberes propter communia vtriusq; discrimina. Silemus felicitatis cumulū, qui exinde Maiestati tuæ accedet, quantum vera gloria & in præsens & ad posteros conciliauerit tibi tam inclyti regni de virtute tua consensus. Quanta laude effereris, quòd tam benignè de te sentientes, gratissima voluntate in fidem susceperis: qui, omen Deus auertat, si repudiati in discrimē raperemur, omittimus quòd eadem fortuna res tuas manet. non solum vicinum ac socium regnum in periculo destituisse diceris, verumetiam euertisse columen ac propugnaculum Christiani nominis, cuius Maiestas viribus armisq; nostris stetit hactenus, staturamq; confidimus. Sed & fortunam dicunt volubilem deam: nec facilè postea comprehendi, si semel oblata contemnitur. Non libet gloriari benignitate cœli ac terræ, quam regno nostro natura indulsit. neq; vicinitas, neq; magnitudo rerum gestarum illius eam te ignorare permittit. singula illic sunt eiusmodi, vt magnis periculis etiam bello expeti debeant, nedum spontè oblata suscipi. atq; vt intelligas quòd simul omnia consentiunt ad felicitatem tuam, idipsum quod nos petimus, regina, in qua aliquid momenti in

contrarium videri potuit, etiam vnà nobiscum petit, pignusq́; & stabilimentum tam salubris vtriq; genti incœpti, matrimonium suum offert. Ea est ipsius nobilitas & fortuna, vt magnopere probari possit abs te: forma vero & ætas, non contemni. Sed neq; in tanta deliberatione audienda est mentio de reb. tam caducis & momentaneis: neq; voluptatis gratia initur matrimonium, maximè inter reges, à quib. nihil aliud quæri solet quàm dignitas, vt quàm illustres successores relinquant. Et si altius attenditur, propterea quod regna nō nisi vnū capiūt, illarū cōiugia maximè sunt expetenda à regib. quæ minus fœcūditatis videntur habitura. Tu modò illa quæ alij per ferrū ac ignes assequenda nō dubitarent, vltrò ad te delata non spernas: nec velis esse aut dici minus felix quàm Deus atq; homines velint. Dū hæc agerētur peterenturq́; ab Hungaris, aderāt etiā Turci oratores, quos iampridē missos deprehenderat in via mors Alberti, quæ seu verè incoperta, seu ad tentandū dissimulata peregerāt mandata. Offerebat per eā legationē Amurates Turcorū Imperator militē ac pecuniā Vladislao, ad gerendū bellū contra Albertū in Bohemia, quæ mortuo Sigismundo in duas factiones abierat: & vna quidē Cazimiro Vladislai fratri regnū deferebat, altera propter vxoriā successionē Albertū sequebatur. Cæterùm fœdus in id sanciri petebat, ꝙ redacta vniuersa Boëmia in potestatē Cazimiri, Vladislaus ab amicitia & fœdere Hungarorū abstineret. Itaq; cū defuncto Alberto res integra nō esset, oratores per varias simulationes Cracouiæ retinebātur, in expectationē quò res Hungarica post regis mortē inclinaret. Eos, ꝙ ex vultu facilè notari potuit, vbi per interpretē quæ postulata erant, cognouere, ingens mœror capit, & subita cōsternatio animorū. Sed neq; eodem sensu à Polonis omnibus accipi, prius oculi & facies motusq́; diuersi, deinde etiam verba indicauere, cum essent qui dicerent: nihil præterquàm bellū offerri ab Hungaris: post cæteros omnes frustrà imploratos ad se iri: minimè id onus assumendū, quod cæteri omnes ferri posse desperassent: sed & malæ rationis esse, regē suū dimittere, vt peregrè regnaret. omnia futura in regno turbarum plena & seditionū, si sine rege agitandum foret: neminem vnquam censuisse, aut nauem sine rectore, aut exercitū sine duce esse oportere: aut vnum quempiam duabus nauibus, duobúsue exercitibus vtiliter cōmodeq́; præesse posse: non esse exploratum homini, quid indies accidere valeat: infinita penè, quæ absente rege regnum perturbare queant: processuram improborum licentiam in infinitum: bonis verò præsidium & tutelam defutura. sed vt cætera tolerari possent, perpetuum bellum quod domi gerendum cum Tartaris, certè nullo modo sine rege aut sustineri, aut propulsari posse. Quorum sententiam Vladislaus, cuius iuuenilis animus adhorrebat ab eo matrimonio, quod cum regno adeundum erat, cùm Regina grandæua foret, facilè sequebatur: alijs multis in contrariū nitentibus: inprimisq́; Ostrorogeo Dobrogosio, & Cysouensi Ioanne cū Gregorio Sanoceo: diuitias viresq́; regni quod offerebatur extollendo, Turcorū verò res deprimendo, magno animo conditionē suscipiendam affirmabant: quæ de regis absentia dicerentur, nihil ad rem attinere, iampridem assuefactos homines, etiā sine eo agitare,

Turcici Oratores ad Regē Poloniæ.

Consiliorum diuersorū agitatio in Aula Polonica.

cum

cum sæpe in Lituaniam se recipere solitus esset: viciniorémq; esse Budă Cracouiæ, quàm Vilnam. De ijs quæ timeri sperariue possent, facilè esse iam cũ volente rege statuere. quòd si quid inopinatum casus afferret, regem futu-



rum in propinquo: coniuncta esse inter se regna, ita vt non quasi duobus, sed vni tantùm regno rex esset præfuturus: & eo magis fore in vtroq; venerabilem, quo vtrisq; inuicem cuiq; alterius vis notior esset, & auctoritas. Contra furtiuas Tartarorum incursiones satis supérq; indigenas Padoliæ ac Russiæ sufficere. Quòd si iustum bellum inferretur, multò faciliùs fore illud vtriusq; regni virib. propulsare. non esse tantæ gloriæ occasionem omittendam, vt rex Poloniæ etiam in Hungariæ regnare diceretur, & vnus præ cæteris principibus visus, qui tantum regnum ritè regere ac tueri possit: nullam conditionem repudiandam, nullum periculum non subeundum, pro tam ingenti laude: non inferri id bellum Hungariæ, in quo tantummodo libertas foret amittenda. quanquam quid non audendum subeundumq; pro libertate? sed magis, ne degenerarent omnes à morib. institutisq; maiorum, templaq; & sacra omnia profanarentur: sepulchra parentum dirui, & ossa dissipari, coniuges verò sororesq; & liberos aut ad seruitutem, aut ad libidinem rapi intuerentur: longè præstare tantam immanitatem submouere in alienis finibus, quàm in suis postea sustinere. nullă vnquam ætatē taciturā immortalem gloriă, quă adipiscerentur, si tă calamitosam necessitatem à ceruicib. regni inprimis incliti, sed & vicini, & fœderati, & quod non nisi per summũ scelus deseri posset, propulsassent. Ad hæc solă famă eo inter se vinculo coniunctarũ virĩu duarum inuictarum nationum, satisfactură ad Turcũ Tartarumq; intra fines suos continendos. Etiă deducta eò res

Alberti Austriaci posthumus ex regina Vngariæ.

erat, vt nemine aduersante Vladislaus conditionem susciperet, cum renunciatum est reginam posthumum ex Alberto peperisse. Itaq; cum videretur Vladislaus frustra vxorem ducturus, si filij sui ad regni successionem peruenire non possent, ex integro tota res cœpta est repudiari. Sed vbi oratores Hungari explicatis omnibus quæ apud suos constituta erant, etiam de filio, si nasci contingeret, hanc quoq; difficultatem amouerent: rursus expugnatus est regis animus, vt ad gloriam & amplitudinem tantarum rerum se potiùs erigeret, quàm deprimi pateretur à breui voluptate, quam ex viridiore vxoris alterius ætate cōsequi posse arbitraretur. Decreta igitur dies solennis, & templū augustius in arce Cracouiensi, vbi responderetur Hungaris ibi, cum frequentissimi ex omni ordine ad spectaculum conuenissent, vniuersiq; regni proceres in suggesto ad id præparato consedissent. Conuersus ad oratores Vladislaus, vbi protulit ea quæ, pro loco & tempore, ad grati animi testimonium, propter præsens in se beneficium, visa sunt attinere: Quod bene verteret vtriq; genti, quibus conditionibus ad se delata erant, ius & tutelam Hungarici regni suscipere professus est: quantumq; humana ope fieri posset, daturū se operam dixit, ne tam benigni de se iudicij Hungaros pœniteret. ipsorum iam esse, curare vt quæ suorum nomine spopondissent, rata permanerent: se in tempore promissis suis affuturum. Sub hanc vocem secutæ acclamationes, fœlicia omnia vtrique genti ominantium: & in publica gratulatione laudes Deo & grates actæ omnib. in templis. Thurcis subinde responsum, rerum mutationem, quæ mortem Alberti subsecuta esset, eorum legationem irritam reddidisse. Cæterùm quando & in Hungaria Vladislaus erat regnaturus, factam exinde maiorem occasionem fœderis amicitiæq; ineundæ, si modò ea res cordi foret Amuratho: & si finibus suis contentus pacis consilia complecti vellet. Hungari responso accepto, constituere inter se illicò, vt alij apud Vladislaum remanerēt, qui eius in Hungariam profectionem vrgerent: alij ad Reginam optimatesq; perferrent ea, quæ acta erant & decreta in Polonia. Mansére Episcopus Strigoniensis & Vladislaus: cæteri gratulabundi retrò iter ad reginam conuertêre. Visum est Vladislao mittere cum illis etiā legatos suos, qui tam reginæ quàm optimatibus publicè ac priuatim gratias agerent, tempusq; aduentus illuc sui nunciarent. decreti igitur ac missi ad eam rem obeundam Sandiuogius Ostrorogeus & Ioannes Cognespolensis, scriba regius. Cæterùm festinantibus Hungaris, vt quæ ad nutū suorum feliciter transacta putabant, nunciando omnes gaudio opplerent, Poloni in via substitêre, paulatimq; subsequebantur. Interea regina, seu, quia desperasset marem parere, cum natum videret in spem tantarum rerum, crudele nimium & immane apparituram sensit, si veluti propter noui mariti charitatē sacratissimorum affectuum oblita, mater à debita successione regni filium exclusisset: seu adducta persuasionibus quorundam, qui rei Polonicæ malè affecti erant, præsertimq; Comitis Ciliæ, qui tutorem se posthumi fore, ac summam rerum obtenturū credebat, sententiam mutauerat. atq; ideò redeuntes ad se oratores suos in vincula coniecit, moxq; voluntatem suam immaturam promulgauit.

Ladislaus Poloniæ Rex ius & tutelā regni Hungarici suscipit.

Regina suasu Comitis Ciliæ sententiā mutat.

ganit. Ea res, prout cuiusq; animus ad hanc vel illam persuasionem acclinatus, accipiebatur, nonnullis indignißimè ferentibus, tã salutare vtriq; regno incœptum vel vnius mulieris inconstantia, vel Comitis Ciliȩ cupiditate in irritum verti, & reginȩ si persuadendo adduci nequiret, vt conuentis staret, afferendam vim consentibus, cum videretur spes profligandi externum bellum in id recidisse, vt si Vladislaus prosequi perseueraret euocationem suam, regnũ domesticis seditionibus lacerari oporteret. apparebat enim, fore qui omnia extrema paterentur & facerẽt, priusquàm publicã & communi consensu datam Vladislao fidem violarent, & qui spe melioris fortunȩ, si res tumultuarentur, in contrarium agerent, reginȩque aßisterent. Multi etiam diuinitùs eam mentem reginȩ datam interpretabantur, quasi Deo eam regnorum inter se veluti confusionem improbante, in qua vt inficiari nequiret, quȩdam inesse commoda, submouendo bello quod à Thurco immineret: maiestas tamẽ & nomẽ rei Hungaricȩ interitura esset, actionumq; omniũ gloria domi atque foris ad Polonos peruẽtura. neminem vnum exinde crediturũ ab Hungaris peregrinũ regem alia ratione accitum, nisi quòd sine Polonis subsistere desperassent. Vladislaũ quoque propensiore affectu erga suos futurũ, satis experiendo compertũ prioribus temporibus. Hungariam ad retinendã dignitatem suã externa ope non indigere: denique Deum ipsum in partu reginȩ planè indicasse, quem regẽ vellet apud eos esse. Hȩc, & plura eiusmodi, iactabantur non vulgò solùm, verùm etiam in concilijs optimatum. sed & ciuitates nònnullȩ, inprimisque Cassouia, Baradinum, Lubolia, Cremnicia, & cæterȩ finibus Poloniȩ obiectȩ, iam tum in tanta voluntatum varietate imminentium certaminum discrimina intuentes, vt ociosȩ rei euentum expectàrent, comportatis intra mœnia eis quȩ vsui fore credebant seu ferendȩ obsidioni, seu ad vim propulsandam, si ingruisset, fossas, muros, propugnacula, impigrè reficiebant ac firmabant, quȩ vt agebantur vulgò ad legatos Polonos delata, eos vt retrò in patriam iter verterent, adegerunt. Et cum à regina impensius reuocarentur, non ausi sunt illius se fidei committere. Quodsi fecissent, fama tenuit potuisse facilè omnia in integrum, re tunc recenti, per ipsos restitui. non solùm reginȩ voluntas immutata, sed cȩdes etiam Sigismundi Ducis in Lituania sub idem tempus commissa: secutȩq; illam diuersȩ ibidem factiones, & fames, qua deperditis frugibus, propter ȩstatis intemperiem, eo vsq; laborabatur, quòd promiscuè cum pecoribus non humanis cibis, sed arborum corticibus, cannarumq; radicibus mortales vesci cogebantur. hyems prȩterea inusitatè constanterq; rigens vsque ad perniciem iumentorum, hominúmque ad extremum lues, quȩ insolitis alimentis fluida labefactaq; corpora vulgò extabescebant, poterant Vladislaum à transcendendo in Hungariam retinere, si modò fatales neceßitates euitabiles essent. Itaque tam multis aduersis penè inuitum retinentibus, ille nihilo segnius ad transitum equos, arma, militẽ prȩparabat, indicto conuentu in Sandecio, in quo referretur statueretur q; tã de rebus dome-

Diuersa muliebris Inconstantiæ interpretatio.

Poloniæ legati in patriam reuertuntur.

Fames magna.

ſticis conſtituendis, quàm de ordine proſequendi ſuſceptam profectionem. Præceſſerant Vladiſlaum ad locum conuentui deſtinatum mater eius regina Sophia, Duxq́ Maſouiæ Boleſlaus. Et præter paucos qui regem ſequebantur, vniuerſi etiam regni proceres & Lituanorum legatio. itaque vbi rex cum fratre ſuo Cazimiro aduenit, Lituani prius auditi, qui principatum ſuum poſt cædem Sigiſmundi in tumultu eſſe dicebant, & diuerſis factionibus laborare, optimatibus Vladiſlaum pro principe habendum cenſentibus, multitudine verò ad Michaëlem Sigiſmundi filium inclinante. ſed & Suidrigalem, qui & ipſe ex principum erat progenie, nonnulla oppida occupaſſe, Ruthenorumq́ primores ſpe nouarum rerum quotidie ad illum congregari. præterea Ducis Maſouiæ copias Droicinum expugnaſſe: atque ideo, niſi ſubitò ſuccurreretur, propè eſſe vt factionibus inteſtinis Lituanorum nomen acres interiret. De quibus cum ſententia rogarentur, quàm plures erant qui Hungariā omittendam ſuaderent, amplexandámque conſulendi rebus ſuis domi occaſionem oblatam per inconſtantiam reginæ: ſatisfactum eſſe fœderatæ ac vicinæ nationi, tutelā ipſius, cum id efflagitaret, ſuſcipiendo. Nunc quando per illam ſtaret, quo minus conuenta perficerentur, temerarium videri, ſi neglectis opportunitatibus ſuis, cum periculo alienos etiam inuitos ſeruare aggrederentur. Tunc demum fuiſſe glorioſum Polonis in Hungariam proficiſci, quando contra Thurcos aduocabantur: nunc inteſtinis ciuilibusq́ certaminibus immiſceri, calamitoſum & turpe fore. dimittendos eſſe ad ſuos, Hungaros legatos: ſi ſenſiſſent illi operæpretium fore, coniungi eos cōmunis regis vinculo & ſocietate cum Polonis, inuenturos quomodo id ſine controuerſia fieret: culpam non ſeruatæ in præſens fidei penes ipſos remanſurā: interim rem Lituanam ſtabiliendam. Quorum ſententiā laudabat in primis regina, tum quòd ægrè filium à ſe diuelli, ac peregrè regnatum ire, patiebatur: tum quòd oriunda ortaq́ Ruſſia, magnopere angebatur, patriam ſuam mutuis ſeditionibus propter Lituaniæ motus periclitari. Vladiſlaumq́ & Cazimirum ſolicitos habebat res Lituana, vtpote patrius & auitus principatus. Sed & Dux Boleſlaus, cuius intererat regem non abeſſe à regno, propter ſuſceptam à ſe contra Lituanos actionem, quam iure decidi cupiebat, multa in eandē ſententiam diſſeruit. Gregorius verò cum Ioāne Ciſſouenſi & Creſlao Curoſuancheo cæteriſq́, qui iam tum à principio conditionem ſuſcipiendam perſuaſerant, dicere Hungaros aut non audiri oportuiſſe, aut pacta implenda. Non propter illos tantummodo conditionem ſuſceptam, ſed quia commune periculum propulſandum: eo conſtantius in incœpto perſiſtendum, quo illi iam diſcordes inter ſe propiores eſſent, vt alieno ſubderētur imperio. tutius multò fuiſſe, concordes initiò quàm in ſeditione deſtituere: ſi viderent in incœpto Polonos perſeuerantes, depoſituros ſimultates, redituroſq́ in fidem omnes. Reginam quoque ceſſuram viribus, vbi eas adeſſe ſenſiſſet: ſi res committeretur, ſeditionibus inteſtinis perituros, aut ad alium quempiā ſe conuerſuros cuius poſtea vel potentia timēda, vel imbecillitas maiori & ſumptu & diſcrimine fouenda eſſet. Nihil ſatius, quàm etiam per bellum ad inſtitu-

Legatio Lituanorum ad Regem Poloniæ.

Deliberatio de Hungaria omittenda.

Lituania periclitatur.

stitutum peruenire: si tum demum abstineretur, & cupidè suscepisse, & timidè destituisse apparituros. Ad Lituaniam pacandam Cazimirum cum aliquibus copijs mitti posse. sed & Lituanos moderatius se habituros, intelligentes Vladislaum etiam in Hungaria regnare. Ad hæc Hungarorum legati parū momenti in regina ad resistendum vniuersorum voluntati asserebant: paucosq; illi affuturos, & eosdem sine auctoritate, aut gratia. Eos autem quos penes rei totius arbitrium, satis intelligere, nihil posse vtilius vtrique regno & inprimis suo inueniri. Non passuros ad nutum vnius mulieris summam libertatis salutisq; suæ periclitari: abundè prius diliberasse statuisseq; quod optimum videretur. Sed & reginam facilè aut sanioribus consilijs aut vi expugnari posse, reduciq; in sententiam rectam, prosequerentur modò Poloni ea quæ cum summa ratione inchoassent. Decretum itaque secundum Gregorij sententiam, vt progrederetur in Hungariam Vladislaus: Cazimirus verò cum certo numero copiarum in Lituaniā proficisceretur, adiunctis ei primarijs viris, Derslao Ritifianeo, & Palatino Lublinensi. Cum Boleslao autem Masouiæ duce inducias seruari placuit, quòd diu à regno Poloniæ rex abesset: eaq; decreta ad cætera quæ dicta sunt de necessitate & commodis susceptæ profectionis, pro responso data sunt Lituanis oratoribus. Designati subinde qui absente rege veluti vicarij in locis opportunis præessent ac ius dicerent. in præfectura quidem Cracouiana Ioannes, in Cissouensi Ioannes Cissouensis, in Posnaniensi Petrus de Buyno, in Podoliensi Theodoricus Gunascanus. Vladislaus verò vbi satis constituta, prouisaq; reliqua apparuere, dimissis cæteris quoq; ad munera, sibi commissa, cum illis quos delegerat ad constitutam expeditionem progreditur. Matrem ac fratrem suum Cazimirum biduo se proficiscentem prosecutos, tertia die ab se dimisit: admonito prius fratre, qua ratione, quibusue artibus cum Lituanis agitare oporteret. Eduxit verò secum præter militarem multitudinem viros magnos, & magnis præfecturis honoratos, quos consiliorum actionumq; omnium socios adiutoresq; haberet: inprimis Andream & Ioannem Tancinenses, Dobrogosium & Sandiuogium Ostrorogeos, duos Ioannes Tamouianos, Vicentium ac Scidouam Sciamatuleos, Lucam Goremsem, Nicolaum Lassouianum, & Gregorium Sanoceum. is postea vigintiquinque annis præfuit metropoli Leopoliensi. Sed tunc maximè ingenio florens & doctrina, videbatur ad omnia gerenda suadendaq; facile idoneus, & de quo rex plurima sibi polliceri posset. Ad quæ accedebat cum decora corporis proceritate, præcipua quadam animi sanctitas & religio, in quibus adeo eminebat, vt nemo regem Deum propiciaturus facilius crederetur: eaq; est sibi in primis cura delegata. Cæterùm vt diuina per hunc rex procuraturū ritè se credebat, ita prælijs conferendis haud minus momenti fore putans, in virib. Lesconis Bobritij, cuius robur & audacia maximo cōsensū vulgò laudabatur, ipsum quoque inter præcipuos educendum delegit. fuit autē Lesco auus diuæ Fanniæ carminibus nostris celebris, si qua tamen ex illis gloria esse potest. inter progrediendum verò quotidie cateruatim confluebant ad regem alij multi ex

Ad expeditionem progreditur Vladislaus.

Laus Gregorij Sanocei.

Polonia

Poloniæ impigri & magni viri, partim ne velut ignaui repudiati viderentur, partim cupiditate, ostentandæ virtutis in tam nobili expeditione. cæterùm volente vnoquoq; armis, equis, & reliquo apparatu eminere, incredibile memoratu est, quàm insignis erat exercitus rerũ omniũ excellentia, cũ ferè miles quisq; egregij ducis speciem præseferret. fama etiam, vt in magnis conatib. vsuuenit, omnia augebat, copiasq; & apparatum bellicũ vix tolerabilẽ reginæ, ad quam Dionysius Archiepiscopus, Ladislausq; Gara Banus, & pleriq; alij defecerant, nunciabat. quæ cum edixisset, arceri Vladislaum omnibus munitis in Hungaria locis, vbi receptũ audiuit in Chesmarchum, sollicita, vt fit in re trepida, cogitationes in partes omnes cœpit agitare: cæterùm seu desperans post adeò ingentem belli molem excitam, pacis aut fœderis audiendam mentionem, seu non inueniens apud se conditiones, quæ vtrinq; suscipi honestè possent, ad sustinendam vim cum suis animum conuertit: inprimisq; cum haud ignoraret susceptas vulgo persuasiones, ceremoniasq; aliquas in rebus non leue momentum habere sedandis concitandisue populorum animis, Vissegradum, vbi præerat Ladislaus, Gara properè contendit: coronam qua vetusta religione ac more Hungariæ reges initiantur, in potestatem suam redactura, ne si eius Vladislaus potiretur, veluti rex legitimus populos ad se conuerteret. Itaq; non aduersante præfecto, penetrale, in quo sanctissimè asseruabatur, cũ effregisset, illam tantum modo extulit, relictis cæteris induuijs, quæ ad ritum ceremoniamq; coronãdorum regum pariter adhiberi cõsueuêre. nec mora, cum omnib. qui palàm sibi ac posthumo fauebant, in Comarum se recepit. Alij verò quos aut nouarum rerum studium, aut per legatos data fides Vladislao, aut timor ne bello cogerentur, sollicitos habebat, quanto quisq; poterat cõitatu, quotidie ad illum confluebant. in ea festinatione pleraq; hostilia commissa sunt diuersis in locis contra illos qui reginæ affuturi videbantur. inprimisq; Simon Rosgonius Agriensis episcopus, cum cõperisset in oppido Emperiascio non vigiliarum ordinem, non stationes iustas seruari, sed securè ac solutè agitari, per occasionem noctu illud intercepit. Quo subinde firmato munitionib. ac præsidio, Chesmarchum venit. ibi Polonorum animi, quos propter reginæ motus demissos labefactósq; constabat, rursus erecti sunt & confirmati, cũ viderent ad se conuenisse magnam partem ex primorib. Hungarorum, quorum auctoritatem cæteros secuturos: aut si qui aduersarentur, minimo negotio cogi posse apparebat. Itaq; alacres renouata spe, facile ac celeriter incepti perficiendi, alteram Lituanorum legationem, quæ illuc vsq; ad auertendum in Lituaniam Vladislaum sollicita aduenerat, dimisêre retrò ad Cazimirum, cui Lituanicæ rei cura delegata esset: etsi pleriq;, quos non minus discrimina & progrediendi difficultas quã ea quæ nunciabantur à Lituanis mouebant, cum Ioanne Tancinensi vel illinc regredi in Poloniam suaderent: sed ne id fieret, annuentib. Ioanne Iaroslauiensi & Gregorio Sanoceo tenuit pudor famaq; verecundia. Constitutum itaq;, vt relicto cum valido præsidio ad custodiam Chesmarchi Nicolao Pereno, Budam versus progrederentur. vtriusq; regni copijs simul coniunctis, inter proficiscendũ lentè,

Exercitus insignis.

Simon Rosgonius Emperiascium oppidum occupat.

lentè, vt par erat tanto exercitui, visum est mittere qui regni caput Budam praeoccuparent: ne regina, si muniendi se illic facultas spaciumq́ daretur, conatus Vladislai ac suorum subinde aut retardaret, aut irritos redderet. Datum est ideo negotium Agriensi Episcopo, & cum eo missi Vincentius Sciamatuliensis, Andreas Tancinēsis, & Lesco Bobricius. eos, vbi aduenere, populus intra vrbem vltrò admisit, ducendisq́ munitionum operibus manu & caetero omni studio frequens affuit. Cum interim praefectus arcis Laurentius Endreuera deliberabundus, neq; aduersando, neq; obsequendo ys quae fiebant, videretur in eā partem inclinaturus, ex qua minus perturbationis in regno crederet excitari. veniebat ex parte altera Federicus Comes Ciliae cum quingentis equitibus, missus & ipse à regina eodem consilio praeoccupandae Budae: qui vbi à Polonis iam teneri cognouit, nihil vltra tentandum ratus, demisso animo statim retrò abijt in Comarum. Augebantur semper copiae Vladislai, accurentib. ad eum in itinere Hungaris. Caeterū cum peruenisset Empertascium, diemq́ vnam ad quietem indulsisset exercitui, secretarius, quem charissimum habuit, dum in fluuiolo ignobili praepropere opitulari pergit accipitri cum anate periclitanti, submersus est: & prodigiosae magnitudinis grando cum ingenti procella & fragore coeli decidit, quibus nonnihil consternati sunt animi in Polonis, minime referentium vel illud ad fortunae casus, vel hoc ad aëris intemperiem. sed vtrumq; velut in prodigium auertentibus, vt cuiusq; vel mens erat, vel religio, diuersis in diuersum interpretantibus. Regina verò vbi ad Polonos Budam defecisse intellexit, & Vladislaum, qui Agriam iam attigisset, hilari consensu illic à populo expectari, ad caeteras ciuitates in officio retinendas festinato itinere Albam regalem se contulit: cui praeerat tunc partium suarum fautor Nicolaus Fristarchi. ibiq́, suadentibus qui illam sequebantur, filium suum iam trimestrem in templo consueto, regio titulo & corona solenniter insignitum, augustiorem & veluti sacrosanctum populis ciuitatibusq́ Hungariae reddidit: putans futuros plures qui veri & legitimi domini partes sequerētur, quàm qui contaminare se vellet nota defectionis. Affuere coronationi eiusmodi ex illis qui paulo antè Vladislaū accersendū censuerant, Archiepiscopus Strigoniensis, Iaurinensisq́ episcopus Benedictus, tū Ciliae Comes, Nicolaus Fristarchi, Stephanus Rosgonius, & pleriq; alij, omnesq́ mox cū regina cōtulere se Iaurinum. Res ipsa tum etiam auctores magnopere Polonos conturbauit: sed eò ventum erat, vnde regredi, nisi re perfecta, turpitudo non patiebatur. itaq; mouens ab Agria Vladislaus, per commoda interualla tandem Budam peruenit. cum appropinquaret, factus est ei obuiam praefectus arcis Laurentius Endreuera cum liberis duobus, & populus effusè, cum ipse instructis aciebus, nequid subesset insidiarū, ingrederetur. Post mutuam gratulationem visum est ea die ab ingressu vrbis abstinere, placuitq́ subsistere in Pesta. Interim regina per nuncios maria montesq; pollicendo Endreuerae, enixè conabatur persuadere vt in fide atq; officio maneret: parumq́ abfuit quin impetraret, magis in gratiam memoriae Sigismundi, quàm sponsione ditißimarū conditionū quas proponebat. praeualuit

Agriensis Episcopus Budā intercipit.

Secretarius Vladislai submergitur.

Alberti Austriaci posthumus ex Regina iam trimestris corona donatur, & regio titulo salutatur.

luit tamen in animo bene instituto ea sententia, quæ tutior videbatur ad stabiliendam fortunam naufragantis regni. Itaq. ille Vladislaum & suos liberaliter in arcem admisit: pro quo beneficio Vladislaus vt præfecturam, in qua erat, continuaret, edixit: satis confidens mansurum eum constantissimè in ea parte, in quam primò incolumitate suadente, non impetu animi, sed iudicio accesserat. Super omnia insigne fuit spectaculum, cum Budam Vladislaus ingrederetur: nam præter magnificentiam ornamētorū nauium, quibus cum instructo exercitu per Danubium transuectus est, maximè eminebant vbiq. studia procerum regni vtriusq., certantium inter se officij sedulitate, ad inducendum ipsum quàm maximè fieri poterat solenni ac omni genere ornatus instructissima pompa. Sed & milites cum ducibus suis, qui præmissi illuc fuerant, armati obuiam prodierant. Præterea sacerdotes cum sacris & religioso apparatu, populiq. promiscuè omnis ordinis turba innumerabilis. procedebat ergo militib. stipatus inter voces gratulātium, felicemq. ac faustum regi, sibiq. & regno ingressum eius exoptantiū, subsequebantur proceres regni vtriusq. pro dignitate ac meritis, vt quisq. eminebat, ita ordine antecedētes. Vbi ad templum augustius peruentum, laudes gratesq. Deo immortali actæ. Subinde in regiā perducto Vladislao, populus quidem gratulationem suam in multam noctem produxit, varijs discursib. per ciuitatem cum cantu, tripudijsq. & hilari saltatione. Proceres verò cum crederent suscepti negotij partem maximam transegisse, recepta Buda quieti se dedere: mox consulturi quibus medijs reliqua sine contentione vel mora perfici possent. Vbi Budam teneri per Vladislaum vulgatum est, non solùm qui apertè partibus ipsius fauebant, sed multi alij qui ad id temporis dissimulauerant, fidem atq. obsequium pollicentes, cum gratulatione ad eum confluxere, inprimisq. Matthico Talautius eisdem diebus cura atq. opera tonsoris sui elapsus custodia, in qua regina iussu asseruabatur: tum Nicolaus Fristarchi, Stephanus Rosgonius, Iohannes maior Perenus, & in quo plurimum in vtramq. partem momenti Ioannes Huniadianus: præterea Episcopi, Vesperinensis, Quinq. ecclesiensis, Transyluaniensis, Nitriensis, Sirmiensis, Vacciensis, Varadiensis, & Colocensis Archiepiscopus: paucaq. præter Cascouiam reliquasq. ciuitates, quæ cum illa se in euentum à principio communiuerant, in regno toto supererāt, quæ non profiterentur se in fide Vladislai esse ac fore. Venit & à rege Bossinæ legatio apparatu virisq. insignis: quæ repetito gentis suæ primordio, eosdem cum Polonis auctores generis & cōmunem linguam Bossinenses habere cum dixisset, ob eamq. linguæ & originum veluti cognationem, regem suum magnoperè gaudere, propterea quòd cœptis Vladislai felicitatē adesse vulgabatur, multa disseruit de commodis quibus se mutuò propter cognationem vicinitatemq. releuare possent ac deberent, communicatu virib. & consilijs aduersus imminentē Turcarum crudelissimam tyrannidem, fœdusq. præterea & amicitiam sanctissimè cultam seruatamq. inter Bossinæ & Hungariæ reges ad id locorum inter se commoda cuiusq. ad alterum & subsidiaria connexio: propterea fœdus & amicitiam inter reges vel iniri, vel renouari, postula-

Vladislaus in arcem admittitur.

Ingressus in vrbem descriptio.

Legatio regis Bossinæ.

Legatorū ad Vladislaum Oratio.

postulauit. quibus benignè responsum, incrementa successusq; Vladislai meritò regi placere, tum propter eam quam repetissent linguæ penè tantundem interesset, vt quàm celerrimè pacata omni Hungaria, contra communes hostes integris viribus expeditio duceretur. Gratiæ subinde actæ, quòd in tempore affuturum se contra Turcos communicando actiones & consilia rex vltrò polliceretur. Et vt sic animatus ad extremum perseueraret, adhortationes adhibitæ. fœdus deniq; inter reges & regna confirmatum. Aduenerant etiam oratores Despoti, cuius demißior gratulatio fuit, vt par erat: quippe quòd à principatu suo per Turcos eiectus, priorum Hungariæ regum munificentia alebatur: qui casum tanti viri miserati, collocauerant eum in finibus regni, aßignatis sibi nonnullorum oppidorum vectigalibus & iurisdictione, quibus haud indecorè præsentis fortunæ statum ferret, & præteritæ desiderium leniret. Itaq; ante omnia oratores sui magno verborum ambitu, commemoratis propè eisdem quæ Boßinenses de cognatione originum ac linguæ cum Polonis, purgauere Despoti factum, quòd per nuncios id munus aggressus, quod obire ipsum oportuerat: sed accinctum iam itineri, Turcos auertisse, ne coràm veniret. Cæterùm ambigere ipsum, speine suæ, quæ post ademptum sibi principatum, abductosq; in seruitutem liberos, tum primùm reuiuiscere incipiebat, an felicitati Vladislai prius magisq; gratulandum foret. acceßisse quidem accessurumq; in dies benignitate Dei ad gloriam dignitatemq; Vladislai multum, cum nihilominus in summa gloria summaq; dignitate existeret: sibi omnibus patrijs auitisq; ornamentis spoliato, nec solùm principatu & patria, sed domo & lare eiecto, extorri, indigo, alienaq; viuenti misericordia, tum primùm oriri lucem aliquā non solùm melioris conditionis, sed pristinæ etiam dignitatis & fortunæ recuperandæ. Ac felicitatem inceptorum polliceri, tum geminatas vires duarum inuictarum nationum, quarum neutri vlla præter alteram disciplina militari & alacritate pugnandi par foret in terris. obuersari iam tū oculis suis fugā formidinemq; cōuersas in Turcos: agrumq; illorū igne, ferro, vastitate infestum: se verò ad maiorū suorum sedem restitutum: atq; ideo vltra omnē humanā læticiā gaudere sibi: Vladislao autē gratulari, qui tā magnarū actionū gloria nō modò præsentis æui reges, sed vetustos omnes esset superaturus, si pristina fortuna adesset, oblaturū fuisse se comitē atq; adiutorem. Nunc quando integrum non esset sibi maiora polliceri, voluntarium regis ad omnia periculosa & difficilia obeunda ministrum se offerre & debere. mouit tum Vladislaum, tum cæteros & fortuna viri, & tam submissa oratio. itaq; responsum legatis, vt Despotum bono animo esse iuberent, satis multas affuturas occasiones ad mutuam paremq; gratulationē. Interim cum ratione ab eo factum, quòd loca in quibus regi gratulari posset, ab hostili incursu tuenda sibi in tempore putasset, perseueraret modò strenuè: Vladislaum primo quoq; tempore annixurum, vt expectationem spemq; de se cōceptam adimpleret. Interea Strigoniensis Archiepiscopus & Ladislaus Cara, qui coronādi posthumi inprimis auctores adiutoresq; fuerāt, seu desperatis reginæ rebus ꝑpter successus Vladislai, seu rati pertrāsitionem

Oratores Despoti Vladislao gratulantur.

Vladislai responsio benigna.

tionem

tionem suam, quam reliquos dignitate inferiores secuturos credi par erat, reginæ animos infringi, & ad concordiam conuerti posse, cœperunt cum Vladislao clàm per internuncios agere, vt impunè ad eum transire liceret: acceptaq; in id fide, Budam properabant. Vladislaus verò qui sciret magnam esse talium virorum apud populares suos auctoritatem, multumq; huc vel illuc mouere animos vulgarium pariter & nobilium posse, vbi appropinquasse ciuitati percepit, obuiam progressus, benignè complexos bene de se sperare iussit. Die sequenti cum ex composito vtriusq; gentis primores quàm magnificentißimo apparatu ad regem conuenissent, missi sunt qui illos in curiam inducerent, vbi Archiepiscopum in hanc sententiam locutum tradunt: Intelligo, rex inclyte, purgandum esse, quòd in rebus ferè omnium maximis consilium ter variasse videmur. Primum, cum te, qui apud nos regnares, accersendum censuimus: deinde, cum reginam filium suum coronantem contra te secuti: nouißimè, quando illius partibus omissis, nunc ad te reuertimur: ne aut spernendi à te, velut imbecillitate animorũ laborantes: aut cum suspicione accipiendi, ceu parum fideles ijs ad quos inclinauerimus, existimemur. Non enim sententiam fidemue mutando totiens velut in contrarium acti sumus: sed cum ageretur de conseruando augendoq; regno nostro, idq; quantum rei magnitudo postulat, nos solicitos haberet, seu nimia cupiditate, seu humana ignoratione, quod optimum foret, nõ satis constituebamus, atque ideo nunc hoc, nunc illud approbantes, minimè mutato proposito ad id quod efficacißimum videbatur, confugimus non studio partium, sed caritate patriæ, cuius salutem dignitatemq; periclitari intuebamur. Nec enim vt de me fatear, quod de alijs etiam sentio, cum à nobis accitus es regnatum, ideo tantum consensi, quòd ob virtutem tuam, maiorumq; tuorum gloriam dignißimus videreris. Immutabant ea quidem vt consentirem, verùm non de ornando augendòue te consultatio erat: sed cum post mortem Alberti regnum nostrum in orbitate velut prædæ Turcis expositum appareret, inuictum regni tui robur inprimis occurrebat, quod per vicinitatem & fœdera nobis coniunctum, velle deberet, per amplitudinem autem facilè nos posse tueri & conseruare videbatur: & tua tuorumq; interesse: vt quæ nobis imminebant pericula, propulsarentur. atque ideo freti viribus & amplitudine regni tui, cum de fide dubitare non possemus, quando in rebus vestris idem exitus quem in nostris pateremur, foret à nobis expectandus, vnanimi consensu ad te confugimus, rati fore vt in ditione & tutela tua res nostræ domi forisque maximè florerent. Postquam verò regina seu mala ratione, seu malo fato percita, cœpit à communibus consilijs resilire, quanquam & ego, & qui illam me cum secuti, intelligebamus ad publicas etiam neceßitates parum momenti illinc esse, acceßimus tamen: tum quia nefarium apparebat, reginam nostram, & eandem Sigismundi regis nostri filiam deserere, priusquam patriæ periclitatio nos cogeret: tum vt in viam rectam, si fieri posset, reuocaretur: & tu defectionẽ nostrã veritus, tantisper deliberabundus subsisteres, dũ iniretur ratio sedãdi ciuiles discordias, quas celer aduẽtus tuus, tumultuãte

Strigoneinsis Episcopi oratio.

adhuc regina, videbatur excitaturus. cruciabamur enim animo intuentes exarsurum bellum intestinum euocatione tua, per quam externũ extinguere volueramus: atq; ideo omnia prius experiri certi, quàm patriam suo se gladio conficientem intueri, tamdiu in parte altera perseuerauimus, quo ad non officium erga reginam & gratissima nostris animis memoria Sigismundi charitati patriæ concessit. vbi verò ambitione reginã elatiorem vidimus, quàm quæ adduci posset, vt periculis suorum parceret, & in illis angustijs essemus, quòd aut patriæ aut officij iacturã facere oporteret, maluimus boni ciues quã officiosi clientes dici: & relicta illa, quæ nisi per summas omnium nostrorum calamitates nec regnum assequi, nec adeptũ tueri posset, rursus ad te conuersi sumus, in cuius auctoritate pacẽ domesticã, in armis vero foris positam victoriam intuemur. Idem patriæ salutis studiũ, quod ad te vocandum, quod ad secedendum paulisper ad reginam nos compulit, nunc ad te reducit. Debet probari abs te tam propensa constansq; in patriã fides nostra, cum intelligas propter illam nos etiam famæ subijsse discrimen. maluissemus quidem quòd prima consilia nostra processissent, & vt sic apud nos regnasses, quòd officiosi erga reginam, eiusque parentis memoriam immortalem mansissemus: & vt quieti inter nos, tua tuorumq; auctoritate accedente, non solùm finibus nostris hostem submouere, verumetiam agrum illi suum infestum reddere potuissemus. Nunc quando vtrumque assequi non licuit, incolumitatem patriæ cum felicitate tua sequentes, petimus, quod vt verecundiæ nostræ indulgeri debet, quòd aliquandiu cum regina fuimus, præsertim vt conciliaretur tibi, ita nobis fraudi non sit, quod illa quieta consilia contemnente, salus & pax regni nos abstraxit, in futurum quales nos experieris, habeto. Vladislaus contrà minimè daturum fuisse fidem, vt se accederent, nisi bonos fortesq; viros iudicasset: satis scire, tranquillitatem patriæ vnicuiq; charissimam esse debere, sed ante omnes illis qui in summis ornamentis summaq; dignitate collocati, quæ egissent, omnia sic accipere tanquam pro pace ac firmamento regni gesta essent, non contra se. neque enim quicquam commisisse propter quod hostilem animum aduersus se gerere deberent: nisi propterea sibi irasci vellent, quòd relicto florentissimo regno suo, & omissa cura pacandæ Lituaniæ, in qua propter cædem principis perpetratam, bellum exardesceret, vires animumq; suum conuerteret ad tutelam stabilimentumq; regni eorum. quòd ad reginam attineret, minimè reprehendi posse, si ad extremum voluntati illius publicam salutem prætulissent. nec enim regibus fidem obligari euertendis regnis, sed conseruandis: hortari vt adessent animis ac viribus ad cætera quæ superessent expedienda: breui affuturam tranquillitatem illam quam optassent, modò ipsi factis & consilijs opportunis orationi suæ fidem facerent. Regina quamuis, vbi suorum fidem labefactari vidit, & ad Vladislai felicitatem deficere, malo animo affecta, tamen dissimulata muliebri trepidatione, ne si quantum metuebat indicasset, reliqui in desperationem adducerentur, Ciliæ Comitem ad se vocauit: comunicatoq; cum eo consilio, nuncios cũ literis Cascouiã, & ad cæteras

Præstat bonus ciuis officioso cliente.

Responsio Vladislai.

ciuitates quæ Vladislaum ac suos sub ipsum belli initium excluserant, circummisit: iubens vt bono essent animo, properè affutura auxilia quibus tueri ipsi commodè se possent, & Vladislaus toto regno facilè excluderetur. Moxq; conductitium militem ex Bohemia acciuit, & consentiente in id Episcopo, Iaurinum diligentißimè communiuit, collocatisq; illic copijs suis, velut in loco opportuno incursionibus faciendis aduersus Vladislaum & suos, cum filio transtulit se in Posonium. Id vbi à Polonis compertum, misit Vladislaus ex gente vtraq; numerosum exercitum ad Iaurinum obsidendum, ducibus Ioanne Hunniadiano, & Stanislao Ostrorogensi. fortè ita euenit vt Comes Ciliæ, qui illuc accesserat, inspecturus an satis omnia firma munitáq; essent, & an constantes consentientesq; inter se perseuerarent omnes tuendis reginæ partibus, cœptus sit cum alijs qui illic erant, obsideri, superuenientibus qui ab Vladislao missi fuerant. At ille vt erat vir acri & elato ingenio, ante omnia confirmatis suorum animis tolerandæ obsidioni, factaque spe affuturi properè subsidij ex Austria & Boëmia, ne alicui deesset occasioni retinendæ reginæ in sententia, si fortè propter efficaces conatus Vladislai, animus eius demitti cœpisset, cum videret se cum suis imparem, aperta eruptione constituit clàm euadere in Posonium. Cum paucis igitur silentio noctis profectus per hostium stationes, moxq; Rauo superato, in insulam quæ non procul à Danubio circumplectitur, quàm occultißimè se transtulit, ratus illac commodè se elapsurum ad reginam. Quare ab hostium speculatoribus comperta, missi sunt illico cum Lescone Boritio impigri & expediti aliquot milites, qui insequerentur comprehenderentq; fugientem. Sensit & Comes patefactam fugam suam, & sequi à tergo hostes. itaque diffidens euadendi celeritati, latendo illos fallere instituit. edixit ergo suis quòd ab insequentibus se facilè capi paterẽtur, subindeq; à domino suo, qui in oppido remansisset, missos se cum mandatis ad reginã profiterentur. nec mora, in siluam, quæ profundißima erat, ipse se immisit. captis è familiaribus nonnullis, cum singulorum asseuerationi vnum congruens ferè persuaderet, inquisitio à Polonis propemodum omittebatur. tum Samscia quidam haud militaris disciplinæ rudis, eos astuta argutia increpuit, tãquam desertores domini sui, qui per imprudentiam minimè noscitantium eum, haud procul in silua foret interfectus. Ad eam vocem bene simulatum mendacium aperuere humani affectus. itaq; instaurata diligentius inquisitione, erutisq; hincinde omnibus latebris, tandem à Lescone ipso inuentus est Comes, & captus: móxque cum ingenti militum gaudio in exercitum subindeq; ad Vladislaum Budam productus est. Cum exhiberetur in conspectu, nõ solùm vtriusq; gentis principes conuenerant, sed promiscua etiam omnium ordinum multitudo partim miserantium præsentem viri cõditionem, memoria pristinæ dignitatis, partim asseuerãtium verè iustum humanarum rerum inspectorem Deum esse, qui debitas ab eo perfidiæ pœnas expetisset. Ille nihil purgans, oblitusq; insitæ & ingenitæ ferociæ, submissa & effracta nimium voce ac gestu veniam precatus est: Vladislaus autem minimè duro vultu supplicem alleuans: Maluissem, inquit, vt fides tua te amicum

Iaurinum ab Vladislai exercitu obsidetur.

Stratagema Samsciæ.

Comes Ciliæ captiuus Budam ad Vladislaum perducitur.

Vladislai ad comitem oratio.

amicum huc adduxisset, quàm felicitas mea captiuum. Idq; factum foret proculdubio, si ambitio expugnata, animi tui fide & constantia non extorsisset, vt debiti mihi principatus vicarium te potius quàm socium esse velles. Nunc quando fortunam meam potius quàm beneuolentiam & experiri, & vana spe beneficij in me tui gratias corrumpere placuit, impugnando iudicium quod de me feceras, cum vnanimi omnium consensu electus sum qui apud vos regnarē, placidè feres, si ego vicissim erga te magis factorum tuorum præsentium, quàm electionis, à qua nulla mea culpa defecisti, memor esse cogar. Moxq; in custodiā tradi iussit. Postridie Vladislaus, seu periclitantis ciuili tumultu Lituaniæ discrimen solicitum haberet, seu patrij regni desiderium malè ferret, seu abhorrens ab immanitate intestini belli, quod gerendū illic videbat, seu cupidus denuò coramq; experiri qua tandem mēte Hungari erga se forent; conuocatis in arcem omnib quorum auctoritas aut publicè aut priuatim eminebat, huiuscemodi orationem habuit: Satis intelligebam, cum me apud vos regnatum vocaretis, non mihi, sed necessitatib. vestris id tribui. Sed neq; id oratores ad me missi dissimulauerunt, & plerique ingenuè subinde professi estis, cum tamen benignitate Dei maiorumq; meorum virtute longè lateq; haberem vbi feliciter regnarem: stabiliendi res vestras curam susceperam magis, ne fidem meam in periculo suo implorantib. vicinis fœderatisq; deessem, quàm quod amplitudini meæ necessarium putarem. sed & quieta omnia domi consentientesq; inter se voluntates vestras nunciabatis. Quidquid vero laboris ac periculi bellicis actionibus exhauriendum esset, ab eo hoste imminere, cuius impetus frangere ac retundere, longè pulcherrimum & gloriosum foret apud omnes populos & nationes quæ religionem nostram profiterentur. quæ sine inuidia loqui liceat, multo secius se habent: quippe quod ex vobis multos ab inuicem video dissidentes: & longè maior dimicatio domi proposita apparet, quàm timeri foris potuerit. itaq; distrahitur sæpe animus in diuersum, cum vel desistendum ab incepto, vel præbendum me ducem in ea acie, quæ propemodum ad parricidium sit animata, considero. cæterùm ex vestra simul & mea re magis esse videtur abstinere, quàm per intestinum bellum ad propositam mihi per vos spem peruenire. Occurrit enim iam nunc animo totius belli species. Video vos gentem vnam, non vt multæ aliæ, ex conuenarum multitudine casu congregatam, sed vnius linguæ stirpisq; ac propemodum familiæ circumspectos. vos singulos & vniuersos, adeò estis inter vos iuncti sanguine & affinitatibus, vt veriùs domus vna quā natio dici possitis. Nemo vnus ex vobis violari potest, quin eius iniuria penè ad omnē pertineat, atq; in illūipsum qui intulerit per quendam veluti circuitū cognationum redeat. hanc vnitatem coniunctionemq; sanguinis inter vos, quam vobis semper profuisse, mihi verò inprimis profuturā externo bello submouendo existimabam, distrahi in diuersum, violariq; mutuò, non aliud mihi quidē videtur, quàm naturā ipsam, & quidquid in ea venerabile sanctūque est, euertere. Dubius est (vt aiunt) euentus belli. sed blandiamur nobis & succubituros armis nostris aduersarios concedamus, post fratrum paren-

Oratio Vladislai ad Hungaros.

túmue ac cæterorum propinquorum exhaustum sanguinem. Restat, vt si Turcus lacessierit, aduersus illum nos producamus ante omnia intestinis cladibus debilitatos. sed & plerosq; cognati aut propinqui cuiusq; cæde imbutos. quam spem victoriæ mihi proponitis tam nefariè cruentum agmen & suorum strage ac vulneribus conscèleratum educenti? Deus meliora velit. non ætas, non fortuna mea ea est, vt per tam abominandam dimicationem properandum mihi censeam ad spem maioris amplitudinis. Nec corpus, nec virtus, aut animus deerunt gerendis honestiorib. bellis. nunc antequàm mutuis sceleribus coinquinetis manus, dum integræ adhuc regni vires, & nondum cruentatis armis inter se conciliari possunt vel ad retinendam simul pristinam dignitatem, vel ad patronum concordi voto deligendum, tum grato erga vos animo meo dignissimum, tum rebus meis vestrisq; conducere arbitror, vt ego, propter quem tumultuari cœpistis, retrò iter flectam. facilè, vbi ego abfuero, in gratiam mutuò redibitis. Et quod in magnis discriminibus aliàs sæpe fecistis, minimè difficulter rationem initis publicæ salutis expediendæ. Quòd si ad me rursus confugiendum censueritis, tam primæ quàm secundæ euocationis vestræ memor, enitar vt in cessione hac mea nihil aliud à me quæsitum intelligatis, quàm salutis vestræ remedium. Interim assequar vt haud perpeti potuisse dicar in gratiam meam periclitari fœderatum & bene de me meritum regnum: & rem Lituanam sic constitutam, vt multo liberius, si opportunum duxeritis, incolumitatis vestræ curam denuò subire possim. Verba Vladislai cum summa laude moderatissimi animi accepta, plerisq; etiam lacrymas excussere. Cum verò vt liberius consultarent, è conspectu abiturus assurgeret, voces vndiq; auditæ asseuerantium neminem magis interesse oportere, quandoquidem vsque eò afficeretur rebus ipsorum, vt amplitudinis & gloriæ suæ videretur oblitus: vel ex eo dignissimum esse quem regem apud se vellent, quòd salutem regni anteferret cupiditati regnandi. Non tantum sperasse, quando eum elegerant. Nunc veram in eo fidem regiámque virtutem experti, non commissuri sint vt prudentiores in eligendo, quàm constantiores in conseruando sibi rege fuisse dicerentur, & iam rursus Vladislaus assederat, cum cæteris haud sanè ciuiliter neque in consultantium morem studia sua offerentib. silentium fecit, exaudita vox Hunniadiani, ille peregrini Regis euocationem contra imminentia discrimina velut in necessitatem reyciens, ne priusquam posthumus coalesceret, aut externo bello aut domesticis seditionib. regnum succumberet, quicquid in eo eligendo actum dictúmue esset, consilia tempori accommodando, deliberatè factum. Si quid contrà ab aliquo tentatum, aut humano errori, aut supervacuæ fidei erga regiam stirpem ascribendum prius asseuerauit. Tum satis se scire inquit, supra muliebrem sexum constantem reginam esse, verum haud facilè desistere ex toto à naturalib. affectibus. Nata sibi præter spē virili prole, indulgendū, vt matri, si pro filio solicita foret, si quæ saluberrima sibi ac regno essent nō prospiceret, tolerandum in fœmina: non alios ad eā conuenisse, quàm quib. tāti incœpti vtilitas nondū satis intellecta foret.

Quos

Euentus orationis Vladislai.

Consilium Hunniadiani.

Quos publicæ opportunitatis ratio ad Vladislaum congregasset, eos exploratam iam virtutem eius in fide retenturã, eos etiamq; ipsos licet haud sanè multos errore iudicandi, aut officio erga reginã in diuersum abstractos, plurimorum consensum reuocaturum: facileq; vbi noui regis tam singulares animi corporisq; dotes vulgarentur, sese illi dedituros. longè maxima difficilioraq; transacta: teneri iam Budam sedẽ regiam, tum Comitem Ciliæ, cuius vnius spe maximè regina elata ad tumultuandum foret, felicitate publica in potestatem datum. Reliqua sine armis, sine cæde ac sanguine in deditionẽ ventura: non futuros qui vim potius quàm clemẽtiam regis vellent experiri, præsertim quòd longè impares viribus, nedum victoriæ, sed ne tuendi quidem se spem concipere possent. Non facturum regem ex instituto grati animi, si tam benè de se meritos in eo tumultu destitueret, præsertim quòd longè plus periculi ex discessu suo immineret. Nam & regina partes quosdam pertinacius subinde defensuros: & quos ratio publicæ salutis ab illa abduxisset, acrius in proposito permansuros. facile ita Turco fore mutuis seditionibus occupatos, & à defensore destitutos aggredi & expugnare. sed vt cum regina in gratiam omnes redijssent, sine duce, sine capite tam grauis belli impetum minimè laturos, fieri posse, vt aut tædio aut pudore muliebris dominatus se ad alium quempiam conuerterent, in cuius potestatem venisse Hungariæ regnum, Poloni postmodum grauiter ferrent. sed neque honestum regi, ad suos alienósue talem reditum fore. Nemini verisimile appariturum ob aliam causam tam inclytum regnum omissum, nisi quòd aut regere aut tueri posse desperasset: rogaréque per salutẽ vtriusque gentis & regni, vt in proposito perseueraret, & benè initum columen vtriusque nationis constanter expediret: omnia breui & quieta sibi & libera fore. qui adessent scire eos satis paratos iam tum præsentem ipsum denuò regem dicere ac cõstituere, & iureiurando fidem atque obsequium despondere. Non altius verba quàm auctor in animum Vladislai descenderant, propter insitam eminentemq; in viro indolem: sed & subsecutæ vniuersorum acclamationes, flagitantium ne se in tam discriminosa conditione desereret: & cum dicto, vnanimi consensu se ac sua omnia illis committunt deduntq; fidei & auctoritati: regemq; iterum ipsum decernunt & cooptant. nec mora, cœpta est eius coronandi consultatio: sed occurrebat difficultas vetustæ consuetudinis & religiosè ad id temporis seruatæ, quòd sacra ad eam rem corona in potestate reginæ erat. Nec placebat committere, vt videretur ad eiusmodi solenne in qualibet corona tantundem momenti inesse. Itaque cum neque spes foret persuaderi aut cogi subitò reginam posse, nec vellent cæremoniam coronandorum regum vulgari per nouas coronas, ad illam quæ maximè proxima sacræ apparebat, confugere constituerunt, pro temporis ac rerum necessitate. ad eam rem corona, qua sancti Stephani primi Hungariæ regis caput exornatum fuit, ceu veræ virtutis exemplar atque incitamentum post ipsum regnaturis, religiosissimè seruatur. in ea disceptatione multa probra iactata in Ladislaum Garam, cuius maximè permissu regina coronam sacram interceperat, agréque

Hungari Vladislaum iterum decernũt & cooptant.

S. Stephanus primus Hungariæ Rex.

à vulneribus & cæde temperatum, intercedente rege propter fidem acceden di se liberè obligatam: captus tamen est & custodiæ traditus. Cumq́; Rex deprecaretur, & fortunæ se quàm fidei iacturam facere satius diceret, vix post triduum vt liberaretur, impetrauit. amotus est tamen præfectura Visegradi: subrogatusq́; in eius locum Vincentius Scamatulicus. Regina interea cum se orbatam consilio, actionesq́; suas magna ex parte debilitatas videret, capto abductoq́; in custodiam Comite Ciliæ, & labante iam suorum fide, post defectionem Strigoniensis, id quod minimè in tanta muliere suspicandum arbitror, sunt qui insimulent ad fraudem animum adiecisse: propositaq́; ingenti mercede, si facinus transigeret, adegisse quendã ex suis, quem sibi cumprimis fidum credebat, vt Budam se conferret, & Vladislaum quoquo modo veneno extingui curaret: Sed cupiditas eadem quæ leue ingenium hominis ad partes suscipiendi facinoris adegerat, compulit etiam vt rem Vladislao aperiret, spe cumulatioris remunerationis, quàm foret precium, quod pro scelere contempsisse videri volebat. Id seu non credide rit, seu credere dissimulauerit, ne si veneno in se grassatam reginam affirmasset, spem omnem reconciliationis in posterum excluderet, Vladislaus hominem execratus, quàm scelestum & falsa indicantem, è cõspectu suo abire iussit. Verùm primores procerum vbi nefas quod attulerat agnouêre, per omnes cruciatus excarnificandum robustissimorumq́; deinde equorum caudis illigandum, in partes quatuor distrahendum tradidere, iustissimas ab eo pœnas exigentes, siue vera siue falsa detulisset. Itum deinde Albam regalem, vt Vladislaus coronaretur, quò perlata iam erat ex Visegrado arcula in qua custodiuntur ornamenta ad cæremoniam coronationis religiosa. Quibus in medium prolatis, adiecta est, prout conuentum statutumq́; erat, sancti Stephani corona. Proditum memoriæ est, cum primùm Hungaria regni nomen accepit, sacram coronam induuiasq́; initiandis regibus religiosas sancto Stephano primo Hungarorum regi à Romano Pontifice cœlitus monito destinatas seruatasq́;, deinde solenni custodia, veluti faustum auspicium futuris regibus, eadem qua ille regni felicitate coronandis: ordinem verò ritumq́; initiandi illic regem talem vetusto more seruari: Sacrificante qui in Hungaria summus est pontificum, circumsistentibusq́; omnibus ad quos regis pertinet nominatio, in templo quod augustius est in Alba regali ad altare sistitur qui rex futurus, statimq́; à Canonicis exuitur. deinde pontifex precationes solennes præit, quibus regno regiq́;, cuius caput dextra tenet, Deum propiciet, veniamq́; & pacem impetret, vt fœliciter fausteq́; publicè ac priuatim sibi, oppidis, vicis, ciuitatibus, populis, nationibus ineat geratq́; regnum, facultates fructusq́; multiplicet, fines & imperium propaget, auctoritatem denique & gloriã augeat. Tum manus eius dorsumque arcano oleo perungit, & mox vestiri iubet. Ornato deinde sacris induuijs, crucem inprimis tradit, per quam significari volunt, ius apostolicæ legationis in designandis Episcopis ab ipso initio regibus Hungariæ permissum a Romano pontifice. Deinde sceptrum pomumq́; aureum & vexillum regia insignia exhibet, & vniuscuiusque inter tradendum

Consiliũ init Regina de veneno administrando Vladislao.

Iustissima proditoris pœna.

Ritus Hungariæ Regem coronandi.

sacris

sacris verbis interpretationem prosecutus, tandē prolatis in medium regni legibus institutisq́, exigit vt in verba ipsorum iuret. Ille vbi in ea qua concepit Pontifex verba iurauit, illicò coronatus suggestum ad id preparatū conscendit, & plerosque in equestrem ordinem cooptat, vt intelligatur regnum ab armis auspicari: nihilq́ prius maiúsue apud reges esse oportere ratione incrementóque militaris disciplinæ: cætera ornare, illam tueri & augere imperia. In eodē apparatu postea procedit ad templum Diuis Petro & Paulo consecratum. ibi in tribunal se recipit, & cōtrouersias aliquot audit & decidit, vt secundum rem militarem, iustitiam præ omnibus colendam & sciat, & doceat. Tandem sublatus in equum, postquàm ciuitatem lustrauerit, progreditur extra portam ad Diui Martini ædem, turrimq́ illic altißimā conscendit: & quàm maximè potest protenso extra turrim brachio, ad quatuor mundi partes nudatum ensem porrigit, quasi vndiq́ regnum tutaturus, aut certè illius fines & ditionem propagaturus. vbi verò in ciuitatem rediit, solennia conuiuia celebrantur, strepúntque publica gratulatione viæ ac domus omnes. quibus omnibus vbi Archiepiscopus Vladislaum de more coronauit ritè atq́ ordinè seruatis, postridie ex vniuersorum qui conuenerant sententia constitutum, vt corona sancti Stephani cum sacris induuiis reconderetur asseruareturq́ ad futuros reges initiandos, si nō contingeret recuperari sacrā. Abrogata deinde posthumi coronatio, & ne quis eum pro rege duceret, edictū ab Agriensi Episcopo, cuius vsq́ ad inuidiam auctoritas apud Vladislaum eminebat. Nouum ei sigillum regni commissum: & ne qua fraus errórue committi posset, veteris sigilli fides exauctorata: pronunciatumq́ ad populum, ne literis aliquibus præterquam nouo sigillo signatis crederetur. præterea vt omnes immunitates priuilegiáque à prioribus regibus concessa, eiusdem sigilli fide confirmarentur. Multorum qui de regno aut de rege benemeriti dignitas & conditio adaucta, cæteris spes facta, modò se dignos exhiberent, in quos liberalitatem suam rex exerceret. Paulò post cum haud magni discriminis negotium superesset pacandis reliquiis tumultus à regina concitati, satisq́ sine externa ope virium affuturum constaret, plurimi Polonorum cum bona regis venia retrò in patriam abiere. Regina verò cognita Vladislai coronatione, multis dirisq́ imprecationibus Hungaros execrata, quòd in re simili longè se dispares Polonis exhibuissent. Ab illis namq́ impuberem regem cum summa fide educatum, nec solum intra paternū regnum cultū sanctißimē, verumetiam cum suarum rerum discrimine strenuè productum ad poßidendum aliena. Ipsos verò legitimum dominū paulò antè ab se coronatum Alberti regis filium, & eundem Sigismundi nepotē, per summum scelus paterno & auito regno exturbare, peregrinumq́ apud se præter ius fasq́ regnaturū admittere: & quia viriū plus haberent pro libidine sua, tum fœminæ sibi, tum infanti regi, quos cum maiorum meritis & sexum & ætatē tutari oportuit, insultare. Oblitos vindicem Deum certè longè magis quàm ipsos posse ac pollere. Submißisq́ deinde qui clàm circumeundo ciuitates, quoad fieri posset, populorum in fide manentium animos confirmarent, consiliúmque illis suum aperirent,

Posthumi coronatio abrogatur.

Regina cum posthumo & sacra Hungariç corona in Austriã proficiscitur.

aperirent, ipsa in Austriam commigrauit. Et Frederico Imperatori paruulum suum, sacramq́ Hungariæ coronam commendauit. Qui vt pote patruelis curam posthumi & coronam haud grauatim suscepit. Ipsa deinde freta nonnullarum vrbium constantia & fide, non desistit procerum quoque voluntates clandestinis nuncijs ad se acclinare: cum Australibus verò ac Boëmis congregandi exercitum consilia inire, vt quoquo modo Vladislaus Hungariæ exturbaretur. Interea Turcus per occasionem intestini belli Hungariam facilè à se occupari posse ratus, Belgradũ oppugnare adoritur: & cum parum vno atq; altero impetu profecisset, obsidendo in potestatem redigere volebat. Id oppidum inter Danubium Sauumq́, vbi commiscentur, sic est situm in cliuo, vt ab vtroq; amne inferiora eius abluantur, siquidem quà Eurum spectat, in ripã vsque latè proneq́ deuexum, desinit in Danubium: quà Austrum excipit, Sauus allabitur. Reliqua ipsius per cliuum extensa, muroq; & fossa velut diuiduntur à continente. itaque fabricatis nauibus, quibus in vtroq; flumine adhibita custodia tam subsidia quàm cõmeatus arcerẽtur intercíperenturq́, Turcus castra sic ex aduerso metatus est, vt nemo omninò ab obsessis emitti induciue posset: sibi verò quotiens libuisset, murum aggredi ac tentare facultas foret. nec subinde desistit aut opplere fossas, aut machinis quassare muros, coædificatis etiã ligneis turribus ère-

Belgradum Turcus aggreditur.



gione propugnaculorum arcis, ad defensores è muro exturbandos. Cum interim sui quoq; inopia cõmeatuum afficerẽtur, neq; appareret diuturnam moram obsidionis toleraturos, quandoquidẽ passim in exercitu exaudirentur querelæ fame extabescentium: solumq́, id ne tam tum oppugnatio intermitteretur, retinebat, quòd desperato suorum auxilio, propter intrinseca

certa-

certamina, quibus regnum agitabatur, minimè credibile erat oppidanos diutius se defensuros. Præfectus iampridem cum valido illic præsidio erat Ioãnes Vranus, vir audax, & rei bellicæ peritus, quippe quòd Florentia ortus atq; oriundus, Tusco ingenio Hungaricam ferociam adiunxerat, constabatq; strenuè oppidum defendi vndiq;. Sed cum veluti de porta regni ea in oppugnatione agi omnes sentirẽt, Vladislaus cum censuisset Turci conatus retundendos, dum copias colligeret instaretq;, memor expetitæ paulò ante à se amicitiæ, oblatiq; sibi sponte in rebus suis difficilibus auxilij, ante omnia per legatos de dissoluenda obsidione agendum putauit. Missi igitur, Dobrogosius, Ostrorogeus, & Lucas Gorcensis, qui renouata memoria legationis, vltrò Cracouiam missæ, petitum fœdus atq; amicitiam, cum asseueratione submittendæ opis ad Boëmiam expugnandam, si ex vsu suo Polonus esse censuisset, profiterẽtur, meritũ benignæ adeò in se voluntatis tam altè in animum Vladislai descendisse, vt bellum quod inferebatur, non prius armis propulsare voluisset, quàm vicissim pacis & beneuolentiæ mutuæ consilia proponeret. itaque si Turcus abstinere vellet ab infestanda Hungaria, quæ Deo atq; hominibus volẽtibus iam Vladislai facta esset, facile fore vt de fœdere conuenirent, in quo ineundo seruandoq; daturũ Vladislaum operam, ne pacis studio aut officiorum cõmutatione inferior deprehenderetur: quod si arma mallet, & vires experiri, annixurum, ne illis etiam quoquo modo vinci contingeret. Turcus vbi ea audiuit, legatos quasi subducerentur ab omni occasione iniuriæ, inter tot armatos infestosq; & commodius dum deliberaretur habitarent, in Sunderouium perduci commisit: certus secum prius omnia experiri & tentare, quàm illis responderet. itaque deditionis spem prius aggrediens, captatis colloquijs maiori quàm aliquando ambitu, ad defectionem sollicitare cœpit. Sed & literæ sagittis illigatæ passim supra murum à militibus excutiebantur in oppidum, ingentia defectionis præmia continentes. Verùm vbi nihil pacati ab aliquo respondebatur, aduocata concione: Pax, inquit, cuius ab hoste mentio illata est, detur, nec ne, licet in me situm intelligam, placet tamen & sententiam vestram milites cognoscere: quandoquidem id bellum gerimus, in quo cum felicitate humana, cuius ego principatum apud vos teneo, periclitatur: etiam religio sanctitasq;, quarũ tutela & cura ex æquo ad omnes pertinet. Quippe quod vt multũ forma viuẽdi distemus, eandem post obitũ omnes beatitudinem speramus. Itaque velim cuncta quæ dixero, sic à vobis accipi, vt quæ non à mea, sed ab vniuersorũ publica opportunitate proficiscũtur. Nam quod ad me priuatim attinet, tantũ in Asia, tantũ in Europa possideo, vt, quod abominor dicere, pars altera minimè pudendũ regnũ videre queat, conseruandisq; meis plus curæ quàm operæ subigẽdis alienis, fortunam meam fortasse insumere decet: vestrùm magis est videre an sua cuiq; sufficiãt: & quàm rata diuturnaq; sentiatis, præter id quod cum humanis fortunis sacra & diuina omnia sunt à nobis aliquando omittẽda, si vltrò nunc arma deposuerimus. Petit enim hostis à bello absisti, & tum demum de pace cõueniendum censet. omitto indignitatem, quod obsidentibus armatisq; obsessi & inermes, fortibus

Ioannes Vranus præfectus vrbis.

Legationem Vladislaus ad Turcicum exercitum mittit.

Turci Oratio ad milites.

tibus & exercitatis, imbelles ac desides pacem pollicētur: Omitto quantum laboris in molienda obsidione construendisq; operibus, quantum deducendis fabricādisq; nauibus sit exhaustum. quæ omnia hostis quasi vinctos nos inclusosq; iam teneret, deseri iubet. Bulgaria omnis & Rascia pars maior, armis nostris iam pridem paret. In Seruia etiam pleraque ditionis nostræ fecimus: quæ omnia vel retinenda sunt, vel vnà cum illis cætera quoq; in Europa possessa relinquenda. Quicunq;, quod planè etiam hostis intelligit, habuerit in potestate oppidum quod obsidemus, habet non solùm quoddam veluti pignus & stabilimentum rerum suarum, sed arcem etiam & munimentum efficacissimum alienis subigendis. Scissum est inter se nunc regnum, laboratq; domesticis seditionibus. Nec tantum viriū adiecit res Polonica illi coniuncta, quantum detrahunt intestinæ factiones: ac pacis mentione facultas tempusq; illis sedandis quæritur, vt nos integris geminatisq; subinde viribus aggrediantur. Si re infecta obsidionem dissoluemus, facilè nectendo causas tamdiu de pace non consentient, quoad certaminibus domesticis aut Vladislai felicitas, aut Hungarorum voluntas & ratio sanior finem imponet: quas fœderis conditiones domū inter se conciliati & contra nos armati exigent, quando nunc mutuis discordijs periclitantes, & armis nostris penè oppressi, tanquam acie vicissent, oppugnationem prius omitti, quàm de pace agi æquum censent, aures iam nunc obtundunt superbæ petitiones de restituendis Bulgaria, & Rascia, tum cæterarum regionum vrbibus labore ac periculo nostro expugnatis: quodsi facere voluerimus, bellum quod aduersus discordantes inter se mutuisq; certaminibus occupatos per occasionem nostram nunc gerimus, inferent nobis, non solùm vnanimes tunc Hungari, sed adiecti etiam illis Poloni. quod etiamsi pacis studio tam pudendas & miseras restituendorum omnium quæ repetent cōditiones suscipere possemus, nunquid contentum suis Despotum quieturum postea putamus? Cuius animus, certum habeo, elatus coniunctione inter se virium duorum adeò præpotentium regnorum, non solùm recuperandis amissis, imminet: sed quicquid vbique in Europa nostrū est, iam nunc sperat. Non prius sibi satisfactum putabit, quàm adducto contra nos Hungarorum Polonorumq; impetu, eandem ferro atque igne sæuiente in agro nostro vastitatem intueatur, quam à nobis in suum illatam prius vidit. Quòd si belli fortuna (omē auertat Deus: sed tamen fieri potest) consilijs suis affuerit, præter omnia fœda & indigna, quæ ab irato victore timeri debent, pium sanctumq; apud eos est, dira infandaq; in gentem nostram exercere, nisi à sacris religionibusq; nobis à maioribus nostris traditis desciscamus, in nouos incredibilésque ritus degenerando. Neque alio sacrificij genere aut obsequio Deum cōciliare sibi faciliùs efficaciúsque posse arbitrantur, quàm si templa quæ colimus, diruant & profanent: si sacrosanctis arcanis & cæremonijs illudant, si numinibus & sacerdotibus nostris insultent. & vt omnem rabiem quæ in nos & sacra nostra grassantur, deprehendatis, inter sanctos referunt omnes qui nobiscum pugnando trucidantur. Non est, milites, quòd per vanā spem pacis expectemus, dum colligit vnitq; vires, dum se armat. Is hostis, qui non

prædam aut humanam laudem, sed immortalitatem ipsam præmium victoriæ ponit. longè plus laboris insumptum est quàm supersit. foueas tumultuario opere oppleuimus, & propugnacula ereximus, quæ muro imminent: cuius etiam partem machinæ solo æquauere, vt semiapertum iam oppidum esse videatis: & id sanè oppidum, per quod nostra omnia tuta pacataq; nobis reddantur, hostibus verò sua infesta, prædæq; ac populationibus nostris exposita remaneant. Si parumper annitimini, si fœlicitatis virtutisq; nostræ memores, cogitabitis delubra, sacra, religiones, cæteraq; diuina & humana fundari nobis, quando cras hostilis muri fundamenta demoliemini, vicimus, milites, non in præsens modò, sed in perpetuum. Quòd si nihil aliud quàm certissimam rerum nostrarum securitatem, hoc certamen foret nobis pariturum, satis dignum præmium esset, pro quo pericula omnia subire alacriter, mortemq; etiam ipsam fortiter lacessere deberemus. Sed vt victoria hæc nostra omnia velut septo quodam & muro nobis munit, sic hostilia ad prædam patefacit ac denudat. Hactenus cum natura luctati sumus in confragosis præruptisq; Bulgariæ atque Rasciæ montibus. Fames, sitis, labor, desperatio, vincenda fuit. Vicimus, non alia mercede illecti quàm vt beatæ Hungariæ opulentiam aliquando attingeremus. hinc iam militiæ nostræ præmia, hinc gloria initur. Ad portas peruentum est: quibus patefactis, non saxa inaccessa, non inuiæ solitudines emetiendæ nobis, sed per loca natura ipsa & humano cultu longè amœnissima ingrediemur. hominum iumentorumq; omnis generis alimenta passim, non ad necessitatem, sed ad luxuriam cum vbertate soli, temperies cœli, aquarumq; abundantia suppeditat. Quidquid alibi operosa cura vix educat, illic sponte sua fert terræ benignitas: vt credi possit, naturam colendi agri cæteris regionib. exemplum daturam, præcipuo quodam cultu Hungariam excoluisse. Sed neque vsquam liberaliorem indulgendis diuitijs fuisse constat. Aurum enim quod alij mortales rarissimis in locis laboriosissimè effodiunt, Hungari velut quoddam virgulti genus etiam pullulans decerpunt. Vestrum est, milites, an ad ea omnia perpetuum vobis aditum cras aperire, an hostibus ad vestra patefactum relinquere velitis. Memineritis subeundo murum omnem beatissimæ fortunæ opulentiam, sine alio munimento, sine præsidio, sine custode, post illum vobis ad prædam expositam. A tergo verò esse liberos, coniuges, lares vestros, delubraq;, & religiones, simul & victoriarum vestrarum præmia: quibus nisi in oppidum transcendatis, ira & libido quantum victorib. licet, per omnia dira & nefanda mox sit insultatura. Ego prout vos pugnantes videro, quam mentem vel ad imperandum, vel ad seruiendum habeatis, simul quid superbissimis legatorum postulatis respondendum sit, intelligam. Vos interim curate corpora, & quæ ex vsu sunt, cum armis expedite, vt simul cum luce cras murum aggrediamur. Digressi milites à concione, non secus ac si cum victoria propositam quoq; eis prædam iam tenerent, alacres epulati. quod noctis superfuit, vt ad certamen vegetiores assurgerent, quieti dedere. Vbi illuxit, ad murum producti, malleolos cratesq; æquando itineri per fossas ligno ac

Laus Hungariæ.

Belgradi oppugnatio.

cespite coniecto iam pridem tumultuariè oppletas. nec minus scalas & vectes, caeterumq; excidendarum vrbium apparatum ferentes procedebant. Cum interim qui ex turribus ligneis pugnabant, haudquaquam defensores in muro consistere permitterent, & crebris sagittis hostem impetendo propè ociosum accessum suis exhibebant. Quod haud sanè ægrè ferebant oppidani. Certè enim fore existimabant, vt Turcus vim experiretur, si deditionis spes non succederet. dum itaq; ille ad defectionem allicit, ipsi partes oppidi ad flumina porrectas contra naualem impetum hominibus propugnaculisq; & machinis, ignem aut lapides excutientibus, tacitè firmauerant. Ex parte verò altera quantum muri tormentorum vis aperuerat, rudere simul & gleba strenuè propè iustam altitudinem coaedificauerant: & per noctis silentium pice, oleo, sulphure, incendiarioq; puluere, quantum copia fuit, ligna imbuerant, quæ temerè in fossas prouoluta erant. tum cætera omnia quæ aut res aut cogitatio subiecit adminicula defensionis prouiderant, parauerantq; nec in armis modò & missilibus, sed in obsequiis quoque & parendi studio. itaque cùm eo incautius quo licentius Turci ad murum properantes constitissent in cratibus quibus iter substrauerant, coorti repentè à muro oppidani, faculas aliumq; multipliciter paratum missilem ignem contorquendo, terrorem ingentem prius, mox haud minorem stragem intulere. Excitato pluribus in locis incendio, & vno veluti momento per omnem quam calcabant materiam sic propagato, vt neq; in eodem vestigio impunè perseuerare, neq; progredi, neq; regredi facultas esset, tetra ibi luctatio formidoq;. nam turres etiam ignem conceperant, trepidabaturq; in castris, in quæ fumum flammamq; conuoluebat aura quam matutinis temporibus flumina exhalant. Quæ res ab incendio imminente oppidum seruauit. Ruptis igitur conturbatisq; ordinib. quisque saluti suæ expediendæ intentus, circumspectare vndiq;, arma abiicere: & quà propius liberiusq; effugium in tanto malo apparebat, excursare. Sed ignis tam suo quàm auræ impetu temerè per materiam incendio præparatam voltans, aut fugientes perstrictis in cursu neruis retinebat, aut exitum per quem effugere properabant, praeueniendo occupabat. Sed & quibusdam fumus prospectum ad fugam, quibusdam conturbatio etiam mentem abstulerat, absumebanturq; ab igne, quasi subitum noua rei discrimen immobiles reddidisset. Pauci ex vltimis ordinibus & iidem ambusti debilitatiq; in castra refugere. Cæteros ingenti numero consumpsit incendium, cum reliquo totius oppugnationis apparatu. neque verò à nauibus felicius pugnatum, quarum nonnullas vis lapidum tormentis efflata dissipauit, nonnullas ignis implicuit; reliquas ferè aut remigum gubernatorumq; consternatio, aut conatus recipientium se à periclitantibus ad integras naues, quàm longissimè ab oppido naufragas exegit. Ea clade perculsus Turcus, quasi non ope aut consilio humano, sed à numine aliquo suis inflicta esset, grassanteq; etiam fame, supra quàm vt sine tumultu & seditione in exercitu ferri iam spes esset, obsidionem dissoluere constituit. Sed & fama erat exercitum satis validũ cõgregatũ iam à rege ad Segedunũ, ac-

cursu-

cursurumq́ propediem, tamen ne animandis hostibus signum aliquod trepidationis ostenderet, legatos in castra reuocatos, minimè benignè allocutus est: Asseuerans se tum demum pacis mentionem auditurum, si Vladislaus cessisset ea particula Rasciæ quam tenebat, & Belgradum sibi veluti obsidem pignusq́ fœderis vacuum tradidisset. Abscessurum se tum quidem ab obsidione, vt consultandi spacium Vladislao exhiberet, suadere vt malit ea conditione in amicitiam recipi, quàm negando pauca quæ postulabantur, de summa vtriusq́ regni disceptare: petere se ea quæ iure belli sibi deberentur, priusquam Vladislaus foret in Hungariam accitus, nec potuisse Hungaros id quod ipsi non habebant ius, in alium transfundere. Si Vladislaus perseueraret, malle de alienis contendere, quàm sua quietè possidere, affuturum se in tempore, & secum vnà inspectorem vindicemq́ iustitiæ Deum. Ea denunciatione, tum etiam quia domi haudquaquam ocium à regina fore apparebat, rex adactus est mittere in Poloniam nunciatum quo in statu res Hungarica esset, & quæ belli moles à Turco immineret, petitumq́, vt miles & pecunia in stipendium mitteretur. Decretus est ad eam legationem Sanoceus, cuius eloquentia non minus quàm rei necessitas persuadebat, facilè posse postulata impetrari. Polonorum primores sub aduentum ipsius cõuenerant ad Gorcinum, quos ita allocutus perhibetur: Referre vobis quæ in Hungaria feliciter transacta sunt: & quàm non longè absumus, vt difficilibus omnibus superatis: nostra ociosè, aliena verò vtiliter ac tutò possideamus, intelligo esse hominis qui foret oblitus, quanta animi magnitudine etiam per omnia discrimina regnum illud obtinendum censueritis, simul putantis apud animum vestrum plus consequendæ dignitatis commoditatem posse quàm gloriam. Nunc quando adhuc insonant auribus meis magnifica decreta vestra, nullius vel laboris, vel periculi habendam rationem non modò fortunis, sed sanguine etiam ac vita adiunctæ rebus vestris Hungariæ laudem paciscendam. Non dicam propè esse, vt regis vestri virtus & felicitas voti compotes vos fecerit. Emperiascium interceptum: & Budam caput regni obtineri, tum Comitem Ciliæ, à quo omnes actiones consiliaq́ reginæ inprimis pendebant captum vinctumq́ sub custodia esse: à Despoto autem & rege Bossinæ legationes aduenisse, petentes amicitiam, & obsequium pollicentes. Præterea omnes penè Hungaros optimates fortunæ regiæ se dedisse, imperataq́ facturos, archiepiscopúmque & cæteros qui in primo tumultu reginam secuti, rursus ad nos defecisse, & mox eorum omnium quorum maximè interest consensu, cum solenni cæremonia, illic quoq́ regem nostrum coronatum, iam eo vsq́ formidabilem omnibus, vt ad primam eius denunciationem Turcus ab obsidendo Belgrado discesserit. Reginam verò desperatis iampridem rebus trepidè cum filio in Austriam profugisse, relicto modico præsidio in Iaurino, & ipsum à nostris obsideri, pauculas denique ciuitates, quæ se in euentum muniuère, magis vestrum quàm reginæ nutum respicere, & iam minimo conatu illic debellari posse. Ista & alij prosperæ fortunæ successus iactentur apud illos, quibus non deus, non gloria, sed cupiditas

Responsio Turcici Imperatoris legatis Vladislai data.

Sanocei legatio oratio.

C 2 bellum

bellum suscipere persuaserit. at vobiscum sic agam? peruulgata est non in Europa solum, verumetiam in Asia fama, suscepta a nobis conditionis conseruandi tuendiq; Hungariæ regnum. Et tam illi qui inceptis vestris fauent, quàm qui aduersantur, suspenso animo sunt in euentum, vident omnes qui religionem nostram profitentur in manu vestra situm esse, stabiliatur néc ne in perpetuum, an paulo pòst intereat Christianum nomen. Contrà fore sentiunt profani, vt eorum superstitio aliquando deleatur, ipsi verò Europa omninò exterminentur si tanta constantia suscepto negocio aderitis, quanta animi magnitudine suscepistis. Nolite committere vt aut ij timuisse, aut illi sperasse frustra videantur. Cum sententiam de ijs quæ rex postulat, dicetis, cogitabitis vos esse velut in theatro humani generis: innumerabiles populos, infinitas nationes, vos circumstare, expectantes quam fortunam, quam conditionem sibi, liberis, coniugibus, parentibus, rebusq; charis alijs, tum aris, templis, religionibus, & sacris, ab hodierna die repromittant. Et simul cogitabitis, à decreto quod feceritis, non Hungariæ statum, sed totius penè terrarum orbis pendere. prout hoc, vel illud decernetis, ita ijs aut illis regionibus & gentibus, diuina omnia & humana rata esse permansura: licuerit fortasse vobis recusare, cum postularemini. Nunc haud liberum est non perpeti & facere omnia extrema, priusquam ingenti animo susceptam tantarum rerum curam deferatis, antequam in Hungariam regem vestrum mitteretis, consentiens ipsa inter se, suis viribus, suis opibus, multos annos veluti muros, ab alijs Christianis regnis Turcorum impetum submouit. In eius vicem vos successistis: & cum ipsius tuendæ negocio Christianæ quoque reipublicæ tuitionem subijstis, pedem referre neque fas est, neque expedit: quando eò peruentum est, vt cum Hungaria etiam vniuersa res Christiana aut prodenda sit, aut conseruanda. Non vacat referre, quàm multi pro dignitate patriæ vel retinenda, vel augenda, vltrò se morti obtulere: quàm multi etiam vnius à se seruati ciuis gloriam, quàm vitam maluerunt. Quòd si pro vnius aut ciuitatis maiestate, aut ciuis salute, bene impenditur vita, estq; id gloriosissimum: quanti comparanda est laus, qua vos omnis mortalitas efferat necesse est, nō vna ciuitate, sed multis regionibus ac regnis: non vno ciue, sed innumerabilibus gentibus & nationibus conseruatis, longè, vt sentio, minus præmium vobis proponebatis, cum de mittendo illuc rege ageretur. Et tamen cum difficilia multa domi forísque obijcerentur, maluistis cum omnium periculo eam, quam tunc videbatis, gloriam quærere, quàm tutè necessitatibus vestris incumbere. Quod si tantum sperassetis, exiguum mehercule tam immortalis gloriæ precium visum foret, non sua cuiusq; salus, sed cum fortunis omnibus liberorum quoque ac parentum vel vita, vel libertas, sed Deo propitio, non capitis, non libertatis à nobis subeunda dimicatio: paucis militibus, & haud magno stipendio, tam diuinam laudem consequi potestis, modò regem vestrum iuueritis. Id ab eo expetitur non fortunæ suæ, non virium, non gratiæ, non auctoritatis eorum qui se sequuntur diffidentia: sed vt sine ciuili sangui-

sanguine aut cæde potestati suæ illic se tradat, quicquid hominum ciuitatúmue magis adhuc deliberat, quàm repugnet: intelligitq́, quàm immortale odium intestina bella sequatur. Quantum vel virium, vel consilij domesticæ factiones, vbi gladium cruentauerint, detrahant, ad externas actiones videt se sola fama subsidiorum vestrorum posse illic debellare: & mauult beneficijs vestris integram iam nunc Hungariam debere, quàm paulò pòst armis suis dilaceratam possidere. Sed neque in re vestra est, regnum illud sic subigi, vt viribus suis prius conficiatur. Lacessitus est Turcus denunciatione regis, & sic ab obsidione discessit, vt qui mox multiplicatis viribus & numero copiarum sit affuturus. Si aut tum etiam discordans, aut iam tum mutuis seditionibus confectum regnum inuenerit, maiori conatu repellatis oportebit, quàm sint nunc in potestatem redingendæ ciuitates paucæ, quæ de se inter reginam regemq́, deliberantes propiores sunt, vt illius res profligatas deserant, quàm vt huius felicitati aduersentur: præsertim quòd earũ validiores finibus vestris obiectæ, & illinc à rege, hinc à nobis propè circumsessæ, fiduciam defensionis habere non possunt. Quòd si integris membris suis ac virib. regnũ id obtinebimus, præterquam quod nobis securis ociosisq́, vt semper antea & Turci impetus refringi, & res Christiana defendi poterit, licebit coniunctis viribus id quod Christianum nomen ab initio huius expeditionis sibi de nobis polliceri cœpit, vltrò bellum inferre, & diræ gentis nefandam superstitionem non solùm ab Europa exterminare, verumetiam in Asiam persequi ac delere. Proponite nunc vobis ex parte altera regnum celeberrimum ac ditissimum, non solùm vicinum vobis & fœderatum, sed tutelam etiam & munimentum vestrum. addite ipsius in vos recentissimum beneficium, quòd regi vestro sponte se subiecerit. Coniungite cum illo Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, Græciam, reliquasq́, omnes prouincias Christiani nominis. Cogitate vobiscum, quot in illis nationes, populi, ciuitates, vrbes, oppida, quæ publica, quæ priuata ornamenta, quot delubra, quot sacra, quot sacerdotia, quæ ciuitatum mœnia, quæ priuatorum ædificia, quàm multi principes, ac reges maximi, quàm innumerabiles illustresq́, virorum ac fœminarum ordines, quæ omnia cum rege vestro periclitentur. Ex parte verò altera sint non multæ copiæ militum & mediocres pecuniæ vestræ, quas rex à vobis postulet, vt suam & eorum quæ dixi omnium salutem libertatemq́, expediat. Nónne malitis sine spe aliqua milites ac pecunias tales perire, quàm tot támque insignes res atq, homines in discrimine versari. Quòd si nõ ad periculum aut iacturam expetuntur, sed ad societatem partæ iam victoriæ laudisq́, tantæ, quanta debetur tot regionum gentiumq́, ac ciuitatum seruatoribus, non videretur ex grauitate ac sapientia vestra, nunc tandem propè partam gloriam omittere, pro qua assequenda necessitatum vestrarum obliti, aliena tuenda vobis suscepistis. atq, ideò in decernendo iterũ atq, iterum cogitare, velitísne non solùm vos & vestra, sed vniuersam quoq, rẽ Christianam in tuto collocare. stipendio ac supplemento exercitus minimè multo, respectu magnitudinis gloriæ qua immortaliter celebrabimini,

cōseruata, cum regno de vobis benemerito, vniuersa Europa, & quæ in ea sunt humanis diuinisq; rebus omnibus, an per ignauiā & auaritiam discedendo ab expectatione de vobis excitata, cum rege vestros socios & fœderatos in periculo suo nunc destituere, & mox tanquam publici Christiani nominis desertores ab omnib. alijs despecti ac derelicti, à vobis verò proditi ac desperati, cum potentissimo hoste, vitæ ac libertatis vestræ dimicationem subire? Vbi ille obticuit, mitenda esse auxilia omnes quidem pari asseueratione censuerunt: sed quo numero, aut pecunia, aut miles mitteretur, ea fuit disceptatio. Erant enim qui vniuersas regni vires in expeditionem decernerent: & pacata Hungaria, statim contra Turcum prodeundū dicerent, dum trepidus adhuc imparatusq; hæsitaret, exercitu à Belgrado, velut è naufragio ingentis tempestatis reducto. Cæteri negantes oportere regnum vacuum dimitti propter Tartaros & tumultuantem Lituaniam, milites & pecuniam definiebant, sed numero minimè eodem. nam qui plurimum duodecim, qui minimum duo milia, submittenda dicebant. decretum tandem, vt ijs qui spontè vellent, sine fraude esset, ad regem priuatim proficisci: & vt publicitùs quinq; milia milit um cum annuo stipendio mitterentur. Eum numerum satis tunc regi ad pacandam Hungariam facilè augeri posse, si alia necessitas ingruisset. Se verò haud minus exinde, quanquam regni viribus exhaustis, non securos solùm ab externis interim certaminib. verumetiam pacatos in omnes occasiones fore. Dum hæc apud Hungaros Polonosq; aguntur, regina interim Cascouiano reliquisq; populis, qui vrbes suas ab initio intestinæ dissensionis communiuerant in euentum, persuaserat vt præsidia sua contra Vladislaum admitterent, nec minus modo suppliciter rogando, modò maxima quæque pollicendo, principum Hungarorum animos aggressa, interdum etiam iurgando, quòd immemores pristini decoris, quo dudum apud patrem, mox apud se & maritum suum refulsissent, vni Agriensi Episcopo à Vladislao posthaberi paterentur, quasi aut nobilitas, aut rectè facta illius tanti essent, vt præ illis solis & patriæ communis amor, & omnium fides nihili ducenda, memoriaq; benemeritorum negligenda & abolenda foret. quibus ita eos pellexerat, vt Archiepiscopus & Ladislaus Gara cum plerisq; alijs rursus ad se deficerent. Itaque communicatis consilijs, vt eodem tempore Vladislaum, quem suos in patriam dimisisse sciebant, diuersis locis anceps trepidatio circumsisteret, in id conueniunt: Quòd regina copijs, quas ex Austria Morauiáque & Boëmia exciuerat, destinatis, ad Cascouiam, illiusq; appendices vrbes firmandas exercendasq; illinc populationes in eos qui Vladislaum sequebantur: adauctoq; præsidio in Iaurino, ipsa se in Strigonium reciperet: Ladislaus autem adiunctis sibi quoscunque ad deficiendum allicere potuisset, ex parte altera bellum excitaret: & si fortuna cœpto suo affuisset, se ad Iaurinū cum reginæ copijs coniungeret, vt Budā simul aut expugnarent, aut obsiderent. Impigrè omnia vt conuenerant, transacta: & bello quidem q̄ per Boemos Australesq; cōductitios ex Cascouia geri volebāt, præfectus est Ioannes Giscra, acerrimi vir ingenij, ducūq; illius tēporis militarib.

Diuersorum consiliorum agitatio.

Regina inquieta principes Hungarorū aggreditur.

Regina copias ex Austria, Morauia, Bohemia colligit.

Ioannes à Giscra Dux exercitus.

artib.

artibus & robore virium facilè princeps: & vt bello optimus, ita in pace haud aspernandus. Reliquum autem quod fuit copiarum, regina Strigonij se continens, in Iaurinum submisit. Ladislaus igitur apud suos criminando indignandoq́, quod gratia qua vniuersis debebatur, vni tantùm Agriensi Episcopo referretur, nō illius tantummodo opibus & auctoritate accitum coronatumq́ Vladislaum esse, plusq́ in id valuisse gratiā & auctoritatem plerunq́ aliorum, qui nobilitate ac fortunis multisq́ priuatis ac publicis ornamentis longè ante illum eminerent. Si ad Agriensis nutum spectandum, si ab illius voluntate dependendum, frustrà peregrinū regem accersitum: potuisse sine sumptu, sine tanta molitione domi vltrò ad eum summam rerum deferri. Quid euitatum in posthumo, nisi curatorū inter pares dispar licentia & auctoritas? Quam si vtiq; tolerare oporteret, multò esse officiosius, id fieri in gratiam aui patrisq́ posthumi, quàm pro augenda nobilitanda q; re Polonica. Sed & plura eiusmodi ad inuidiam regis Agriensisq́ sæpe ac multum vulgò iactando attraxit ad defectionem secum penè vniuersam eam regni partem, quæ Dalmatia continetur, tantò populorum consensu, quòd in paucis diebus propè iustum exercitū in armis habuit. Vladislaum tot vndiq; oborta discrimina minimè sanè pro rerum difficultate cōturbauere, sed consilio singula dimetiens, dum ex Polonia pecunia milesq́ adueniret, dum vires contraheret, quibus in omnes partes hosti par occurreret, instituit motus in quibus minus periculi apparebat, in præsens artibus elidere, viresq́ illuc conuertere vnde magis discrimen, si negligeretur, affore sentiebat. Itaq; belli quod à Cascouia ostendebatur, quia confici cùm voluisset, admotis ex parte altera Polonis in arbitrio suo situm credebat. interea sub stinendi curam Ioanni Pereno præfecto Chesmarchi delegauit, assignato ei milite qui in opportuna præsidia distribueretur. Ipse ne cui se absente nouandarum rerum occasionem faceret, propter copias reginæ quæ in propinquo erant, simul ad omnes suorum opportunitates velut in medio intentus esset, Budæ se continuit. Aduersus autem Ladislaum, in cuius conatu properè coërcendo antequam aut Dux imperio, aut tumultuaria turba militaribus obsequijs assuesceret, rerum omnium summam planè verti constabat. Misit Hunniadianum, quem præter singularem peritiam rerum bellicarum manu etiam strenuum ac sermone promptum sciebat, ad eáque accedere naturalem quandam dexteritatem conciliandis sibi animis hominum populorumq́ studijs promerendis, vt de concordia prius ageret, auctorq́ illius fieret, si fortè citra ferri discrimen cum suis Ladislaus ab instituto se retrahi permitteret. Cæterùm vt si parū persuadendo proficeret, vires adhibere posset, adiunxit illi Nicolaum Fristarchi, & ad milites qui sub vtroq; militabant, adiecit curiales suos, & quidquid copiarum Iaurinū ad id locorū magis infestauerat, quàm obsedisset. profectus Hūniadianus ac si omnia infesta circa essent, cōposito agmine itineribusq́ exploratis ingrediebatur edicto suis proposito, quod quamdiu ab aduersa parte spes tota reconciliationis non excluderetur, quisq; præda populationibusq́ abstinendo sedulò operā daret, vt beneficio ad concordiam potius quàm vi ad certamen.

Ladislaus ad defectionem Dalmatiam perducit.

Hunniadianus de concordia agit.

gentis suæ homines prouocaret. Non amplius iam quinq; milibus passuum aberat ab oppido Batta, penes quod Ladislaus se cum suis receperat. dum verò impensius circumiens vniuersos & singulos monendo hortandoq; dextra læuaq; nec minus à fronte & à tergo aciem firmauit, ne quid per occasionem ex diuerso committeretur, quod pacis cõsilia in irritũ verteret: tandem haud amplius quàm mille passus ab hoste se muniuit in loco vnde castra opposita minimè conspici possent: veritus humanorum affectuum lubricum, prospectu suæ gentis militum animos remolliturum. Misit deinde qui accepta dataq; fide Ladislaum ad colloquium inuitarent, designato loco in quo pariter conuenirent. Ea postulatio negligenter audita, superbeq; responsum, eò ventum esse, vbi gladio, non lingua decertandum, satis intellectum antequam arma induerent, quid sibi, quid regno expediret. Si nihil vltrà quàm eos alloquendos destinasset, inanem laborem regem assumpsisse. Ea prout referebantur, prolatis ad concionem nuncijs, Hunniadianus recitari fecit. Et subinde intulit maluisse se laudem promereri reconciliatarum voluntatum publicæ saluti, quàm reportare victoriã de hominibus ad interitum patriæ obstinatis. nunc quando non facinoris, ad quod accincti starent, conscientia, non periclitantis patriæ discrimine, non Dei, nõ hominum verecundia, commouerentur, stringendum esse gladium, & salutem patriæ ferro expediendam. Non aduersus suæ gentis homines, sed contra immanes parricidas (nec enim corpora, vestitum, ora, habitum, suos ab hoste secernere: sed mentes, consilia, facta, dictaq; omnia in illis non hostilia modo, sed etiã parricidalia essent) ac proinde cauerent omnes & singuli, vbi ad manũ venissent, ne hebetarentur animi, & pugnandi ardor refrigesceret aspectu patrij habitus, atque habitudinis in hominibus equisq;. vestimenta tantummodo & arma Hungarica apud illos esse, cætera omnia minimè à sæuissimo hoste differre. Sed & plerunque animis æquioribus aduersus externos impetus prodeundum. Iustas belli causas multas subesse posse, & eorum qui pro imperio & gloria decertarent, cupiditates longè tolerabiliores. Agi enim tunc non de interitu, sed de maiestate populorum, illos non solùm sine iusta causa, sed contra etiam fidem & iusiurandum suum: non ad augendam dignitatem, sed ad exterminandum funditus ac delendum nomen gentis suæ arma sumpsisse. Quanto igitur odio stringendum ferrum putarent aduersus eos qui temeritatem paucorum secuti, non oppugnatum, sed euersum charissimam patriam per cupiditatem atque ambitionem venirent, tanto in aciem prodirent ad eripiendam ex vltimo discrimine patriam. Indicandumq; sceleratis hominibus, Deum perfidiæ vltorem esse: fidem deniq; publicè ac priuatim Vladislao datam pro salute regni, perfidorum sanguine stabiliendam. haud magni conatus eam rem fore. tumultuariam ac semiermem turbam ex diuerso stare, non ducibus, non ordinibus assuetã, nec quicquam aliud in prælium afferentem, quàm malæ causæ conscientiam. Si interrogarentur quid armis peterent, non habituros quid responderent. eadem qua prosilyssent temeritate, ad primum statim congressum fugam omnes molituros. productis subinde copijs instructisq;, in hostem aciem direxit.

Adhortatio Hunniadiani.

Nec

Nec Ladislaus certamen detrectauit, sed eadem ferocia qua prius legatis responderat, castris egressus, sequentes se suos, vt quisque primum se offerebat, ita eum in ordinem collocabat, magis temerè tumultuantium more, quàm ex instituto militari. Itaque armorum quidem genus par vtrumque erat, ordo verò & disciplina longè dispar. In altera enim acie omnia instructa prouisaq́, non ad pugnam modo, sed ad subitos etiam fortunæ casus. In altera nulla ferè species militaris disciplinæ. Cæterùm hos ira, illos conscientia stimulante, magno vtrinque ardore concursum. Et à principio quidem aliquandiu ancipiti fortuna pugnatum, accurrentibus vbique ducibus, & suos per omnia spei metúsque extrema cohortantibus. Sed cùm seruatis ordinibus recentes fessis, integri saucijs, ab Hunniadiano vbique substituerentur, Ladisladiani aliquando extracto certamine, cùm sine intermissione pugnarent, vulneribus & lassitudine confecti, tandem referre pedem sensim cœpere. Quod animaduertens Hunniadianus, Nicolao, quem ad fortuitos casus in subsidijs locauerat, signum dedit: & totis viribus adortus, iam tum nutantem aciem, vtpote collectorum temerè, nec castra, nec ducem satis noscitantium, quibusq́, tam ignotum vincendi decus, quàm fugiendi flagitium esset, in fugam vertit. Multi & in prælio & in fuga cæsi, inter quos plerique auctoritate atque opibus insignes: sed nec pauciores aut inter fugiendum aut in castris capti. Ladislaus verò multis in locis effusam suorum fugam cohibere frustra conatus, tandem cum paucis elapsus, cum magis quæ vitanda essent, quàm quibus fideret, animo succurrerent, nullibi prius se credere ausus est, quàm Strigonium ad reginam magnis obliquisq́, itineribus peruenit. Hunniadianus verò re bene gesta, retrò quà venerat,



Hunniadianus vi[illegible] ad Vladislaum redit.

venerat, ad Vladislaum cũ captiuis & præda rediјt. Ille captiuos haud sanè duriter increpitos, fideiq; & iurisiurandi admonitos, præterea cognationis quæ propter cõmunia vetustæ originis primordia inter Polonos Croatiæq; & Dalmatiæ cultores esset. quasi contra sanguinẽ suum arma sumpsissent, in custodiam tradi edixit. deinde ad laudes & munera, quibus Hunniadianum Nicolaumq; affecit, dignitatem etiã adiecit, declarato vtroq; Transiluaniæ duce. Cæterùm quia in Hunniadiano maior eminebat indoles ad res bellicas, ea potissimum oppida quæ Turcis obiecta erant, illi commisit: & copiarum quantum res tunc sinebat, assignauit: vt non solùm sua defendere, sed per occasionem etiã fines hostium transcendere, atq; operæpretium facere posset, quod postea sæpissimè fecit. Et Turcis quidem magnum de se terrorem incussit, apud suos verò ingentẽ spem excitauit. Multa tum prudenter, tum feliciter ab Vladislao constituta. Eum autem virum ad id negotium diuinitùs delegisse, euentus tandẽ indicauit, vt esset qui rem Christianam prolapsuram sustineret. post paucos dies captiui omnes liberaliter dimissi: plerique etiam viatico aliјsq; rebus necessariјs adiuti, qui grato animo fidelem subinde operam regi in multis actionibus præstitere. Cumq; pollicerentur ex ea parte ad quam acie debellatum fuerat, reconciliaturos se Vladislao quoscunque victoria non attraxisset, missi sunt cum primoribus eorũ Nicolaus Lassonianus & Sanoceus, vt ciuitates vnà circuirent, & populorum animos à regina auertendo, ad Vladislaum acclinarent, breui ferè omnibus persuasum, non alia re magis quàm repetitione communium inter se primordiorum atque sanguinis. Nec solùm fides, sed pecunia etiam impetrata in stipendium militibus, quos ad reprimendos conatus Giscræ conducendos apparebat. Non enim æquè feliciter ex parte illa res gerebatur à Ioanne Pereno: quippe quòd Giscra per occasionem magnas plerunque prædas abigebat, Scepusiensemq; agrum ferro & igne propè ad vastitatem mulctauerat: nonnulla præterea oppida inter ceperat, & diripuerat. Inter quæ Emperiascium, Scharuscium, Clistium: quod aliquandiu obsessum, per cuniculos tandem expugnauerat. id oppidum in monte situm velut specula Cascouiæ imminet. Et pleraque illinc clades ad id locorum illatæ Giscranis, dum aut prædatum proficiscerentur, aut prædas abducentes, in Cascouiam se reciperent. Non deerat tamen opportunitatibus suorum Ioannes Perenus: & aut per insidias hostium carpebat copias, aut in aperto illis occurrens, & particularia certamina committens, pro varietate locorum & fortunæ interdum victor, interdum etiam victus abibat. Nec segnius aut infrequentius quàm Giscra in hostilem agrum prædatum incurrebat. Cæterum cum per omnia tentamenta ageret de recuperandis amissis oppidis, nullibi fortuna affuit: circũactusq; est annus irritis conatibus. Regina autem vbi omnes preces adhortationesq; consumpsit suadendo Ladislao quòd arma rursus indueret, quia nõ esset viri nõ sæpius fortunam aggredi, & frustrata spe semel statim animos submittere: nullibi sæpius euentu variari quàm in bello, vbi minima quæq; dictu, maxima momenta excitare solerent: tandẽ agebat vt instaurando exercitu pecunias sibi

Hunniadianus & Nicolaus Transiluaniæ Duces declarantur.

Nicolaus Lassonianus & Sanoceus populorum animos à Regina auertunt.

Giscra Scepusiensem agrũ mulctat.

sibi crederet. Sed neq; illis impetratis, in Iaurinum ad suos perrexit. nec multo post cum renunciaretur, Boemos de præficiendo sibi rege agitare, ut in fide posthumi ac sua eos retineret, in Austriam commigrauit. Quò cum eam Ladislaus sequeretur, à Frederico captus est: habitusq; in custodia, donec petentibus id impensius Hungaris, rex eum redemit, quanti Fredericus æstimauit. Interea subsidia ex Polonia petita ab Vladislao numero & apparatu insigni aduenerant. Itaq; principio insequentis anni licet annona grauiter laboraretur, hyemsq; perniciosè rigeret, tamen quia festinabat animus ad pacandum regnum undiq;, Vladislaus Cascouiam versus è Buda mouit. cui cum multo inferior multitudine ac robore copiarum Giscra esset, nullibi ausus occurrere, intra muros se continebat. Itaque oppidis quæ priori anno vel defecerant, vel intercepta fuerant, haud difficili conatu in potestatem redactis, instituerat rex proficisci expugnatum Cascouiam, cæteraq; subinde urbes quæ à præsidijs reginæ tenebantur, ut si quid postea innouaretur à Turco, paribus illi virib. posset occurrere. Sed veriti Hungari, locorũ propinquitatem præbituram regi occasionem transcendẽdi in Poloniã, vulgata fama quòd regina de pace cogitaret, quasi temerarium foret bello ea quærere quæ per cõcordiam facilius consequi possent, Budam reuerti persuasêre, dimissa illic copiarũ parte, ad belli reliquias persequendas. Ab initio cum vulgaretur regia expeditio, timuerat Fredericus, ne expugnatis undiq; reginæ præsidijs, & recepta in ditionem omni Hungaria, bellum mox in Austriam à rege transferretur, propter sacrã coronam quàm apud se depositam à regina seruabat: ferturq; de illa restituenda secum agitasse. Sed cum audisset postea dimitti exercitum, remq; non per regem, sed per vicarios gerendam ad Cascouiam, recreatus eiusmodi cogitatione, supersedit. Simul & regina demissos animos extulit rursus: & cum antea pacis mentionem utiq; non aspernaretur, superbè respondit optimatum nuncijs, qui de concordia tractaturi ad illã perrexerant. Sed & pestis quæ in regno grassabatur, præsertim Budæ, ubi eius mali vis adeò sæuiebat, contactu & curatione ægrorum vulgante morbos, ut quotidiana tantum funera oculis, desperatio verò & mors omnium animis obuersaretur, faciebat illi spem interim fore ociũ à bellicis actionibus, dum cõmodè præparare posset ea quæ ipsa ex usu ad partium suarũ vires instaurandas arbitrabatur. Vladislaus tamen ubi à regina pacem sperni percepit, nihilo segnius edixit, quòd Cascouia oppugnaretur: Ioannemq; cui à galero cognomen fuit, cum non exigua peditum atq; equitũ manu misit, ut se coniungeret cum præfecto Chesmarchi: & cõmunicatis viribus & cõsilijs, Giscram subinde quocunq; se recepisset, aut exturbaret aut obsiderent. Giscra verò cum ciuitates quæ à regina stabant, regia vectigalia volẽtes iam pridẽ penderent sibi, & percuteretur moneta in Cremnicia, sub titulo & nomine posthumi, nouas copias ex Boemia cõductas veteribus suis adiecerat, nõ tamen regio exercitui adeò par erat, ut occurrẽdi in aperto viribus fideret, sed in omnes occasiones Cascouiæ intentus expectabat videre quò se potissimum regij conuerterent. Inclinata itaq; illuc tota belli mole, summa vi utrinque

Ladislaus à Frederico capitur.

Pestis Budæ grassatur.

oppugna-

oppugnabatur, & defendebatur. Et ab initio quidem eruptiones crebræ fiebant ab Giscranis, committebanturq́; particulares pugnæ, in quib. ex vtraque parte multi cadebant. Sed non tam facilè oppidanis quàm regijs erat interfectorum supplementa substituere. Itaq; cum numerus apud eos indies carperetur, appareretq́; haud satis virium tuendis mœnijs, tandem in vltimo discrimine affuturum, rarò admodum & non nisi magna suadente occasione, Giscra cum suis erumpebat. Ad expugnandam igitur vrbem necessitatibus humanis regij animũ adiecere: ductisq́; operibus, & munitionibus circùm firmatis, inclusos penè ociosè obsidebant. maior erat intus hominum numerus, quàm pro annonæ copia. Itaq; congestis in publicum omnibus quæ esui forent, præfecti sunt duo ex præsidiarijs, & duo item ciues, qui cibaria in singula capita quantum sustentandæ naturæ satis videbatur, quotidie expenderent. Cõtrahebaturq́; mensuræ modus indies, quo plus temporis & minus alimentorũ superesse apparebat, donec, cogente fame, nec ab immundis quidem animalibus abstinebatur. intolerabile suapte natura malum etiam desperatio augebat, quòd non occurrebat vnde affuturam opem aliquam sibi pollicerentur. Itaque cum manasset murmur, oppidanos de traditione agitare, varia erãt præsidiariorum consilia: idq́; tantummodo remorabatur fugam, quòd impeditior apparebat, quàm vt tutò possent euadere. Quæ cum ignorarẽtur à regijs diuturnæ obsidionis tædio affectis, vrgente iam hyeme sine commeatu elabi ab exercitu, cœptum est. Et in ipsius victoriæ aditu obsidio paulatim dissoluebatur, præterquã quòd alia Boëmorum præsidia, quæ in ciuitatibus complicibus erant, crebris incursionibus omnia circumuicina infestabant, vt regios ab obsidione ad tuendos suos auerterent. Nunciabaturq́; Chesmarchum oppidum non solùm parum strenuè defendi ab illorum incursionibus, verumetiam defectionis spectare consilia. Itaque cum dux regius videret etiam iniussu suo militem elapsurum, vt saltẽ in fide Chesmarchum retineret, dissoluta Cascouiæ obsidione, illuc properè mouit. Sed id quoq; irritum fuit. nam pridie quàm eò peruenisset, Boëmi admissi per proditionem oppidum occupauerant. Caterùm etsi præsidij caput Nicolaus Perenus, in primo tumultu cum plerisque ex suis trepidè ex Chesmarcho effugerat, tamen retinentibus qui manserant præsidiarijs nonnullas turres, cum appareret, si affuisset auxilium, facilè posse oppidum recuperari, fortè ita euenit, vt Podolinum perueniret noua copia, quæ à Polonis regi submittebantur, ducibus Laurentio Zaramba & Nicolao Stora: quæ cum à regijs per internuncios ad Chesmarchum implorarẽtur, neque dubia res videretur, quin excludere Boëmos illinc possent, petitã tamen ab se opem negauerunt: seu timentes iter subindè suum impeditius redderе, si Boëmos prouocassent: seu quia priusquam ad regem, quò missi erãt, peruenissent, minimè æquum videbatur, aliquo se bellico negotio implicare. Itaque petitione suorum contempta, neminem lacessentes, inuicemq́; ipsi ab omnibus inuiolati Budam peruenere. Capto Chesmarcho, bellũ ab ea parte conuersum est in Podolinum, vbi regij præsidij caput Nicolaus Comorocensis, & vtrinque per omnes conatus artesq́; bellicas res gerebatur. Ex parte

Chesmarchũ Boëmi per proditionẽ occupant.

parte verò altera regina sibi victoriæ suorum famam accepit, dissolutámque ad Cascouiam obsidionem, & ipsa elata ad Posonium mouit, quæ ciuitas in fide ipsius perseuerabat. Etsi Vladislai præsidium teneret arcem, præfecto Stephano Rosgonio, quem subitò obsidere cœpit, fauentibus ciuibus, expugnationemq; admirantibus. Sed cum neq; æquum videretur, in suos prædas exercere: neq; si id factum foret, pro ciuili ac militari multitudine suffecturum commeatum appareret: populatores in Tarnouiensem agrum immittebat, indeq; omnis generis quotidianæ prædæ aduehebantur, simul vt commodè in Presburgo alerentur omnes, simul vt Tarnouienses suarum rerum cladibus adacti à rege deficerent. Quæ omnia Rosgonius per occasionem elapsus Budam, regi exposuit: simulq; indicauit quo in discrimine res foret, nisi subitò frumentum milesq; & apparatus reliquus aut propulsandæ aut sustinendæ obsidioni necessarius in arcem mitteretur.

Incommodi expositio.

Eū securo animo rex esse iussit, omnia in tempore affutura, ipse quàm ocyssimè ad præsidium reuerteretur. Nec mora, Andream Tantzinensem cum valida Polonorum Hungarorumq; manu Tarnouiam misit, simul suos tuitum ab incursionib. hostilibus, simul Presburgensem agrum vicissim populatum: & vt obsessis inferret per occasionem opem necessariam, edixit. Ille impigrè mandata exequens, frumento ac milite tum machinis missilibusq; varij generis in arcem submissis, illius potiundæ spem omnem reginæ videbatur ademisse: sed & crebris populationib. quicquid erat agri Presburgensis adeò mulctauit, vt verius obsessos quàm obsidentes se sentirent.

Andreas Tātzinensis Presburgensem agrum deuastat.

Crebra inter arcendas populationes vtrinq; certamina ferebantur, cadebantq; ex vtraq; parte multi, donec actos in insidias hostes Andreas tam ingenti clade afflixit, vt parum abfuerit quin vrbs quoq; per tumultum, dum prosequitur victoriam, ab ipso caperetur. Eæ strages reginalibus finem excurrendi fecit: fossa itaq; & muro subinde se tuentes, oppugnandæ arcis consilia ex integro per omnes artes machinationesq; quotidiæ solertius agitabant. Sub anni finem ægerrimè omninò nutriebantur, necessitasq; & desperatio propè intolerabili impetu rem geri cogebant. Igitur coædificatis turribus ambulatorijs, omni genere missiliū regios à defensione prohibebant: & muro, quem crebris tormentorum ictibus die noctuq; impetebant, locis aliquot detruncato ac diruto, nitebantur summa vi aut per ruinas, aut admotis scalis partem aliquam arcis occupare. Nec ad extremum regij tam acres in se conatus sustinuissent, nisi audito suorum periculo, in ipso rigore hyemis rex ex Buda accurrisset cum egregia vtriusque gentis manu. eius aduentu & suorum animi erecti, & regina adeò consternata, vt copiarum parte illic relicta, clàm cum cæteris Viennam se recepit.

Andreas Reginæ exercitum ingenti clade afflixit.

Regina Viennam se recipit.

Rex immisso in arcem subsidio, tentauit vrbem si fortè in potestatem redigere posset. Tandem cum diu continuata obsidio intus & extra omnia consumpsisset, appareretq; in difficiliori anni tempestate non minus discriminis à cœli ac terræ rigore quàm ab hoste affuturum, tumultario opere instaurauit quicquid munitionum hostis circa arcē labefactauerat, mòxque in Budam redijt. Eodem tempore Poloni, voluntaria manus, nulloq;

stipendio publico adiuta. duce Petro Odronosano in Hungariam transcensuri, arcebantur à Boëmis, qui angustias in montium iugis occupauerant. Itaque illi die frigidissima cum lenta, sed iugi pluuia caliginosa, atque ob id minimè suspecta, præmissis impigris robustisq; quibusq; iuuenibus, à quibus resistentes, si qui fortè affuissent, obtruncarentur, per solutas Boëmorum custodias, nemine omnino aduersante, saltum superauêre. Mox cum adorti essent expugnare Capustanum, quod oppidum non longè situm est à Baradino, accersente eos rege, statim, vt par erat, omisso incepto, Budam se receperunt, non sine laude atque admiratione Hungarorum, & quòd multi, & quòd opulenter instructi, sed in primis quòd indefessi opitulando regi suo viderentur. Vladislaus vbi omnes & singulos pro cuiusque dignitate ac meritis laudando benè de se sperare iussit, Cascouiam misit oppugnatum: ex quo oppido frequentes & magnæ clades in ea regione quotidie inferebantur, perseuerantib. in fide regis, Poloni commissum sibi negotium breui absoluerunt: & vt cæteris qui in præsidÿs erant, trepidatio incuteretur, Boëmos qui in magnus venerant, ad vnum omnes trucidauere. Interea nũciatur, Tartaros prædabundos in Podoliã incursuros. itaq; Vladislaus qui post reginæ fugam satis ab ea parte omnia tuta arbitrabatur, bellũ verò q Giscra inferebat, à regionis indigenis strenuè propulsari videret, ne desẽsorib. vacuã barbarorũ incursus Poloniã inueniret, Odronosanũ cũ suis retrò in patriã dimisit, quibus honoris gratia deducẽdis ad regni fines, nõnullos proceres Hũgaros adiecit. Cum itaq; Agriã peruenissent, liberalitérque ab Episcopo accepti, licentius quàm ratio tẽporis & vicini hostis solertia patiebatur, cõuiuÿs hilaritatique indulgerent, seu quia numero ac viribus fidentes, periculum contẽnebant: seu quia secundis rebus negligentia familiarior est, quàm aduersis: Telephus qui per id tempus præsidÿ caput erat in Cascouia, ratus bene gerendæ rei oblatã sibi occasionem, cũ manu expedita profectus, concitatissimo gradu per silentiũ noctis illuc se recepit. Cumq; omnes custodias velut in media pace solutas inuenisset, ab ea parte qua facilius ac tutius fieri posse arbitrabatur, murum nullo nusquã obsistente transcendit: excitatoq; deinde ad terrorem nonnullis in locis incendio, canentibus signis, & velut in capta vrbe clamore sublato, inermes sopitosq; adoritur. Et primo statim impetu domos quàm plures & Polonorum ferè omnes currus tumultuariè diripit. Cumq; hostes inter clamorem, cædem, populationem, ignem, trepidi ac semisomnes vix arma expedirent, cum ingenti præda cæterarum rerum, sed & iumentorum atque hominum, retrò abÿt. Hungari verò ac Poloni tandem somno & trepidatione discussa, cum simul armati conuenissent, nec difficile videretur fugientem hostem assequi, & abactã prædam recuperare, cursu effusissimo ægrè propter impedimenta & lassitudinem properantes insequuntur. Itaq; prius multo quàm inclinare sol cœperat in occasum, cum instans à tergo exaudiretur hominum simul & equorum fremitus, Telephus, qui suos nocturni itineris celeritate ac labore fatigatos sciret, tum præda onustos atque impeditos, desperata fuga, ad vires se cõuertit: & in quo, propterea quòd Leopoliensis Pala-

Vladislaus Polonos ad Cascouiam oppugnatum mittit.

Telephus Polonos vino somnoq; sepultos adoritur.

Palatinus erat, plurimum reponebat, seu redimi cogeretur, seu permutatio captiuorum aliquando fieri contingeret, Petrum Odronosanum, quem cum alijs captum abducebat, familiari cuidam suo Soloma nuncupato, cuius fidem satis, vt arbitrabatur, cognitam perspectamq́ habebat, in propinquum oppidū perducendum custodiendumq́ commisit. Nec mora, vltima experienda percipiens, impedimentis ad viam præmissis, suos monet: Qui à tergo instarent, tumultuariā manum esse, inermes, incompositos, & adhuc inopinatæ noctis præteritæ pauore fluctuantes, ac trepidos: nonnullos etiam saucios, debilitatosq́. Quibus cum tuendis sē domi vires atq́ animi defuissent, temerè postea prosiliendo arma cepissent, quasi facilius foret in aperto campo res suas pugnando recuperare, quàm fuisset clausas intra vrbem parietib. tueri. Quicquid aut periculi fuerat, aut laboris, iam esse exhaustum, & celeriter eundo & inopinantes inuadendo prædam esse in manibus: quam vtiq́ multo facilius foret inter pares vires defendere, quàm fuisset rapere. Sed & multos ex hostibus teneri vinctos, & eosdem magis strenuos, quos non somnus, non metus, non subitarius tumultus à conferenda manu auertisset: qui superarant, vino adhuc somnoq́ graues aut vulneribus afflictos esse, regendisq́ tantūmodo equis vix satis aut viriū aut animi habere. Quod etiā si paria essent cætera, inter tam dispari causa pugnantes: fortiores esse debere, qui sine spe veniæ de vita dimicarent, quàm illos quos modicæ abactæ prædæ dolor armauisset. Meminissent eorum quæ in suæ gentis præsidiarios paucis antè diebus ad Cascouiam fœdè ac crudeliter commissa fuerant: adniterenturq́ pugnando acriter virorum fortium exitu vitam relinquere potius, quàm se capi paterentur per ignauiam & trepidationem, vt veluti pecora per ludibrium postea trucidarentur. Quo maiori impetu in hostem ferrentur, eo minori discrimine partam prædam retenturos, multoq́ incolumiores abituros. Superuenerant iam hostes: itaq́ conuersus in eos Boëmus, magnis animis ac viribus impetum, quo in se ferebantur, excepit: propulsatq́ tam acriter, vt neque in equis, neque in hominibus præteriti laboris lassitudo appareret. Suggerebat vires cum veniæ desperatio, tum retinendæ prædæ cupiditas. Polonos autem & Hungaros non iactura solùm suarum rerum, sed verecundia etiam stimulabat: turpiter se deprehensos putantes. & à paucioribus inter vinum somnumq́ rebus suis exutos. vnicamq́ esse illius abolendæ maculæ rationem, si vincerent. Pugnatum igitur aliquandiu ancipiti Marte. Cumq́ vtrinq́ multi & vulnerarentur, & caderent, tandem lassitudo peruicit, vt Telephini loco cederent, in fugamq́ verterentur: In qua multi trucidati, multi equorum pedibus obtriti, præda omnis recuperata. Telephus autem cum plerisq́ Australibus Boëmisq́ viuus in potestatem venit: ductusq́ est Agriam, & custodiæ traditus. at Soloma suorum fortunæ ignarus & commissi sibi Odronosani cura solicitus, vt quàm celerrimè se in tutum reciperet, Nicolai Zuderis, quæ proxima erat, arcem petijt. Is paulo antè ad reginam defecerat: itaq́ putans oblatam sibi occasionem reconciliandi se Vladislao, cuius auctoritati & rebus post reginæ in Austriam cōmigrationem

Telephus suos adhortatur.

Telephus vincitur & capitur.

D 2 vide-

videbat plurimum accessisse, captiuum, quem propter generis nobilitatem auctoritatemq; inter suos non iniuria magnifaciendum putabat, paulo post Budam perduxit ad regem, atque eo munere defectionis veniam impetrauit. in tam praecipiti & diuersa fortunae commutatione, nox, casus, trepidatio, impetus, multa tulit aut insitato genere mortis, aut rapiendi obsistendiq; conatu, variè memorabilia. Inter quae id vt maximè literis prodendum, ita etiam maximè miserabile. Ex media sorte populi, forma & iuuenta florens Agriensis, suae conditionis atq; aetatis iuuenculam perditè amabat, mutuoq; felici sorte amabatur. Consueuerat verò seruatis occasionibus se ad eam noctu recipere, desideriumq; suum, non tã fructu amoris satiare, quàm nouis semper alimentis augere. Cum itaq; direptio ciuitatis apud amores suos ipsum deprehendisset, ratus forsan discurrentium ad praedam atq; caedem tumultum esse ebriorum, propterea quòd largius quàm sobrios deceret, pridie vino indulgeri viderat, non statim ad primũ clamorem exilijt: deinde cum non solum clamor & strepitus armatorũ augeretur, sed mulierum quoque eiulatio puerorumq; vndiq; ploratus maior quàm pro compotantium rixa & iurgio discriminis aut mali grauioris trepidationem incuteret, quò euocabat conturbatio, proripere se voluit: sed retinente amica, & ne rectà properaret, admonente, ne si domesticos quoq; alios idem tumultus excitasset, casu in eorum aliquem ageretur, per fenestram in vestibulum domus se dimisit. Quem vt foràs emitteret, illa ex diuerso per scalas properè subsecuta, ostium reserauit. Cum superuenissent iam hostes ex parte altera, mox foribus demolitis irruperunt. Egredientem igitur armati gladijs vulneribusq; excipiunt, eo etiam acrius, quòd ipse cum ferro intrepidè per totam trepidationem stricto prosilierat, non tamen statim concidit, etsi multis magnisq; vulneribus petitus: sed arciter se defendens, duos prius obtruncauit. Ibi mulier dolore ac desperatione plusquã viriliter elata, statuens nolle amanti suo superuiuere, viribus quantas amor iraq; & desperatio dabat, vni ex militib. qui exanime corpus circunstabat, gladium extorsit: furioseq; insultans, antequam cohiberi posset, plerosq; vulnerauit, viris ex diuerso turpe ducentibus, si ferro cum foemina decertarent. Tandem comprehensa, vbi ferocia, qua concita debacchabatur, stimulum indicauit, gladio quem vltura amantem arripuerat, pectus suum transfodit. Et vt super cadauer vita sibi carius occumberet, in partem in qua iacebat, se praecipitem dedit, tanta militarium animorum admiratione, quòd caeteris commilitonibus, cum praeda discedentibus, illi quos ad eam domum fortuna congregauerat, vacui & mirabundi penè in manibus hostium remanserunt. Similem ac Telephus casum perpessi fuat eisdem diebus Caica & Comorosensis, quorum ille Brosonitiam, hic Podoliniũ praesidio tenebat. Nã cum explorando comperissent oppidũ Emperiascium negligenter asseruari, vacuumq; esse defensoribus, eductis secũ ex praesidiarys quibus praerãt fortib. expeditisq; quibusq; militibus, quã occultissimè silẽtio noctis illuc se receperũt, scalisq; muro admotis, velut in suas munitiones, nemine repugnãte, in oppidum penetrauère. Nec mora, vbi

Amor Agriensis.

Foemina ferro cum militibus decertat.

clamor

clamor primùm, deinde cædes, non tam excitasset hostem, quàm sensibus alienatum, nec ad arma discurrere, nec prouidere quicquam fineret, quasi per ocium & licentiam omnis generis præda suos onerauere. fortè die præcedenti quinquaginta Boëmi profecturi ad Giscram copias congregantem vt Richnonam obsideret, subsiterant in Emperiascio. ab ijs, vt fit in re trepida, dum saluti quisq; suæ, non quo debet, sed quo maximè potest, modo consulit, turris quæ egregiè munita erat, dum Poloni oppidum diripiunt, occupata strenuè defendebatur. itaque cum eius expugnatio difficilis appareret, timerentq; Poloni Giscram, qui in propinquo erat, cum exercitu suis accursurum, nec suffecturos se putarent tuendo oppido, quòd non totum haberent in potestate, contenti præda, retrò quà venerant, abière. Non segnius quàm cogitauerant, Giscra, vbi ad eum suorum clades perlata est, præparato instructoq; iampridem milite, illuc accurrit, ex improuiso, vt assolet, victores oppressurus in negligentia hilaritatis rei bene gestæ. Cæterùm cognita festinatione qua retrò prædam agebant, breui à tergo eos assecutus, non solùm quia superior copiarum numero, sed etiam, quia fuit recentes atq; integri, facile omnes fudit, fugauitq;. Nec obluctatio cædésue fuit. nam fessi ac prædæ onere laborantes Poloni, vix primum clamorem hostis sustinuere. Capti Calca & Comorocensis, cum paucis alijs, quos subita fuga eripere ab hostium manibus minimè potuit. Giscra verò, vt erat dux belli acer, victoriam sequens, ad Broconiciam castra mouit. capto enim à se præsidij illius capite, subitæ illius deditionis spem non frustra conceperat: sed cum inuenisset oppidanos ad se tuendum paratiores quàm crediderat, cum suis abiturus, re minimè tentata, apparebat: verùm aut casu, aut humana fraude in altera arce (nam illic duæ sunt) incendium exortum compulit defensores ad alteram confugere. moxq;, ne quid tale illic in ea quoque contingeret, imperium hostis pene vltrò suscepere. Quo ex euentu visum est fortunam iusta lance partis vtriusque gaudium & mœrorem adæquare eodem tempore voluisse. Poloni deinde nouum præsidium submisere in Podolium & Luboliam. Giscra verò ab ea victoria oppugnatum Richnonam profectus, ex omnibus ciuitatibus quæ posthumo fauebant, exciuit auxilia. & cum Poloni repugnarent, mœniaq; acriter defenderent, obsidione expugnaturus circumfudit exercitum, murosq; tormentis ac machinis admotis quassare cœpit, & diruere. Sed quicquid interdiu solo æquabatur, nocte opere tumultuario instaurabant obsessi: distractaq; est in menses aliquot oppugnatio. Tandem cum vrgerent humanæ necessitates non minus quàm hostis, nec quicquam aliud necessariam deditionem remoraretur, quàm quòd Agriensis Episcopus affuturus cum auxilio ferebatur, cessante illo diutius quàm aut fames, aut iam impigra expugnatio ferri posset, pacti vt cum armis rebusq; alijs suis incolumes abirent, vacuam arcem tradidere. fides Polonis seruata. post quorum deditionem illico Agriensis cum exercitu superuenit, & se non procul ab Giscra communiuit, quasi mox totis viribus decertaturus. Sed licet per occasiones vterq; alter alterius copias plerunq; carperent, à generali tamen pugna cō-

Giscra Polonos fugat.

 feren-

ferendisq; signis abstinebatur. Nam & Giscra felicitatem aliquot annorum vnius diei fortunæ committere nolebat. Et Agriensis haudquaquam suis fidens, quòd maiori ex parte tumultuaria manus & militaris disciplina rudis, tutius arbitrabatur cunctando in locis iampridem fessis diuturna obsidione redigere hostem ad inopiam rerum omnium, quàm vires experiri. Itaque cum neque lenius, neque serius quàm sperauerat Agriensis, Giscra & sui, penuria alimentorum premi inciperent, futurúmque planè constaret, vt aut nullo modo, aut non nisi cum summo discrimine perseuerare in eo loco possent, nulla insigni pugna commissa, rediere in Cassouiam. Nec multo post cœptum est inter Giscram & Agriensem agi de concordia: multisq; hincinde variatum prius conditionib. tandem coniuncta Giscra per matrimonium Episcopi nepte, non solùm pax sed affinitas etiam inter eos inita est. Id bonáne fide factum fuerit, vulgò addubitatum, tum quòd regina, vt oportuit, approbatio subinde non accessit: tum quòd relaxandis vtrinq; captiuis, fidem Boëmi violauere. Cæteris enim ad suos dimissis, Caicam & Comorocensem, de quorum etiam libertate transactum in pace fuerat, retinuere. Sed & post concordiam Giscra intercepit oppidum quod in Scepusio à socero suo tenebatur, prædasq; & captiuos ex illis qui regi fauebant, per occasiones atq; insidias abigere perseuerauit. Disceptabatur per id tempus de sacrorum generali antistite à Christianis: & erant qui Eugenium in Italia à collegio Cardinalium electum, & qui Felicem in Germania, quem Basiliense concilium designauerat, pro summo pontifice comprobarent, sequerenturq;. Multi etiam principes regesq; & nationes, inter quas Hungari & Poloni, tam ancipitis controuersiæ finem expectantes, sententiam suam dissimulabant, cæremonias interim ritusq; quales à maioribus suis acceperant, religiosè obeundis sacris continuando. Cum itaq; non solùm eos qui ex diuerso stabant, sed etiam qui ambigua deliberatione suspensi, & studia sua occultantes, neutrum alteri præferebant, tam Felix quàm Eugenius diuersis artibus sollicitaret, sibiq; acclinare niteretur, ab vtroq; legatio diuersa eodem tempore venit ad regem. Et Felix quidē fretus vinculo sanguinis quo Tridentinus Episcopus Alexander à ducibus Masouiæ oriundus, Vladislao coniunctus erat, illum iampridem à se Cardinalem designatum potissimè idoneum duxerat, cui partes suas committeret, vt si parum causa valuisset, propter propinquitatem saltem non aspernaretur. Ab Eugenio autem venerat Iulianus Cæsarinus etiam Cardinalis, & hic quidem vrbem Romam non solùm diuinitus electum locum, sed Petri & Pauli, aliorúmque innumerabilium religionis fundatorū sanguine consecratum, in quo crearetur præsideretq; maximus pontificum, sacrosanctum Cardinalium collegium legitimam iugemq; successionem, tum de more habitam, & ab illis quorum res esset, electionem: præterea totius Italiæ consensum, & Græcorum voluntatem iudiciumq; pro Eugenio allegabat. Nihil aliud ex parte altera esse dicens, præter tumultum perditorū quorundā, quos fortunis suis profligatis, abiectaq; Dei & hominū verecundia, spes nouarum rerū sine auctoritate,

Disceptatio de sacrorum generali Antistite.

Iulianus Cæsarinus.

sine

sine ordine, sine causa, velut ad nundinandum sacra cõgregasset. Ille autem ex diuerso non locum sed puritatem animorum, vitaq; sanctimoniam pertinere ad religionem dicebat. nõ referre, vbi esset diceretúrue summus pontifex: sed quis, & à quibus. nimis in arcto circumscribi columen Christianæ professionis, si eius caput non nisi Roma & creare posßit, & capere. Quid futurum, si ea vrbs aut posßideretur à barbaris, vt aliàs contigit, aut omnino deleretur? Si fortuna loci ad rem quæ tota in animis est, momentum aliquod habere posset, Hierosolymas sanctiori multò quàm Petri & Pauli sanguine consecratas. Illic religionis nostræ verißimum caput, immortalitatis nostræ omnia mysteria constituisse. Illic summi sacerdotij prima succeßionis initia, & tradita & suscepta, non humano aliquo casu, vt in Petro factum & Paulo: quorum hic tanquam reus Romam perductus, ille Simonis magicis vanitatibus attractus, sed voluntate electioneq; diuina, quo ad Cardinales non animaduertendos ex titulo & nomine, quæ lasciuientis fortunæ fauor etiam immerito cuique conferre posset. Eos etiam si vrbem Romam nunquam viderint, nunquam titulo Cardinalis insigniti sint, tamen veros esse apud Deum religionis nostræ cardines & fundamenta, quorum doctrina, vita, mores, actiones deniq; omnes cum religione consentiunt. Nihil interesse qua quis sit fortuna & dignitate. Deum enim non quæ extra hominem sunt, verum animos ipsos intueri atq; expendere: deq; ijs quæ ad sacra pertinent, non fortunati, sed optimi cuiusque iudicium comprobare. sed neque multum consuetam cæremoniam eligendi in vrbe aut posseßionem Romanæ sedis ad veram Diuini vicariatus succeßionem attinere, vbicunque bonorum cœtus conuenisset, diuini spiritus sensum adesse intelligi debere. Et quæ dicta, acta, constitutaq; illic essent, vt ab eodem spiritu manantia accipienda: præterquàm quòd temerarium, etiam periculosum esse, præ paucorum obstinatis animis, quos nihil aliud quàm mala conscientia contumaces redderet, publico Christianæ reipublicæ consilio non adhærere. Non dubitare aut Eugenium, aut qui illum sequerentur, vel de sua, vel concilij auctoritate: sed intelligere, non posse se & in religione eminere, & ab ea animóque & vita maximè abhorrere. Si non nisi pro religione solliciti essent, nequaquam aduersaturos concilio, cuius non alius finis quàm religionis sanctitatem dignitatémque conseruare, & augere. verè sanctos pontifices, qui ad id locorum ecclesiæ præfuerant, nunquam tantam rationem habituros fuisse de consilijs, nisi intellexissent id, quòd ad omnes ex æquo pertinet, omnium iudicio & consensu moderandum: longéque altius posse prospici ea quæ verißima salutariáque sunt in rebus diuinis, ab vniuersali Christianorum iudicio, quàm à paucis Romanis sacerdotibus, aut metropolis eiusdem episcopis. hinc non minus ferè quàm quatuor euangelistis tributum semper & tribui ab ecclesia quatuor Concilijs, Niceno scilicet, Constantinopolitanóque, Ephesino, & Chalcedonensi: in quibus præter alia multa diuinitùs ad decus amplitudinémque religionis constituta, confutatæ essent & explosæ hæreses nefariæ ac perniciosißimæ, quibus professionis nostræ vera fundamenta subuertebantur. Si quidem Niceæ Arij,

Constantinopoli Macedonij, Ephesi Nestorij, Chalcedoni Eutychis impietates conuicta damnataq́. reliquorum quoq́, Conciliorum subinde omnia decreta suum semper pondus, suam maiestatem tenuisse. Non postulare qui præsidebant Basileæ, vt de vniuersorum salute, deq́, vel in primo vel in quo cunque alio ordine religionis nostræ emendandis sibi crederetur, quod temerarium esset atq́, improbum: sed ad disceptationem iudiciumq́, illorum, omnes quorum interesset aduocare. quibus sæpe iactatis vtrinque & à rege ac suis auditis, in comprobando hoc vel illo summo pontifice, neutri legatorum est assensum. Cæterùm quia Iulianus ad ea quæ ad rem diuinā spectabant, adiecerat intestina certamina, quibus arx & præsidiū Christiani nominis Hungaria vastabatur, malè affectum habere Eugenium, cæterósque qui rem Christianam saluam vellent: suaserat q́, deponenda arma per concordiam, cuius æquas conditiones inuenturum se speraret, si cum bona vtriusque partis venia tentare licuisset. vbi planum factum est ei, nihil omissum à rege esse quod ad pacem facere videri posset, multasq́, legationes subinde frustra ad reginam commeasse, concessum est vt quantum in ea re posset, experiretur. Ille postquàm regis animum à quietis consilijs minimè abhorrentem vidit, profectus ad reginam, cum de vtilitate pacis, deq́, incommodis belli discriminibusq́, differuisset ea quæ putauit ad id quod intendebat pertinere, sexus illam conditionisq́, suæ admonuit: & quàm de facili populorum studia cum fortuna mutarentur. non esse eius quæ paulò antè experta foret, quid paucorum tumultus posset, contra penè vniuersorum consensum, in eo bello perseuerare, in quo viribus multò & facultatibus esset inferior: stare ex parte altera omnē vim Polonorum, & cum illis maiorem partem ex Hungaris, quorum opes & auctoritas, in regno emineret. hominum armorumq́, & iumentorum satis esse reparando exercitui, si quid aduersi contigisset: partibus autem suis adesse paucos, præter militē conductitium, cuius fides non ex affectu, sed ex precio penderet, præterquam quòd inita affinitas inter Giscram & Agriensem meritò ei suspecta esse posset. Ea quoque quæ satis firma sibi & apparata viderentur, in vnius prælij ancipiti fortuna exposita esse: vixq́, sperare posse reparaturā se rursus ad pugnā vires, si semel acie vinceretur. victurum quidem posthumum diutissimè: sed cōsiderare oportere quàm innumerabilibus casibus humana vita subiaceat: & quo minus roboris in ea ætate esset aduersus malas valetudines, eò facilius extingui solere, magisq́, timendū, quàm subinde sibi, quàm adultis duabus filiabus suis fortunā repromitteret: cum etiam quos spes & gratificatio posthumi tunc in fide retineret, orbitas regni esset in contrarium auersura. Satius multò, præcauere, ne si præmatura fata filium regno subduxissent, filiæ quoque excluderentur: sed saltem altera illius veluti vice regnaret. inter marem & fœminam quo ad parentes nihil interesse præter sexum in Vladislao esse illa omnia, per quæ reginula vtrique aliquando coniuganda meritò ab ea gener esset expetendus. Temporis verò & rerū conditionem vtrosque ad affinitatem non solùm inuitare, verumetiam quadam veluti necessitate vrgere. ad extremū, meminisse debere viri patrisq́,

sui,

sui, quibus præter diuinos honores, cætera omnia cum summa fide tribuisset: ea gens, quæ periclitatura erat, nisi ad pacem animum adiecisset, indulgendum fortasse aliquando viris, vt pro tuenda aut augenda dignitate vnius, populorum multorum salutem in discrimen adducant. Muliebris certè verecundiæ non esse, opportunitati ac saluti tot de se bene meritarum vrbium & populorum præferre incertas spes vnius infantuli: famam hominum extimescendam: sed & Dei immortalis vltionem si per eam staret, quò minus à nefario bello & Christianis rebus maximè periculoso absisteretur. Ad ea regina, satis se suas hostiúq; facultates nosse, inquit: & quantum vel vires vel fortuna possit in bello, non ignorare. Cæterum minus flagitiosum dolendúmque esse, resistendo exturbari, quàm per ignauiam & vanum metum regno excedere: iustam esse causam suam: neque abfuturum vindicem iusticiæ Deum: filium verò incolumem esse ac Deo propicio fore. Quòd si malum fatum contra spem quicquam afferret, nouam rem noua consilia præbituram. Hungarorum quidem merita in se ac suos ingentia esse: sed quo maiora erant, eò magis sibi annitendum, ne cogerentur in ditionem ipsis inuisam degenerare: si tamen sine cæde & sanguine id fieri posset, nihil esse quod mallet. Sub hæc verba Iulianus, collaudato reginæ animo, & quòd muliebriter bellum non expauesceret, si necessariò gerendum foret: & quòd concordiam, si modò æqua offerretur, non aspernaretur, de pacificationis forma cœpit cum ipsa agitare. Cæterùm multis vtrinq; conditionibus in medium adductis prius, ac repudiatis, cum maternum animum æquè adulta filiarum ætas, atque infantis cura sollicitum haberet, tandem adacta est regina, vt consentiret has simul leges & stabilimenta concordiæ ad Vladislaum perferri: ante omnia, quòd alteram reginularum ipse, alteram Cazimirus, qui tum Lituaniæ erat, vxorē duceret: & Cazimiro quidem expensuram reginā dotis nomine centum & viginti millia aureorum: Vladislao verò collaturam ducenta millia in terra Silesia, iure pignoris obstricta: cessuramq; iam tum illi possessione, reseruato sibi redemptionis iure, quandocunq; commodum fuisset. Quod autem ad Hungariam attineret, Vladislaus mox sese regio titulo abdicaret, procurationem ac tutelam vsque ad integram posthumi ætatem retineret: vbi ille adoleuisset, quòd & procurationem dimitteret. Quòd si intra pubertatem aut quandocunque postea sine liberis posthumum decedere contigisset, cum regio titulo ius atque arbitrium regni ad Vladislaum reuerteretur. Cæterùm compensandis impēdijs ea in expeditione factis, terra Scepusiensis perpetuò iure adijceretur Poloniæ regno. Hungari verò spontè ac bona fide antiquarēt quamcunque actionem & ius quod aut in Podolia aut in Valachia habere se credērent. Accepisset Vladislaus sine dubio conditiones tam sibi quàm regno suo commodas, & erāt ex Hungaris multi qui aut externum bellum timentes, aut intestinum execrantes, non fortiter sententiam reginæ impugnabant. Cùm tamē agi appareret de facultatib. atq; amplitudine regni, placuit aut per nuncios aut per literas eorū quoq; procerum, qui præsentes non erant, voluntates exquiri: à quibus, vt fit, pro cuiusq; ingenio allatæ sunt sententiæ

Cum Regina de pacificationis forma Iulianus agitat.

non

non solùm varia, sed omnino etiā diuersa, cum forent qui iniquiores quoque conditiones domi perferendas censerent, dummodo foris tuti essent: & qui nullam omninò concordiam habendam dicerent, nisi quam arma constituissent. Itaque quo magis aut timidè nimium, aut periculosa alij censebant, eo postquam recitata est sententia Hunniadiani, maiori assensu omnium accepta est, cum nihil in vtramuis partem affectatū contineret. Scribebat enim, videri sibi propter imminens à Turco negotium, neq; repudiandam pacem temere, neq; tamen amplexandam cupidè: etsi natura sua pax semper bello sit anteferenda: neq; omninò aliam ob causam gerantur bella, quàm vt pace frui liceat: concordiæ tantummodo conditiones rectè animaduertendas. Et si iniqua offerrentur, commodiores exigendas: quæ si impetrarentur, nihil satius quàm inuicem domi in gratiam redire: & depositis intestinis armis, pugnare foris. Si verò regina perseueraret inire id fœdus, in quo sui suorumq; habita ratione, membra regni non solùm ad tempus possidenda externis traderet, verumetiam à corpore suo perpetuò alienaret, omni ope resistendum censere. Non animum, non vires defuturas, ad extorquendam æquam pacem: minori etiam sumptu quàm foret impendendum pro concordia, quæ tunc offerebatur. Itaque Iulianus rursus ad reginam profectus, pauca quædam in prioribus conditionibus commutata retulit. Sed cùm neque ea Hungari probarent, modò hac, modò illa cautione variata, vltrò citroq; multoties frustra commeauit. Tandem verò vt quod vltimum erat experiretur, vtrinque impetrauit, quòd in Iaurinum Vladislaus ad reginam proficisceretur, si fortè præsentia & mutuū colloquium ad concordiam inter eos esset efficacius, quàm alienæ persuasiones. Postquam conuenêre, post mutuam admirationem, cum in alterius ætate tam tenera procurationi & tutelæ tam amplissimorum regnorum par indoles emineret: alteram verò præter ætatem iam grauem, animi magnitudo in periculis maximisq; quibusque actionibus explicandis, venerabilem redderet: primi congressus, vt par erat, querelas purgationésque mutuas habuere, asseuerantibus vtrisque ex diuerso contra ius fasq; ab altero violari, armaq; necessariò non spontè sumpta: tandem cum dies aliquot de concordia colloquendo consumpsissent, sic ab inuicem discessere, vt conciliatos apparuerit, propter ditissima munera, quibus se mutuò benignissimè prosecuti sunt. quo tamen ordine arma deponenda essent, non est vulgatum. id planè constitit, reginam paulò pòst Budam profectam. Quod cum fecisset, emisso prius Cilia Comite è custodia, in qua ferè ab initio belli seruatus fuerat, pax firmata est, & expressa. cuius dum forma discutitur, Vladislai virtus ac dexteritas in agēdis mirè acclinauerat in se reginæ animum: manauitq; murmur, data in id mutuo fidei, quòd Vladislaus liberè in Hungaria regnaturus foret, si modò aut precibus impetraret, aut armis extorqueret sacram Hungariæ coronā: & posthumum, à Friderico Cæsare, qui post Alberti mortē, fretus reginæ viduitate, infantis patrimonio in Austria abutebatur. Cæterùm vbi regina in Iaurinū rediÿt, leuiter ægrotare cœpit, ac triduo pòst torminibus interÿt, non sine veneni suspicione,

Hunniadiani consilium.

Vladislaus ad Reginam in Iaurinū proficiscitur.

Regina moritur.

propter

propter mortis celeritatem. sed vt de veneno addubitatũ, ita quantum exterioribus signis licuit deprehendere, id maximè compertum, Vladislaum scilicet agerrimo animo mortem eius tulisse, frequenterq́ asseuerasse sublato velut obside ac stabilimento pacis, Boëmis rerum nouarum cupidis, non defuturas causas machinandi contra fœdus, vt bellum instauraretur. Nec secus accidit. paulò enim pòst cum oppidis simul omnibus quæ præsidijs eorum tenebantur, ad Cæsarem defecere. Rursusq́, non ex insidijs, sed vt aperta cœperunt regijs partibus insultare. Eodem tempore apparatu & numero hominum insignis legatio venit à Turco, magis, vt fama tenuit, explo- Boemi cõtra fœdus deficiunt. Insignis legatio a Turco.



ratum, quis status esset rerum in Hungaria, propter intestinum bellum, de cuius euentu maximè sollicitus erat, quàm quòd crederet ea quæ postulabat impetrare. Quandoquidem Hunniadianus, cui cohibendarum populationum Turci curam commissam fuisse diximus, non solùm incurrentis impetum sæpe submouerat: sed felicitate etiam & virtute sua fretus, in agrum hostilem populabundus ipse irrumpens, occurrentibus sibi Turcis haud sanè ignobiles clades intulerat: & fortuna sapiẽter vtendo paulatim extorserat, vt non tam vincere, quàm vinci se posse sentirent. Itaque cum ferè eisdem verbis, quibus ad Belgradum regij legati dimißi, tunc etiam offerretur fœdus, eiusq́ velut obses postularetur aut Belgradum, aut annuum tributum, superueniente nuncio ab Hunniadiano, qui asserebat per eos dies cum Turcis bis feliciter pugnatum, multosq́ in prælio captos, plures in fuga trucidatos: inter quos cecidissent duces duo maximè insignes: præterea signa militaria pleraque illis adempta, & cum victoria ingentem quoq; prædã à militibus reportatã: haud sanè mitius responsum est, quàm Hunniadianus cũ Turcis bis feliciter pugnat.

inflata

inflata legatio exigebat. Inquit enim rex, relaturum se de his quæ petebantur ad Hunniadianum, & secundum fortunã quæ aut illi aut Turcis affuerat, proximis diebus per legatos suos ad postulata responsurum. Cæterum cum post reginæ mortem regni omnes proceres in fidem Vladislai rediissent, nihilq; hostile iam in regno superesse videretur, præter Cascouiam cum appendicibus, & illic quoque affinitas inter Giscram & Agriensem inita, renouandæ cõcordiæ spem faceret: videreturq; Cæsar, ad quem factio illa defecerat, etiam vt cætera parum essent apud eum efficacia, tamen propter quietis ingenio suo insitum studium, omninò pacem bello prælaturus. Iulianus ratus commodum tempus suadendæ cõtra Turcos expeditionis, & publicè apud regem, & priuatim apud primores regni, cœpit eam rem agere. Vladislaum admonebat spei quam sibi proposuissent omnes Christiani principes, vbi eum accitum esse vt in Hungaria etiam regnaret, intellexerant, felix faustumq; id Christiano nomini visum fore, & pro felicitate ipsius vota solennia ab hominibus nuncupata, quòd pacatum regnum propè totum iam possideret, non minus precationibus aliorũ Christianorum, quàm suis armis effectum: dandam esse operam, vt tam ingenti de se expectationi responderet. Expeti id etiam à religione quam profitebatur: sed nec minus à necessitate status sui, & tuitione illorum quos in fidem susceperat, non posse à se negligi eam expeditionem, aut salua fide præbita Hungaris, aut incolumi non solum Hungariæ, sed etiam Poloniæ: cuius salus ab Hungariæ salute dependeret. vindicandam indignitatem postulati à se tributi, in tanta status sui felicitate: indicandumq; propè negligenter ad id locorũ rem gestam, quidue interesset inter expeditionem quæ tantummodo regijs auspicijs, & illam quæ non auspicijs solùm, sed ductu etiam regio ageretur, de victoria dubitare non sinere res feliciter ab Hunniadiano gestas cum parua manu, respectu copiarum quas ipse foret educturus. Apud Hungaros verò proceres asserebat, diuinitùs contigisse vt Vladislao regnum committerẽt. Eam mentem coniungendi inter se vires duorũ tam potentissimorum regnorum, Deum eis indidisse, vt imperium finesq; suos non solùm tuerentur, verumetiam ad Hellespontum & Aegeum vsque mare propagarent. non prætermitterent opportunitatem, cui etiam fatum & fortuna fauisset, illata per reginæ obitum, veluti necessitate imponendi finem seditionibus intestinis. ad felicitatem publicam expediendam, non in præsens modò, sed etiã in perpetuum nihil eis deesse posse, præter rectam mentem: non deessent ipsi occasioni suæ, quando reliqua omnia ad victoriã, ratio, fortuna, fatum, abundè accommodassent. Accedebãt ad hæc preces miserabiles & lachrymæ Despoti, qui nõ solùm regem orando adibat: sed quosque etiam sortis mediocris supplex prensabat, rogabatq; flendo, vt non omitteretur tempus & facultas vlciscendi calamitates Christianis inflictas, & pleraque omni cruciatus genere fœda supplicia, de alijs multis per crudelitatẽ à Turco sumpta, indignando filiorum suorum erutos oculos, nefarieq; abscissa pudibunda, supra quàm humanæ aures pati possent, miserabiliter deflebat. Ad extremum regi simul & purpuratis alijs memorando, quàm felix potensq;

Iulianus expeditionem contra Turcos suadet.

Turci immane factum.

paulò

paulò ante imperio, liberis, & cæteris benignæ fortunæ blandimentis visus esset, qui tunc aliena misericordia aleretur: obtestabatur regem simul & purpuratos alios, ne se, ne filios, ne Christianum nomen inultum sinerent, ad Hungariæ fines tempestatem, iam peruenisse: potius alienæ calamitatis vindices se præbere vellent, quàm expectare dum sua quoq; simul cum ipsis eodem naufragio obruerentur. Non tamen aut huius iustæ preces, aut Iuliani prudentes asseuerationes vltrà valuere, quàm vt qui aberāt proceres de ea re Budam accirentur. ibi maiori ambitu, maioriq; asseueratione omnia hæc repetita, atque etiam aucta: cum ad superiora hortamenta Iulianus adijceret, multorum quoque aliorum Christianorum principum auxilia in tempore affutura. Constitutum igitur omnium miro consensu, vt veris statim initio, rex quàm maximè fieri posset numerosum instructumq; exercitum educeret, moueretq; in Bulgariam. interim verò cum Cæsare aut de pace, aut de fœdere transigi placuit. Et quod ad publicam Christianorum omnium causam vel aduocaretur ipse, vel auxilia ab eo expeterentur. legationes præterea decretæ, quæ non solum Polonos, sociam coniunctamq; iā gentem, sed Prutenos quoque & Valachos adirent, ad eamq; expeditionem implorarent. Cæsar inducias dedit in biennium. Quòd verò ad expeditionem Christianis rebus adeò necessariam, nec venire ipse, nec subsidium mittere posset, Boëmiæ tumultuantem statum in excusationem adduxit. Magister quoq; Prussiæ allegata vastitate, quæ proximis temporibus continua bella eam prouinciam afflixissent, nihil quale petebatur ab se sperandum renunciauit. A Polonis & Valachis missæ sunt cum semestri stipendio equitum peditumq; auxiliares copiæ, quas ingens armatorum multitudo subsecuta, quibus domos, coniuges, liberos, patriam, cæteraq; humanæ vitæ aut præsidia aut ornamenta propter eiusmodi militiam relinquere, non consilium aut merces publica, sed priuata in Deum pietas, & studium Christiani nominis, simul tuendi, simul propagandi, persuaserat. Quod genus militum cruce signatum ex alijs quoque nationibus ad famam religiosæ expeditionis ingenti numero confluxit. Igitur præmissis supplicibus precationibus, rebusq; diuinis dies aliquot per omnia fana solenni ritu & cæremonia peractis, circiter Kalendas Maias rex Buda mouit: transmissoq; per Danubium exercitu, paruis itineribus ingrediebatur, suos, qui nondum conuenissent, expectabundus. Superato deinde Tibisco, rursus ad Danubium se conuertit, copiasq; ad Salsum lapidem traiecit. in Bulgariam mox rectà progressus est, Sophiam oppugnatum quo in loco Despotus cum suis regio exercitui se coniunxit. vrbs ea naturali situ haud sanè egregiè munita est, sed regis subitus aduentus etiam improuisam deprehenderat: itaque breui tempore, nec difficili conatu, capta. Cæterùm quia plus operæ seruanda ea insumendum, quàm capienda insumptum apparebat, direptam prius à militibus rex succendi iussit. pari subinde felicitate, cum pleraque ignobiliora oppida expugnasset, diripuissetq;, non procul à Morana fluuio castra posuit, in loco qui vt non rectè collis, ita nec planicies queat appellari: sed medius inter vtrumq;, quantum à colle submittitur,

Vladislaus Rex exercitū contra Turcos educit.

Magister Prussiæ renūciat.

Sophia oppugnatur.

mittitur, tantum à planicie turgescit. Illic missi equites quingenti simul prædatum trans flumen, simul speculatum qua tutius & minori cum vexatione progredi exercitus posset. Illi exoriente sole profecti, sub meridiem in speculatoriam Turcorum manum inuecti quatuor cum cepissent, cognoscunt duo millia hostium per proximam siluam aduentare: itaque impares se pugnæ intelligentes, qua propius ad flumen iter arbitrabantur, in fugam se vertunt nec mora, Turci visi à tergo trepidationem simul & fugiendi studium auxere. Erat inter refugientes & fluuium tellus editior, ex cuius vertice cum pateat longè lateq; prospectus in Cisinoranam regionem, allabentis tamen fluminis alueus non apparet, visu supra vallem, ceu per extensam planiciem, longissimè in oppositos tumulos procurrente. Itaq; cum refugientes ad flumen regij, per collem transcendissent, & propter altitudinem præruptæ ripæ in citeriorem partem ad suos euadere posse desperarent, pars quidem in aquam stratis equorum tenus se immiserat: reliqui verò in extrema margine fluminis substiterant animo quo sunt illi qui sine alicuius aut defensionis aut effugij spe, mox ab hoste immanissimo trucidari expectant. nec vanus forsan eorum metus fuisset: sed rex venatum magno cum numero armatorum, casu cis flumen profectus, Turcorum oculis tunc maximè in summitatem aduersi collis peruenientium, cum occurreret, insidiarum metum illis incussit, cum & longius distaret, & maior appareret multitudo, quàm pro modo eorum quibus à tergo institissent. quare res fecit vt cursum paulisper cohiberent. At rex vbi hostes adesse perpendit, à venatione in pugnæ studium conuersus, ingenti alacritate suos ad flumen dirigit. Nec procul aberat tum qui illic medij inter hostem ripámque insuperabilem creditam, derelicti à se ac desperati, iam tum mortis maximam partem in corpus admiserant, conspectu suorum velut ad cœlitus demissam opem recreati, animos simul & clamorem extulere: versiq; per accliuum retrò, commissæ fugæ pudore stimulante, ad montem magno conatu ferebantur. Interim verò rex quoque cum suis ad ripam peruenerat, & sine delectu placidioris alicuius descensus per abrupta & præcipitia quæcunq;, in flumen prosiliebatur, tam cæca omnium festinatione, vt multi vorticibus impliciti ab aqua violentia secundo amne agerentur. Multi etiam inter luctandum ab equis excussi, armorum pondere pessundante, subitò in aliorum conspectu submergerentur: sed Turci redeuntes contra se Christianos minimè expectauere. Nec pugna fuit, sed vicissim fuga & trepidatio. progressus erat deinde rex trans flumen duorum dierum iter, præmissis speculatoribus, per quos numerum hostium consiliaq; & actiones exploraret. Ex ijs igitur duo trepidè renunciauere, Turcos non longè cum valida manu in insidijs occasionem suam expectare. Qua re audita, Vladislaus statim habito ex omni multitudine delectu, cum decem milibus armatorum Hunniadianum misit, vt per silentium noctis nil tale opinantes hostes adoriretur. Ille à meridie ad primam vigiliam speculatores subsecutus, vbi Turcos haud procul esse comperit; cum luna pernox esset, ad ea loca per quæ maximè fuga patere illis poterat, agmen

Rex inopinato aduentu suos in discrimine vitæ constitutos liberat.

Hunniadianus Turcos noctu adoritur.

agmen tacitè circumduxit: & clamore sublato, torpentes sopitosq́, vtpote quos nulla cogitatio affuturi certaminis teneret, adoritur: primoq́ statim impetu tantum terrorem vulgo incussit, quòd fugam magis quàm arma pro se quisq́ spectare cœpit. Sed vbi ad effugium praeclusas vias omnes percipere, velut in vltimo discrimine per trepidationem alienatis sensibus, equorum frena agrè atq́ arma expediebant. Cum ex parte altera Hunniadianus suos adhortaretur, vt inermem adhuc hostem, somnoq́ & inopinato pauore fluctuantem inuaderent, ac caederent. Frequentes iampridem victoriæ nomen viri apud Turcos non solùm celebre, verumetiam formidabile reddiderant. Itaq́ à principio quidem cum haudquaquam strenuè à trepidantibus hostemq́ ignorantibus resisteretur tumultus & caeca conflictatio verius quàm pugna fuit: deinde vbi Hunniadianum adesse percepere, suósque vbique ab obuijs prosterni, integrósque cum saucijs, semianimes cum expirātibus, varia fœdaq́ pereuntium imagine volutari, vt quemq́ nox & timor praecipitem agebat, per loca inuia vepribusq́ ac virgultis implicita euadere tentantes, facile instans victor consequebatur: maiorq́ longè caedes quàm pro numero eorum qui vicerunt, commissa est: siquidem ad triginta milia Turcorum ea nocte caesa dicuntur, & supra quatuor milia capta, cum nouem signis militaribus: adeò improuisus hostium impetus iam dudum vinci assuetis omnem sensum abstulerat: nec aut multitudine suorū

Triginta milia Turcorū cæsa, & quatuor milia capta cum nouem signis militaribus.



aut fugantium caedentiumq́ se paucitatem sentire patiebatur: sed & castra multa praeda referta, in manus victoris venere. quibus direptis incensisq́, Hunniadianus haud sanè magna suorum facta iactura, cum non minori laude eorū à quibus expectabatur, quàm suo gaudio ad regē redijt.

 fuit

Mamacus sacerdos.

fuit fortè inter captiuos Mamacus, sacerdos doctrina & religione apud suos clarus, à quo super ijs quæ in religiosa Musamanorum historia vulgò feruntur, aut improba, aut obscœna, cum multa Sanoceus, vt erat morum rituumq́ peregrinorum vestigator curiosus, exquireret: ille nec sortis suæ, nec professionis oblitus, nō licere inquit, de secta sua vinctum disputare. Cæterùm Sanoceo instante vt vel fateretur, vel purgaret religioni suæ obiectas sordes, propriumq́ id esse munus sacerdotis asseuerante: ille præfatus, Turcos quoque homines esse, ab eisdemq́ principijs, quæ mortales alij sua esse profiterentur, corpus simul atq́ animam ducere, subintulit: & quoniam in ijs quæ percipiuntur tractanturq́ sensibus, cum reliquo humano genere consentirent, maximè verisimile esse, vt in illis quoq́ quæ aut opinio aut intellectus suggerit, sine probabilibus rationibus minimè se habeant.

Bulgarorum oppida pleraq; ad regem defecere.

Post eam victoriam, pleraq́ Bulgarorum oppida simul Musamanicæ impietatis, simul affectu Christianæ professionis pellecta, tum etiam linguæ commercio, & quòd eadem cum Polonis primordia generis haberent, eiectis Turcorum præsidijs, ad regem defecère. Nonnulla etiam in ipsa trepidatione expugnata partim per regios milites, partim per Volones cruce signatos, qui ductu Iuliani multa egregia facinora quotidie edebant, & iam cum victoria peruentum erat sub ipsum Thraciæ aditum. Cæterùm licet multum bello quæsitum videretur, non minus amissum credebant, in vexatione per quam copiæ illuc peruenerant. Cum enim propè à fonte Tyabri amnis, qui à Mysis olim Triballos disterminabat, Bulgaria per dorsum Hæmi montis in vulturnum aquilonemq́ porrigatur, à meridie in Thraciam declinat, à septentrione verò in Danubium deuexa, inferioris partem Mysiæ occupat. Itaq́ media huius regionis inuia rupes ac prærupta saxa tenent. decliuiora autem, & si quæ in planiciem protensa sunt, profundis ferè syluis vastisq́ solitudinibus occupantur. Ideo ager haud sanè egregiè frugum fertilis: sed neq́ alendo pecori satis fœcundus, ac proinde ad cætera mala, quibus itinerum difficultas in ipso iam hyemis initio exercitum mulctauerat, magna hominum iumentorumq́ vi rigore intolerabili, aut lassitudine absumpta, commeatus etiam inopia maximè vrgebat. Et licet pecunia suppeteret abundè, non erat vnde frumenta coemerentur, ex eoq́ ad famem desperatio quoq́ accedebat. Nec quicquam aliud victum iam malis suis exercitum, ne dissolueretur, retinebat, quàm crebræ Hunniadiani adhortationes, cuius asseueratio, quo peritior earum regionum rerúmque habebatur, eo veluti solidiori spe ab omnibus accipiebatur. Ille quicquid malorum exhaustum erat, frigus, famem, lassitudinem, desperationem, repetere, rursusq́ perpetienda dicere, si regrediendum foret: tanto hominum iumentorumq́ vexatione maiori, quantum regionis naturalem vastitatem bellum etiam exhauserat, longè plus solitudinis difficultatumq́ à tergo relictum, quàm emetiendum superesset. Si progredi perseuerarent, multo etiam per altiora mœnium iuga superata, quàm per quæ in Thraciam transcendendum. Stare eos in limine horrei felicioris iam agri, biduoq́ peruenturos non ad amœniora solùm loca, sed rerum etiam omnium feraciora,

in qui-

in quibus præterquam quod reficiendo exercitui abundè omnia superfutura, tantum etiam prædæ passim expositum, quantũ referre fastidiret, vnicum atque eundem vltimum laborem instare: subinde non bellum fore, sed populationem. Meminissent qua alacritate per inaccessas cotes & saltus inuios, etiam inuita natura paulò antè properassent. Qua virtute nihil actum foret, si victoriam non prosequerentur: cæsos quidem ab se ad satietatem hostes, sed facilè instauraturos exercitum: veriusq́ irritatos, quàm victos dici posse: rursus occupaturos ea quæ ipsi deseruissent oppida, & à patria penatibusq́ & laribus domesticis: postea propulsandum iterũ bellum, quod in agrum hostilem vincendo conuerterant: incertum esse an eadem felicitate arma semper assumerent, dum Deus & fortuna cœptis fauerent. non temerè omittendam debellandi in Europa opportunitatem, præter id quod felicitatis suæ occasioni defuisse flagitiosum videretur. Deum etiam subinde iratum fore. Hæc & plura eiusmodi sæpè vulgò & in concionibus iactata ab Hunniadiano, interdum etiam Despoto: cuius vnica spes erat rerum suarum iterum potiundi, si bellum non intermitteretur. Succumbentes aduersis non solùm militum animos, sed ducum etiam sæpè firmauerant. Cumq́ illi audirentur, videbatur vnusquisque extrema quæque toleraturus: sed premente subinde fame, cæterisq́ temporis ac locorum difficultatibus, rursus in pristinam desperationem recidebant: vicissentq́ humanæ necessitates, vt contingit sæpè, verecundiam, nisi aduentus hostium renunciatus, ne temerè dilaberentur, cohibuisset magis, ne segregatis ac dispersis per loca incognita trucidari contingeret, quàm spe in tantis malis insultantibus resistendi: sed iuuabat etiam vtcunque cum suis vitæ virtutisq́ supremum opus obire. Itaque vbi mox affuturum hostem cognouêre, lætari pro se quisque & gratias immortali Deo agere propter oblatam occasionem pugnando intereundi. paulò antè non mortem, sed genus ipsum mortis grauissimum fuisse, cum veluti debilibus bestijs fame in deserto extabescendum foret. Tantóque ardore animorum arma vbique in castris expediebantur, vt facilè intellectu foret, eos sine ordine, sine imperio, si appropinquasset hostis, eruptos. Interea Hunniadianus, qui cum paucis ad montem subierat, refert illos summa iuga insedisse, vt qui non acie dimicaturi venissent, sed regem tantummodo transitu prohibituri. posuisse illic enim castra, lapidésque & ligna comportando, tumultuario opere aditum ad se vndique communire. nec fefellerat eum coniectura. namq́ vbi Amurates suorum cladem acceperat, veritus id quod futurum fuit, vt bellum in Thraciam & Macedoniam transferretur, nisi properè misisset qui arcerent, accitis ad se copijs quas in Asia habebat, cum reliquijs paulò antè profligati exercitus sui, eas coniunxerat: destinaueràtque, vt per nullam occasionem fortunæ se committendo, obsessis montium angustijs, nihil aliud quàm transitu arcendo, Vladislaum sub montibus retinerent: satis supérque hyemẽ famemq́, & cætera mala, quibus hostes vexari constabat, cõtra illos pugnatura. Sed quem cõsilij sui exequendi principẽ fecerat, dux Phrygiæ Carambus, vir manu & ingenio promptus, cum ex loco edito

Hunniadianus & Despotus succumbentes, animos militum & Ducum erigunt.

Coniectura Hunniadiani.

animaduerteret tumultuantes regios in exercitu, & plerosq; diuersis in locis non legitimo imperio, sed perturbatè ac temerè ad pugnam erumpentes, alacriusq; quàm par erat, propter loci iniquitatem per accliuũ niti, simul se veluti contemni impatiens, simul quia & loco & numero militum superior victoriam in manibus habere ratus, quasi res bene gesta decus praeuaricationis culpam diluturum mox esset, etiam contra id quod in mandatis acceperat, pugnare instituit. Itaq; explicatis aciebus, signa in hostem deferri iussit. Id vbi rex animaduertit, ad suos, quos magis honestæ mortis quàm victoriæ spes temerè ad montem agebat, cõuersus, aduocatisq; Hunniadiano ac Despoto, & cæteris primoribus, Deus inquit, Deus adest, fauetq; ille hostibus, cum insidentes montis fauces, per ocium satiare possent oculos interitu nostrorum, fame malisq; alijs passim pereuntium, mentem illic manẽdi abstulit, & nunc præcipites in eos agit: qui sic armati prosiliere, vt certamini superesse nolint. Rapiamus occasionẽ animisq; & alacritate, quam nostri vt honestè occumbant, extulere: vtamur ad victoriam, ad quam nihil efficacius esse solet, quàm si sine metu mortis pugnatur. quo maiori desperatione in hostem feretur quisque, eò violentius cedet ac prosternet obuios: & dum mori non recusat, victor euadet. nec mora, producturus ipse cum Despoto & Iuliano reliquos in aciem, Hunniadianum misit qui temerè sparsos colligeret: & quantum res subita properantiúmque ad vltimum discrimen, non ardor, sed propemodum rabies sineret, prouideret, ne cæca eorum temeritas plus hosti ad victoriam conferret, quàm ipsius aut virtus, aut felicitas. Ille properè incomposita multitudinis primos assecutus, vt quemque pleniori gradu ad montem festinare intuebatur, ita admonendo, ne cæco impetu, veluti paratum iugulum hostibus offerret (Cuiq; enim non in sua morte, sed in hostium cæde laborum periculorúmque omnium terminum positum) rogabat vt se in acie locari pateretur. Et si tanquam victurus nollet, saltem in vltionem suæ quisque mortis acriter pugnaret: non temerè, quod pecudum esset, sed vt viros fortes decet, ex militari disciplina, pertinere ad futuram famam, ne incruentam de se victoriam hosti permitterent. Et cum dicto, ordini, qualem casus & tumultus præstare poterat, simul quemque applicabat, simul benignè retrò agebat, in proximam tumuli planiciem, ex qua placidius accliui colles haud difficilimum ad se aditum præbituri videbantur: cum interim rex quoque cum cæteris copijs accurrisset, & Turci nihilo segnius ex superiori loco decurrẽtes, eò iam peruenissent, vt missilibus ex interuallo prælium committerent. Quorum eò minus quicquam vani teli intercidebat, quo densius regiorum agmen ardentiorique studio ad excipiendum hostis impetum sursum nitebatur. Multi priusquam cominus congrederentur, vulnerati: sed vbi ad manum ventum, & gladio res agi cœpta est, ante alios Poloni desperatione atque ira obcæcatis animis inuadunt hostem, ac prosternunt tam obstinato impetu, quòd locis aliquot minimè sustineri potuerunt: cœpitq; aduersa acies conturbatis ordinibus nutare: sed accurrens ad omnia discrimina Carambus, & plerosque ex suis gladio & vulneribus, alios voce ac maledictis increpitans,

Carãbus contra id quod in mandatis acceperat, pugnare instituit.

Rex suos alloquitur.

Pugna acerrima inter Polonos & Carambum.

crepitās, quòd à lassitudine, inedia, frigoribúsque enectis, per inanem trepidationem se vinci paterentur, certamen redintegrauit, ordinésque restituit: identidemq́, vbi acrius pugnari animaduertebat, circumclamitans, cæcum scilicet desperatione hostem sponte in vulnera agi: tela tantummodo intendenda, ipsum se sua sponte iugulaturum, per omnes militis ducisq́, optimi conatus tam periculosæ sibi pugnæ euentum distrahebat: cum interea multi vtrinque aut caderent subitò, aut tam grauiter vulnerarentur, vt delapsis in terram, vires minimè ad consurgendum suppeterent, conculcantibusq́, equorum pedibus, quantò serius, tanto miserabilius interirent: sed maximè insigni atque horribili aspectu patebant vulnera equorum per Polonos cruce signatos inflicta. Erant ferè pedestre agmen, lanceásque gestabant: id tantummodo à venatorijs distantes, quod nō punctim solùm, sed cæsim etiam ferro prælato & oblongo infesta vtroque modo ferebant. Itaque illi inter equites excursantes per loca modicis virgultis implicita, non tantùm latera equorum mucronibus aperiebant; sed crura plerunque tota à corporibus detruncantes, ceruicesq́, altissimis vulneribus incidentes, magna ex parte ad pedestre prælium Turcos redegerant: qui eo genere pugnādi tantò facilius superabātur, cedebantq́, sensim retrò, quanto equestribus assueti insultibus, peditum laborem minus ferre consueuere. Cæterùm vbi equus à quo Carambus vehebatur, per ventrem lancea transuerberatus, dolore sæuiens inter hostes equitem profudit in caput: vulgatumq́, est, ducem aut cæsum, aut certè captum esse, multitudo ad montem conuersa, quod reliquum præsidij erat, fugæ se cōmisit. Insequentibus Christianis, & fugientium terga passim cædentibus tanto ardore animorum, vt ad summa vsque iuga, per omnia aspera atque inuia euasuri viderentur: sed cum plus negotij ab locorū iniquitate, quàm ab hostibus futurum appareret, & iam dies in noctem inclinaret, quo tempore etiam in plano locísque æquis errabunda obluctantium vestigia periclitantur: rex prohibens vlterius in locis penè insuperabilibus vim afferri, signum receptui suis dedit. Ex aduersa autem acie qui cædem effugerant, pauore ac festinatione amentes, per saxa, præcipitia, rupésque abruptas, proiectis armis, & manibus, cotes innatáque illis virgulta prehensantes, ægrè nitebantur, euadebántque ad suos, qui munitiones castráque verticibus imposita seruabant. Inter pugnandum Carambus alijq́, viri multi genere ac factis insignes capti, plures tamen cæsi in fuga. Itaque amisso duce & roboris penè quantum fuerat in exercitu, cum appareret Turcos minimè toleraturos impetum, si ad eos infestum agmen ire pergeret, postero die rex sub aditum quem insederant, castra posuit. extulerat suorum animos pugna prospera, nec minus stimulabat cupiditas transcendendi in loca commoda releuandis malis, quibus miserè affligebantur: exindéque aut victoriæ, aut necessitati, nihil imperuium arbitrati, contra ardua quæq́, per accliuium obluctabantur. Nec segnius ab hoste desuper missilibus penè obruebantur. Videns itaque Rex naturæ difficultatem obiectam suis, & quod suo ingenti, hostium verò nullo discrimine, ad montis vertices peruenire

Carambus capitur, & reliqui Turci fugā adornant.

nire conabantur, temerè effusum agmen in castra reducturus properabat. Moxq; præterquam quòd satis in ea expeditione factum credebat, animatis suis vincere & vinci desuetis, hyemis locorumq; asperitati cedere instituerat.

Hunniadiani animus infractus.

Cæterùm Hunniadianus obstinatus, cuncta priùs experiri, quàm desistere à prosequenda victoria, cum animaduertisset obliqua montis nuda vepribus, & agendo itineri clemēter accliuia, illac euadere in summum iugum posse arbitratus, suos circumegit. Prominebat in abruptum vertex editissimus, & Turcis ascendentium montem sub se aspectum adimebat: eoq; non facilè solùm, sed etiam tutè miles ingrediebatur. quod vbi rex percepit, mutata sentētia subsequi Hunniadianum cœpit cum reliquis copijs. Peruenerat iam prima militum manus in iugum, æquè editū atq; id quod insederant Turci, sed in immensum hians saxum progredi vlterius non sinebat. quò cùm Hunniadianus quoq; ascendisset, videretq; hiatū propter magnitudinem neque tumultuaria materia impleri posse, neq; ponte coniungi, cū haud plus stadijs duobus ab hoste distaret, submisit impigram ex peditatamq; militum manum, occupaturam recto itinere aditum in montem, si Turcos paululum submoueri contingeret: confestimq; obuersis firmatisq; in illos machinis, haud mediocris magnitudinis lapides contorquebat, quorum præter consternationem quàm insuetus horrendusq; auribus fragor animis incutiebat, vis improuisa minimeq; tolerabilis, propter lapidū magnitudinem multos in principio obtriuit: parumq; abfuit, quin noua fœdæq; stragis subito terrore & clade perculsi, omnes locum desererent: quippe quod vnius lapidis impetu, quàm plures sæpe diuersa specie, diuerso genere mortis absumi intuerentur. Nec mali illius euitandi alia præter quàm fugæ ratio succurrebat.

Alibeus post captum Carambū Dux creatur.

Sed Alibeus post captum Carambum, militari consensu dux à suis creatus, admonens eam pestem vitatu facilem, si fragore audito post eminentes cotes illicò procumberent, non modò ab incœpta iam fuga eos retinuit, verumetiam ad resistendum animauit. Cùm itaque semel atque iterum efflata in se tormentis saxa feliciter elusissent, intrepidè inde arcebant deturbabantq; regios enitentes aditum occupare. Quod vbi Vladislaus animaduertisset, veluti securis hostibus ac insistentium suorū eminus non hominibus, sed locis expugnandis conatus omnes irritos fore iam credens, desperataq; cominus congrediendi facultate, cum rigor hyemis & in quā transcendendorum montium spes maximè pellexerat, commeatuū inopia premeret vltrà quàm sustineri iam posset, retroagendi copias rursus consilia cœpit agitare.

Vladislaus de retroagendis copijs deliberat.

At Despotus, cui omnia æquiora toleratuq; minus dura apparebant, quàm belli eius intermissio, per quod fortunam dignitatemq; pristinam recuperaturum se credebat, ignominiosum fore asseuerabat, si capto duce, debilitatoq; hostium exercitu, deuictis iam & qui nō armis, sed vt pauidæ feræ cotibus ac speluncis se tegerent, terga verterent. Eadem illos, cùm rerum omnium penuria, tum aëris intemperie, qua & regij laborare, moxq; humanis necessitatibus cessuros, si paululum perseuraretur, non cōmittendum, vt fluentia luxu Asiana corpora, tolerandis difficultatibus superasse viderentur, Germanorum Hungarorumq; iam tum

ab in-

ab infantia cœli terraq́; rigoribus duratos artus, daturum se pecuniæ quã tum foret opus frumentis coemendis, quorum copia circum omnia loca abundarent. Iulianus quoq; haud fermè ijs dissimilia iactando, ab instituto regem auertere conabatur: sed fame ac frigore extabescentibus hominibus iumentisq́;, cum paterentur vulgò grauiora vtiq; quàm quæ ancipitis spei consolatione leniri possent, peruicit in desperatis animis necessitas, vt fit, honesti rationem. Et conuersò agmine, in planiciem descendère: moxq́; collectis impedimentis, præmissisq́; retro quà venerant subsequebantur. Exercitus in planiciẽ descendit.
Turci verò vbi vinci se posse hostem desperasse percepere, læti secum & inflati noua spe, iuga montium deseruere: subsequendoq́; abeuntes crebris à tergo impressionibus vexabant. Et licet non magnas, frequentes tamen clades inferebant, sed & plerunq; accipiebant. Conuersis enim in eos expeditissimis quibusq; manumq́; conferentibus, multi ex illis cadebantur: etsi regiorum quoque impetus plerunq; frustrabatur, refugientibus statim Turcis, qui mox conglobati rursusq; infesti aderant. quandoquidem multa præda impedimentisq́; grauis exercitus minimè properare poterat. Silua est densa non tam frequenti & procera arbore, quàm ramosa & ad radicem fruticante. Præterea implicita vndique sinuosis quibusdam & stagnandi cœno, voraginosis anfractibus, quales obsoleti fluuiorum meatus, vbi aut humana arte, aut vi naturæ cursum aqua immutauit: eamq́; ob rem ferè tota inperuia, & sic vbi transitum præbet, angusta admodum via, & frequentibus commissa ponticulis. ad eam ventum cum esset, præmissa cum sarcinis leui armatura, in postremo agmine, qui veluti murus antecedentium terga protegerent, hastatos equites collocarunt, progrediebanturq́; ad iter. at Turci quotidiana insultandi consuetudine superuenientes, cum magna pars equitatus in siluam progressa foret, impetum faciunt in vltimos, quorum clamor præcedentes subitò ad se conuertit: & vt Turci Regios
quenq; succurrendi suis studium & festinatio inconsulta rapiebat, ita extra in difficultatibus constitutos
viã egit in loca cœnosa & palustria. Ex quib. diu luctati, in pedesq́; recepti, lacessunt.
ægerrimè se atq; equos expedirent, propterea quòd vliginosa terra hominũ iumentorumq; vestigia altissimè in se recipiens, difficilius remittebat, datũ est Turcis spacium capiendi ex postremis equites circiter octuaginta. Sed cœno tandem regij atq; vligine expliciti, refugientes assecuti suos liberauere. Nec minus sexaginta supra centum ex hostibus captos iugulauere, illico reliquis fusis fugatisq́;. multoq; difficilior eis cum natura loci luctatio fuerat, quàm fuit postea pugna in patentibus cãpis cum hoste commissa. Ceterùm cum & fames quotidie grauius vrgeret, & tam frequens Turcorum insultus, ad cætera mala per lassitudinem tãdem penè ad internicionẽ exercitum mulctaturus appareret, placuit comportari simul succendiq́; quicquid erat inter sarcinas, quod exercitui magis tunc oneri esset, quàm vsui postea futurũ, tum iumenta debilia aut superuacua interfici, & arma quæ aut ex defunctis militibus, aut ex præda supererant, terræ infodi. quibus diligẽter peractis, exercitus subinde velut expurgatione superuacuorũ nouũ quendã vigorẽ accepisset, maioribus itineribus quàm vt ociosè insultando

F insequi

Vladislaus Budam solenni pompa ingreditur.

insequi Turcos posset, ad Belgradum se recepit, ibiq; per quietem & recreationem diebus aliquot consumptis, rex unde mouerat Budam contendit. vbi postquam cognitum est ciuitati appropinquare, procedentibus in sacro ornatu & solenni caeremonia sacerdotibus, ingenti numero, populus omnis generis promiscuè effusus, cum gratulatione reducem salutauit, excepitq;. ingrediebatur ipse pedes ex voto templum priusquam regiam aditurus. Praibant verò captiui insignes cum Carambo: tum militaria signa hostibus adempta, cum parte prada qua supererat, praeferebantur. Subsequentibus militibus ante omnes Polonis cruce signatis, laudesq; ac nomen regis militari alacritate in cœlum ferentibus, ipsum vnum esse qui regias artes virtutesq; non nosset solùm, verumetiam impleret. Caeteros per ignauiam & socordiam aetatem agere in domestico luxu, prodita ac deserta re Christiana: qua tum primùm caput attollere incipiens, breui ad pristinum decus amplitudinemq; esset peruentura. Sed & iuxta regium decus Hunniadiani nomen celebre apud multitudinem audiebatur, cuius maximè ingenio ac virtute in rebus bellicis victoriam adeptam credebant. Caeterùm multo insignius futurum fuit spectaculum, si necessitas expediendi exercitum, magnam pompa partem non ademisset, spolijs multis vltrò concrematis in itinere, alijs sub terram relictis. Postquam verò laudes gratésque ob rem bene gestam Deo acta, signa tholis subfixa: & repetitis egregiè factis dictisq; cuiusque ex ducibus, pro meritis singuli praemio affecti. Mox vt eorum virtus ad posteros quoque testatior redderetur, insignia cuiusq; cum titulis in conspectiore parte templi ditissima diligentiq; pictura effigiata.

P. CALLIMACHI GEMINIANENSIS DE VLADISLAO REGE, SEV CLADE VARNENSI,

Liber II.

Legati ad Vladislaum mittuntur.

VICTORIA de Turcis virtute Vladislai regis parta, omnium ferè Christianorum principum legatos ad se exciuit: sed in primis frequentes conuenere ab vniuersa Italia, quam ea tantummodò fiducia tenebat, minimè se vexatum iri à Turcis, si eos Poloni & Hungari, aut subigerent sibi, aut certè non absistendo à bello, iugiter oppugnarent: vno omnes ore ac consensu affuisse Deū, affuturumq; asseuerabant pro & iusto bello: & qua ad id locorum gesta erant efferentes, ad reliqua exequenda exhortabantur. Sed ante alios Pontifex maximus Eugenius, Venetiq;, & Ianuenses, cum Philippo Burgundionum duce ij ad laudes parta victoria adhortationesq; noua expeditionis instauranda, adijciebant etiā pollicitationes subsidiorum: seq; ingentem classem in Hellespontū missuros spondebant, per quam Turci ex Asia transmittere, seq; cum Europeis coniungere prohiberentur: qua ratione facillimum fore in Europa debellare, in qua pauci admodum superessent hostes, & ij trepidi ac perculsi & non nisi vinci assueti, modò paululum rex anniti vellet, exterminari omnino

tota Europa impiam execrandamq́ Musamanorum superstitionem posse, re Christiana in perpetuum aucta & stabilita. Ioannem etiam Palæolo-



gum, Græcorum Imperatorem, cuius fortunam maiestatemq́ Turci non modo labefecerant, sed penè euerterant, successus Vladislai extulerant, in spem rei dignitatisq́ suæ in integrum restituendæ. Missiq́ sunt etiam ab ipso oratores, qui præfati ea quæ facere visa sunt ad tanti euentus gratulationem, diuina humanis commiscendo, religiosa asseueratione nunciauerunt, visum esse à plerisque Constantinopoli ante portam quæ ad Macedoniam emittit, equestrem iuuenem candida veste ornatum, per speciem lætitiæ hac illac excursare, eadem hora, vt postea compertum fuerat, qua res à Christianis contra Carambum prosperè gerebantur, moxq́ euanuisse. Id visum omnium animos primò sollicitos habuisse: subinde cognita regis victoria, illius nuncium vulgò existimatum. Caterùm prudentiores & quos aut vitæ sanctimonia, aut profundæ alicuius disciplinæ cognitio peritos futurorum reddidisset, non tam credere Vladislai successum diuinitùs Græcis nunciatum, quàm eos admonitos temporis & occasionis suæ, Turcorum in Europa rem penè profligatam esse, in Asia etiam fluctuare molientibus res nouas circumadiacentibus tetrarchis: ideoq́ non cunctandum vlterius, sed trepidos suaq́ imbecillitate ac vi aliena laborantes, subitò opprimendos. qua persuasione Imperator eorum excitus, cum suis quidem armatus ex parte altera affuturus, si modò regi cordi esset primo quoq́ tempore eam victoriam prosequi, quã Deo duce ac comite vel exinde adeptum esse constabat, quòd diuinis etiam nuncijs fuerat perulgata. Accedebat ad hac supplex Despoti ambitus, & quotidianæ pre-

Legatio Polonica.

ces obtestationesq́, cum lacrymis: tum instans Iuliani adhortatio, vocesq́, aßiduæ, multoq́, iam efficaciores apud animos primæ expeditionis successu elatos. Quibus ne magno animo rex subitò assentiretur, res Polona continuit. Venerat enim eodem quoq́, tempore legatio à Polonis, gratulatum & ipsa quidem regiæ felicitati. Cæterum tentare iterum fortunam non prius oportere admonebat, quàm cum proceribus Polonis vel in finibus regni consilio inito, prius rex illud expediret, quo tandem ordine rebus suis domi constitutis ac firmatis, externum bellum regni sui securus prosequeretur. Non videri rationi consentaneum, sollicitum esse quenquam de rebus alienis, antequam sua in tuto collocauerit. Recensebat deinde in qua deformitate Polonia esset, quid licentiæ vbiq́, insolesceret, quis in priuatis cupiditatibus ardor, quæ in publicis opportunitatibus negligentia: ex quibus nactos occasionem Tartaros, magnam Rußiæ ac Podoliæ partem depopulatos: sed & præterquam quòd priuatæ procerum simultates ad vulnera & cædes iam peruenerant, à finitimis per latrocinia tanquam iusto bello etiam prædas abigi, inprimisq́, à Boleslao duce Opoliæ, adea vulgari, Cazimirum ex Lituania bellum Masouiæ propediem illaturum, tot malis succubiturum omninò regnum, nisi subito succurreretur. Quæ regis animum eo mouebant magis, quo verius dici nunciariq́, sciebat. Tamen ne regni vnius priuata neceßitas publicè omnium Christianorum rei apud mentem suam præponderare appareret, prius collaudato singulorum, quorum legationes aderant, in se officio, ac beneuolentia, nec minus pietate in religionem ac Deum immortalem: cæteros omnes oratores sic à se dimisit, vt qui sperare possent facturum ipsum postulata. Polonis verò dixit, conuocaturum se illico Budam Hungarorum optimates: daturumq́, enixè operam, constitutis omnibus quæ ad pacem bellúmue eius anni attinere viderentur, vt mox ea quæ ipsi petierant, exequeretur. Constituta subinde Hungaris conueniendi die, vt si communi iterum consensu educenda censeretur in Turcos expeditio, stabilior quies domi relinqui posset, spondendo in id fidē, quòd absoluto conuentu, ad sua quiq́, omnes inuiolati reuerterentur. Giscram etiam magistratusq́, ciuitatum, quæ ab illo dependebant, placuit per literas accersiri, licet aduersante Iuliano, qui præsentibus Boëmis nil quod quidem ad religionem pertineret, ritè transigi posse arbitrabatur. Sed confirmauerat regem in sententia Franco Banus, dicens non esse eius temporis quærere quid sentirent, velléntue Boëmi de cæremonijs institutisq́, Christianæ profeßionis, deq́, Rom. pontificis aut ritu aut præceptionib. in sacris tradendis suscipiendisq́,. Aliam esse eorum causam, quibus satis esset verbotenus de religione disceptare: aliam verò eorum quorum cum religione simul vita & libertas periclitaretur, & manu, non lingua tueri se cogerentur. Si quid in Boëmorū mentibus foret, aut à sacra saluatoris nostri historia, aut ab eiusdem mysterijs alienum, non defuturas postea emendandi occasiones, & tempora, illis quorum interesset: interea nihil satius videri, vrgente non eius tantùm regni, sed totius quoque Christiani nominis opportunitate, quàm vti opera quorumcunque, ac inprimis

Boemo-

*Boëmorum, qui & ad manum eſſent, & in priori expeditione, quo ad tuen-
dam religionem, nō ſolùm pij, ſed etiam obſtinati cogniti eſſent. Nec totidem
Volones cruce ſignati ex reliquis omnibus Chriſtianis nationibus accur-
riſſent, quot ex vnica & haud ſanè numeroſa ipſorum gente, ad extremum
adhiberentur, necne, ad eiuſmodi conſultationem, magis quàm alterius cu-
iuſque intereſſe eorum qui illos erant vocaturi: quandoquidem eo blandi-
mento allecti, maiorúmque agendorum gloria incitati, ſi nihil aliud, ſaltem
domeſticam ſecuritatem præſtare poſſent. Spreti vero præterquam quòd
certi hoſtes etiā irritati in regni gremio forent remanſuri. Igitur poſtquam
omnes cōuenerant, dies aliquot extracti extinguendo inteſtino bello. Verùm
vbi nulla iniri ratio potuit eius ex toto abolendi, conſenſum eſt in biennales*
Induciæ biennales.
*inducias: quibus durantibus, captiuos vtrinque dimitti placuit, ea condi-
tione, quod inducijs exactis, reuerterentur in vincula & cuſtodiam, ſi de
pace interim nō cōſentiretur. Lætis ſubinde omnibus, quòd datis acceptisq;
inducijs, domi nihil, quod inter ſuos magnopere timeri poſſet, relictum vi-
debatur. Propoſita eſt belli externi conſultatio, & pleriſque alijs, ſed Deſpo-*
Belli deliberatio.
*to & Iuliano inprimis inſtantibus, publicéque ac priuatim aſſerentibus,
præparari affuturáque in tempore auxilia à Pontifice maximo, cæterisq;
principibus Chriſtianis, facilè recenti adhuc victoria elatis: fidentibúsque
animis perſuaſum, vt redintegrandam expeditionem cenſerent. apparebat
enim accedentibus terra mariq; tot potentiſſimorū principum nationúm-
que auxilijs, facillimè deleri poſſe eum hoſtē, quem paulò antè præter haud
ferè multos Volones cruce ſignatos, nemine omninò opitulāte, ſuis tantum-
modo armis ac viribus fudiſſent, fugaſſentq;. In eum itaq; ſumptum decre-
tum eſt extraordinarium tributum, ſubitò ab indigenis exigendum: quæſto
resq; ad id deſignati. Bellici autem apparatus tota cura Hunniadiano dele*
Hunniadianus præfectus exercitus declaratur.
*gata: ſed & nuncij cōſtituti, qui ea quæ apud Hungaros & Vladiſlaum de-
creta erant, ad quos maximè oportebat principes nationesq; perferrent. ve
nerant Budam ad eum cōuentum Pangratius de ſancto Nicolao, partium
quidem Vladiſlai aſſertor: ſed qui omnem regionem quæ à præterfluente Ba
go abluitur, latrocinio infeſtam tenebat: in quem quia domeſticā quietem
turbare videbatur, publicum plus odium valuit, quàm liberi cōuentus re-
uerentia. Captus enim eſt à multitudine tumultuoſius id efflagitante, præ-
cipitanterq; in vincula coniectus. Eodemq; impetu ſubitarium de complici
bus eſt ſumptum ſupplicium. nec temperatū foret ab Giſcra, in tam præpro
pero ardore animorū, contra publicæ fidei ſanctitatem, niſi Vladiſlaus vbi
multitudinem vehementius concitatam vidit, quàm vt monendo hortan-
doq; verecundia æqui boniq; cohiberi poſſet, nōnullos Polonos confeſtim ſub
miſiſſet, qui per poſticum eductum, mutatis veſtimentis, in Iaurinum per-
duxere. Quo facto, rex ab Giſcra poſtea nunquam nominatus eſt ſine reue
rētia & præfatione ſeruatoris. Rebus igitur ſic diſpoſitis in Hungaria, Vla-
diſlaus ad fluctuantē paterni regni ſtatum & molitionē Cazimiri in Ma-*
Vladiſlaus abitum in Poloniam parat.
*ſouios animū conuerterat: volebatq;, dū tributa exigerētur, dū gerendo bel
lo vſui futura parabātur, tranſcēdere in Poloniā, factiones inteſtinas illic*

quoq; sedaturus: consultaturusq; quo pacto licentia latrocinantiũ, ex Silesia, & Lituanicus motus supprimeretur: sed & magnopere gestiebat secum post tot tãtasq; res feliciter gestas, sese matri ac suis alijs ostẽtare. Cæterùm præter id quod apparebat Polonos omnia facturos, vt nõ nisi qua ad pacem suam facere crederent, rectè prius constitutis, regem abse dimitterent. Hungari etiam veriti, ne aut iuuenilis animus dulcedine quietis in paterno regno remolliretur, aut à matre cæterisq; necessarijs auerteretur à periculis, in bello Turcico subeundis, Despotum & Iulianum tanquã duas machinas ad eam cogitationem expugnandam, regemq; in Hungaria retinendum admouere. illi satis superq; ad id per se prompti, nec minus ab alijs stimulati, hortando rogandoq; peruicerunt, vt Polonis rex in præsens per legatos excusaret necessitatem, ac magnitudinem suscepti negotij, à quo præter ignominiam proditis illis, quos ad belli societatem exciuerat, sine summo etiam periculo abesse non posset: quia Turcus, cognitis quæ à Christianis parabantur, ingentem congregasset exercitum, impetiturus vltrò Hungariam, nisi sua defendendi necessitas ei prius obijceretur. Quibus adiectum est etiam negocium impetrandi propter nouam expeditionem auxilia, nec à Polonis solùm, verumetiam à Prutenis: à quibus præterquã quòd ex professione sua deberentur, apparebat etiam eo iustius peti, quo à priori bello ociosius abstinuerant. Cæterùm veluti ea postulatio irrita apud Prutenos fuit, ita dilatus regis aduentus, magno malo Polonis stetit. Cùm enim vniuersorum animi erecti in expectationem illius, quieta secum & ciuilia agitare cœpissent, vbi intellectum est minimè affuturum, illicò veluti impunitiorem licentiam nacti, sese ad consuetas artes conuertẽre: & præter id quod mutuis simultatibus multa inter se fœda committebant, facilè etiam externorum iniurias tolerabant. sed nec minus finitimi eandem ob causam latrocinabantur impudentius, captiq; sunt & rebus suis exuti ab illis multi negotiatores honestissimi. prædæ etiam ex agris propemodum licentius quàm si bellum indictum esset, abactæ. Sed ante omnes insignis fuit rapina Ducis Opoliensis, interceptis per insidias quamplurimis negotiatoribus Cracouiensibus, dum Vratislauiam ad nundinas proficisceretur. quam iniuriam cum publico sumptu ac viribus vindicanda censeretur, placuit tamen prius ad regem perferre. ille, ne quid se absente viribus tẽtaretur, edixit: sed vt iure res repeterent: seq; opportunè affuturum, si minimè restituerentur. Dum ea cum Polonis agerentur, satisq; ad bellum prouisa & cõstituta essent omnia in Hungaria, visum est denuò significare Constantinopolitano Imperatori, vt se cũ suis præpararet, moturus ex parte altera, vbi Vladislaus ad Thraciæ Macedoniæq; fines cum exercitu peruenisset: nec minus admonere etiam fidei ac temporis Pontificem maximum, cæterósque qui paulò antè obsidendi Hellesponti vltrò negotium curámque susceperant. itaq; illi nihil dissimulantes, congregata instructaq; ad Caietam septuaginta triremium classe, miserunt illicò Franciscum Albertum, Cardinalem Florentinum, vt nauigaret in Hellespontũ: obsessisq; illic littoribus opportunis, obsisteret, ne quid subsidiorum à Turco ex Asia posset accersiri. Ad quam rem summo studio matu-

Despotus & Iulianus Vladislaũ in Hungaria retinere moliuntur.

Pruteni ad bellũ vocantur.

Rapina Ducis Opoliensis.

maturandam, præter id quòd Vladislao data fides & religionis cura, intentos faciebat, fama quæ vulgabatur Carmanum Ciliciæ Carmaniæ regem, cum validissimo exercitu in Pontum & Bithyniã Turcos oppugnatum venire, etiam promptiores fecit. Cùm viderentur omnia veluti quodã diuino nutu ad id præparari, vt superstitio impia & fœda pessundaretur, perculerat & Turci animũ moles instantis à Carmano belli: cui sustinendo imparem se fore sciebat, nisi integer illuc se conuerteret. & videbat dispartitis viribus suis eodem tempore Polonis atq; Hungaris terra, Italis verò etiam mari esse occurrendum, cum nihil ignoraret eorũ quæ contra se summo consensu summóque conatu ab vtraq; gente parabantur. Et proximo etiam bello cum magna suorum clade Vladislai vires ac felicitatem expertus, timebat magis ex eo, quòd intelligebat adeò prævalida subsidia illi affutura. igitur ne copias suas distrahere in diuersum, & propemodũ sine spe resistendi separatim eas summis discriminibus obijcere cogeretur, ratus cæterorum animos facilè posse ad pacem acclinare, si Despoto prius persuaderetur, nuncios ad eum clàm submisit: qui veluti de Carãbi redemptione agentes, per occasionem proponerent sibi cum libertate filiorum pristinæ fortunæ decus atque amplitudinem, si æquabilis concordiæ cum rege ineundæ auctor ipse fieri vellet. ille se dolo atque astu à perfido hoste tentari primùm ratus, oratorum verba diffidenter audiebat. Cæterùm vbi instando agendóque, vt crederetur, extorsere, cœpitq; illius animus ab incerta spe victoriæ ad præsentem certámque principatus sui possessionem conuerti, cum non ignoraret filios interim fœdo in carcere cathenis vinctos, & iampridem crudeliter oculis mulctatos, ludibrijs quibusque esse expositos, & vltrà quàm paternus animus pati posset, diutius indignis atque acerbis modis per opprobrium & calamitatem in sorde ac squalore vexari, eáque res nõ minus quàm euersa status sui fortuna sollicitũ haberet, rem prout offerebatur, ad Hunniadianum pertulit. qui etsi pristinæ felicitati viribúsque fidebat, adeáque auxiliares etiã copias terra mariq; accessuras sciebat: tamen intestinum bellum in Hungaria non extinctum, sed dilatum, Fridericúmque in propinquo diuitijs & auctoritate præpotentem hostem cum videret, reputánsque quàm varij inopinatiq; casus in bello dominẽtur, ne si quid aduersi mala fortuna obiecisset, Vladislaum subinde facili negotio, regno frui contingeret, illatam à Turco pacis mentionem haudquaquam aspernandam censuit, præsertímque etiam quòd Despotus per cõcordiam penè plura assequenda proponebat, quàm posset etiam bellum felicissimum repromittere. Sed ante omnia quibus tandem conditionibus reuera pacem firmare vellet, à Turco exquirendũ putauit. Cúmque nunciata sibi per Despotum tam de redimendo Carambo, quàm de restituendis illis qui bello repetebantur, vera esse comperisset, transegit ante omnia de precio captiui, pro quo quinquaginta aureorum milibus acceptis, nihil interim prætermittendo ex ijs quæ ad acerrimi belli motum præparanda fuerãt, nũciat regi, quid quàm maximè fieri posset: numeroso instructóque exercitu Idibus Iunijs ad Segedinum moueret, ibi legatos Turci petentes pacem affuturos.

Turcus cum Despoto per legatos de pace agit.

Res ad Hunniadianũ defertur.

offerri quidem vltrò conditiones haud aspernandas tempori, & rebus regni. Caterùm vim paratam in conspectu, multò meliores extorturam. Sollicitus adhuc secum Vladislaus de statu Poloniæ periclitante, mentionē pacis lætus audiuit: videns facilè fore, vt viribus quas ad externum bellum comparauerat, domi vtriusque regni sui res in perpetuum stabiliret, sublatis omnino aut eiectis iniuriarum seditionumq; principibus. sed & cæteri omnes post tot annorum non intermissum bellum cessationem quietemq; aliquam à Turcis desiderabant: venit itaq; rex cum suis præstituta die in Segedinum, quò Despotus Hunniadianusq; antecesserant, cum Turcis oratoribus: quorū princeps Græcæ nationis homo, sed Musamanorum sectam professus, vbi in conspectum regis venere, ita verba fecit: Si commisso inter nos belli discrimine, rex inclyte, nunc demum ad petendā pacem veniretur, videri forsan posset Amurates Imperator noster viribus suis diffidere: sed cum multò antè quieta consilia proposuerit tibi, quàm manum conferendi aliquando tecum cogitatio quæpiā subesse posset, inq; meliori fortuna sua, iam tum egerit apud te de amicitia ineunda, non debes existimare, noua potius aliqua necessitate nunc permotum, quàm consilio eodem, quod à principio sibi persuasit te fœderis ac pacis mentione prouocandum. Nec enim semestri victoria tua credere oportet fractos abiectosq; esse animos nostros, continua felicitate, iam tot annos supra omne fortunæ discrimen elatos. Quos etiamsi nihil aliud erigeret firmaretq;, vtique vidisse tuos totiens à nobis effusissimè fugatos, victosq; reparare subitò copias, victoribusq; subinde vltrò insultare, satis efficax exemplum foret, ne mediocri clade accepta, & quæ tota ducum nostrorum temeritati queat imputari, de fortuna viribusq; nostris subitò desperaremus. Atq; ideò non tanquam aut necessitati aut desperationi cedentes, nos audiendos putes: sed vt qui minimè contra alienam felicitatem tendentes, modū terminumq; nostræ constituimus. Cumq; gloriam partæ nuper abs te victoriæ præsentisq; apparatus magnitudinem, oculis atque animo metiris, quantum vtrique credere oporteat, tibi documento nos simus, totiens prius victores eisdémque quibus tu modò humanæ felicitatis blandimētis inflati, nullius magis interest casibus se subtrahere, quàm cuius felicia initia nondum sortem alteram sunt experta. paulò antè vix pubescente ætate, cum paterno regno administrando minimè satis par credi posses, accitus es ad alterum pariter regendum, præterquam quòd magnitudine sua fortiori ætati intolerabile externis bellis ciuilibúsque factionibus etiam implicitum, magno animo susceptæ à te conditioni adeò successus affuit, vt bello domi statim penè extincto, arma in nos conuerteris. Et quorum nomē prius vix sustinebatur, facilè vinci posse docueris. Quo benignius ausus tuos fortuna cōfirmauit, eò ne destituat, præcauendum est magis: præsertim quòd non qui plurima, sed qui grata & firmissima quæque possidet, iure Felix appellatur. Porrò quid tibi gratius esse potest aut debet, quàm paternum regnum? quid firmius, quàm adiecta illi cum pace nostra Hungaria? sed blandiaris cœptis tuis: & quantumuis de successu stabilitatéque fortunæ tibi pollicearis, nempe vt Despotū in sedem suam

Rex in Segedinū venit.

Oratio ad Regem.

suam restitueres, celeberrima duo tua regna in discrimen seruitutis adduxeris, haud sanè æqua laborum periculorumq; mercede illectus. Quòd si id quod tanta belli mole quæritur, minimè tanti est, vt tam magno discrimine peti debeat: quantum sentimus, non minus tua quàm nostra interest, videre ne de alienis solliciti, nostra labefactemus. Concordiæ ac pacis multæ vtrinq; dici accipiq; honestæ conditiones possunt, belli vnicus futurus exitus, euersio scilicet patriæ, diuinorumq; & humanorum omnium apud eos qui victi fuerint. Si præteritorum meminisse placet, habemus & nos qui arma nobis & vires polliceantur. Cæterùm cedere casibus, quàm obluctari humanæ imbecillitati magis conuenire censemus: tuum est reputare cum tuis, malitisne capere exemplum instabilitatis fortunæ ex rebus nostris, an in vestris eam experiri. acclinati in eam sententiam iam dudum animi, facilè permoti sunt, vt de pace ageretur. disceptatio maior fuit, in conditionib. approbandi: agente Turco de reseruanda sibi Bulgaria, fodinisque argenti, cum plerisq; oppidis in Seruia: Vladislao verò, legitimis dominis restitui singula volente, tandem in id conuentum, quòd Bulgaria tantummodo in ditione Turci remaneret: cætera omnia quomodocunq; occupata ab eo restituerentur illis quorum iuris fuerant ante bellum: captiui qui supererant, vtrinque soluerentur, inprimisq; Despoti filij. dies deinde constituta, in qua oppida ciuitatesq; prout pactum erat traderentur. paxq; in decennium conclusa, non aduersante etiam Iuliano: non tam quia ex animo rem non improbaret, quàm quia aut non succurrebat quid spei proponeret, tot tantisq; vtilitatibus compensandis, si in præsens negligerentur: aut quia in tam præcipiti consensu, omnium clausas mentes admittendæ rationi intuebatur, expectabatq; admonendi tempus opportunius. sed miserè interim cruciabatur, secum reputans, suis maximè factum adhortationibus, vt Veneti Burgundusq; & Pōtifex maximus classem ad Hellespontū mitterēt: seq; exinde aut vanitatis, aut perfidiæ ab illis arguendū videbat, si pax, vt conuentum erat, seruaretur. Cæterum quā grata ea pax Hungaris fuerit, memoria veterum cladium sanguinisq; effusi recuperandis illis quæ vltrò tunc restituebantur, vel exinde licebit æstimare, quod eius vt videbatur auctori Hunniadiano virtutis & honoris gratia data sunt oppida & loca omnia, quæ alendo in Hungaria Despoto fuerāt prius assignata. Et cū Turci peterent, quòd in confirmādis pacis conditionibus, prolata in mediū Eucharistia, rex iuraret, haud quaquā fortiter contrà tendebāt, ne si id iurādi genus deprecaretur, suspicari posset parū sincero animo trāsactū de cōcordia. Cuius adeò vehemēti studio tenebātur, vt vitarent etiā suspiciones singulas à quibus perturbari eā posse apparebat. Sed Gregorius Sanoceus vbi regis quoq; animū à tā improbo facto haud omnino abhorrentē vidit, religioso veluti furore percitus, Deus, inquit, Deus, tā execrabile scelus auertat, vt qui paulo antè contra impios pugnantes, omnia tristia difficiliaq; perpessi sumus, dū vinceremus: nunc rursus pro religione armati, & propemodū victoriā manu tenentes, sacrosanctum diuini mysterij arcanū sub profanorum oculis spontè proferamus. Quid prima, quid hac secunda

Bulgaria Turco addicitur.

Pax inter Turcos & Regem in decennium conclusa.

Gregorius Sanoceus Regis iuramentum intercipit.

expeditione, à nobis petitum, quid adeò ingentem belli molem, ex tam separatis ab inuicem regionibus, ab Italia, à Burgundia, à Thracia euocare, quid denuò arma induere, quid hucusq; progredi oportuit, si sacra nostra prodenda erant? minori nostro facinore per ignauiã domi inermes sedendo pati potuimus illa profanari, quàm nunc simus armati prodituri. pudeat nos gratulationum, quibus nuper victores accepti: pudeat laudum, quibus vt Christianæ rei seruatores propè in cœlum modò elati sumus. Pudeat deniq; obnoxios ijs nefarijs cogitationibus, nos dignos haberi, aut in quibus totius Europæ reges ac principes spes suas collocauerint, aut pro quibus innumerabiles populi & nationes omnibus in templis, ad Deum supplices ambiant, pro victoria nostra vota nuncupando. Quanto sanctius prisci Romani, qui capta à Gallis vrbe, ne sacra sua conspici possent, terræ infodere. Nos victores nostra vltrò impijs prodere cogitabimus, committemusq; vt religiosius ab illis inanes quædam diuinorum persuasiones seruatæ dicantur, quàm à nobis sacrosanctum immortalitatis nostræ pignus ac mysterium, & publicè nos illo facinore contaminabimus? Quod si vnus quispiam sacrilega audacia perpetraret, seuerißimè vindicaremus: omitto quantum piaculi apud Deum contrahemus, qui non modò ab ipsius causa defecerimus, sed ipsum etiam testem ac pignus defectionis nostræ impijs exhibuerimus. Quid de nobis hostes sentire poterunt, videntes nos tanti pacem existimasse, vt non minus sacrilegè iurauerimus, quàm ipsi impudenter postulauerint. sed vt hæc pacis vtilitas leuiora videri faciat, omnia quæ aut in nostra, vel aliorũ secta religiosè altius elata sunt, quàm quæ humanis sensibus attingi queãt, cæremoniarum velamento sanctóque arcano mortaliũ animis infundũtur: quæ si nuda in mediũ protrahantur, quia nullo humanæ rationis argumẽto subsistũt, & temerè asseuerari & impudenter peti vt credãtur apparet, audiuere dudũ hostes Deũ à nobis præsentẽ coli, asseruariq; in sacrariorũ penetralibus: & quia ignorãt quo id pacto cõtingat, cũ de eo cogitãt, nihil simile ijs quæ terrena & momentanea cognoscunt: sed quicquid extra mortalitatis sortẽ positũ putant, mentibus eorum occurrit. Et id quale sit, nesciunt. tantæ nostræ de eo asseuerationi par figurant nos. hanc ipsorũ persuasionẽ patefactis arcanis nostris corrũpemus, elatasq; ad diuina & cœlestia de sacris nostris mentes, ad caduca & terrena reuocabimus, specie panis in conspectũ exhibita: qua verũ corpus Christi contineri, vt nos quidẽ firmiter credamus, efficit diuina institutio, gratiáque in qua nati sumus. Quibus illi orbati, cum res per se fidẽ non faciat, restat vt nos irrideant, veluti minimè poßibilia credamus. Nolite per Deũ cõmittere, vt aboleatur sacer ille horror, quo ipsorum animi præstringuntur in bello, cum secum reputant inituros se prælium contra nos, quibus adeò propicius sit Deus, vt propemodum videndus nobis coràm pariter conuersetur. Quantum de nostra, deq; religionis nostræ maiestate hoc facto minuetur, tantum crescet apud illos audacia, credituros subinde, vt ipsis quidẽ videbitur, ex specie quã intuebuntur, nos non modò in veri Dei tuitione nõ esse, sed nec in alterius cuiuspiã. Multis modis stabilitati conuentorũ caueri aliter potest: quam-

quamuis ad fidei pignus, regium verbum satis esse deberet, aliæq; inter priuatos cautiones, aliæ inter principes exhibentur. ad extremum, relicturum se profanata castra asserebat, si eo modo rex iurare pergeret. itaq; cũ videretur tam verè quàm è religionis, eq; ipsorum quos alloquebatur vsu & maiestate dixisse, constitutũ est in confirmanda pace proferri vtrinq; in mediũ sacrã historiam suã, quod Euangeliũ nostri, Alcoranum illi vocant. quibus, vbi sua quisq; dextram admouit, religiosè iuratum est, conuenta executũ iri, atq; inuiolata permansura: hoc maximè modo datis acceptisq; pacis conditionibus, cum Turci digressi essent promissa impleturi, venit à Francisco Cardinale nuncius cum literis, in quibus cõtinebatur, Turcum aduersus Carmanum cum ingenti copiarũ numero traiecisse in Asiam, inermiaq; & vacua quæ possideret omnia cis Hellespontum reliquisse: ab se vero cum classe littoribus vbiq; occupatis, iam tum ademptam hosti facultatem reportandi exercitum in Europã. non prætermittendam tantã occasionem, propè sine armis aut certamine aliquo exterminandi propellendiq; ad origines suas diram gentem, execrandamq; superstitionem. Meminisset rex fidei sponsionisq; principibus Christianis factæ, & quàm maximè fieri posset, properaret cum promissa expeditione, quando illi quoque, quod suum erat, auxilia præmisissent. ad ea similibus penè asseuerationibus à Græco quoque Imperatore per literas significata, addebatur etiam, elatum se spe, belli maiori conatu à rege secundum sponsionem renouandi, cum tentaretur à Turco de fœdere, non solùm repudiasse conditionem, verumetiam hostilia contra illum vltrò intulisse, & in armis esse cum suis, vt regi sub ipsum montiũ descensũ vel accurreret, vel alibi expectaret, si id magis ex vsu fore videretur. instandum agendumq;, dum distractus ille multiplici bello tam diuersis in locis mari terraq; suis adesse non posset, dum nuper cæsus, fusus, fugatusq;, nondum satis animum viresq; collegisset: & proximis cladibus afflictus, nedum impetum, sed nec nomen quidem regium laturus videretur: omnia per dolum fraudemq; ab oratore Turco in fœdere trãsacta. Non committendum, vt gloriosa initia vecordi negligentia fœdarentur: sed rapiendam opportunitatem delendæ ignominiæ religioni nostræ inustæ, non vno atq; altero oppido, sed multis regionibus Christiani nominis partim direptis, partim ab execranda gente sub ditionem suam missis. Turcum adeò festinanter per Hellespontum copias traiecisse, vt verius dici posset fugisse bellum, quod à tergo affore sciebat, quàm profectum esse ad propulsandum id quod ab Asia nunciabatur. Ad extremum rogabatur, ne veluti sub cultro & prædæ relinqueretur crudelissimo hosti, qui proculdubio exercitum reportaturus esset in Europam, vbi aduentus Vladislai metum deposuisset. Non aliunde magis id discrimen sibi imminere, quàm quòd regiæ fidei pollicitationibusq; crediderat. Recitatis vtrorumq; literis in regis ac procerum conspectu, quidam subitò quasi languor omnium animos occupauit, memoria eorum quæ de se sperare adduxerant principes Christianos: cœpitq; regis aliorumq; velut oculis obuersari species gratulationum, quibus tot regum populorumq; veluti publico consensu

Prolato Alcorano religiosè iuratum est.

Turcus cum exercitu aduersus Carmanum in Asiam traiecit.

 sensu

sensu paulo antè, tanquam Christiani nominis seruatores excepti fuerant: & pudebat pigebatq; ob præsentem vtilitatem perpetuum decus veluti cōtempsisse, secuturamq; exinde ignominiam intuebantur: & meminerant obligatā ab se fidem Græcis, Latinisq;, & ab vtrisq; implorata auxilia præstò esse audiebant, quæ nisi per summum scelus in discrimine in quod pellexerant, relinquere non poterant. Quibus adeò contrario affectu omnium ferè
Mentes militum contrario affectu distrahuntur. *mentes distrahebantur, vt qui paulo antè pacem vltrò elegissent, bellum malle appareret. Et videbatur etiam quædam quasi opportunitas & caussa concordiæ repudiandæ: quandoquidem Turcus ad constitutam diem neque captiuos omnes soluerat, nec dum oppidis ciuitatibusq; quibus oportuit ex fœdere cesserat. Itaque Iulianus apud tam suspensos animos, desideriumque inter & pœnitentiam initæ concordiæ fluctuantes, occasionem suam adesse ratus, cum multis magnisq; actionibus antea expertus esset, Sanoceum persuadendi vi & facultate, velut habere hominum mentes in potestate, conatus est sibi illum adiungere in negotio pacis improbandæ, suadendiq; instaurandum bellum. Quod, cum ab eo minimè impetraret, propterea quòd ille Despoti Hunniadianiq; sententiam probans, nec temerè dandam fidem hosti, & datam minimè violandam contendebat, conuersus*
Iuliani Oratio. *ipse ad circumstantes: A fœdere, inquit, de quo cum Turcis transactum videtur, quanquam inane irritumq;, mallem abstinuissemus: non quòd ius religionémue illius aliquam, si bellum prosequemur, violandum intelligi oporteat: sed quia dandis accipiendisq; conditionibus bonam partem temporis prosequendæ expeditioni aptissimi frustra consumpsimus. Contradixissem iam tum ab initio: sed acclinatiores animos vestros ad concordiam vidi, quàm vt crederem posse oratione mea ad rem gerendam vos erigi. præterea sciebam hæc omnia quæ nobis hodie nunciata sunt de facilitate debellandi in Europa, Turcis implicitis detentisq; bello Asiatico, fore vti paulo pòst nunciarentur: maluiq; expectare donec ea crederetis alijs, quàm intempestiuè prædicendo committere vt fingi à me & per vanā spem iactari arbitraremini. Nunc quando vt volui asseueratio victoriæ vestræ ad vos aliunde quam à me peruenit, & ita esse vt describitur, non minus quàm optabā credere vos, indicat destituti incœpti pœnitentia, non gerendúmne sit bellum, quod omnes necessarium intelligitis, sicū decoribus prius partis salutem libertatemq; vestrā retinere vultis: sed liceat nécne geri post qualemcunq; hanc vtrinq; fœderis iactationem, explicandum à me sentio. video enim plerosq; inanibus fidei ac fœderis nominibus suspensos, intra se non tam quid facere velint, quàm quid æquum sit deliberantes, quasi verba quædam inconsulta per spem metumq; mutuò iactata, nomen sanctitatemq; fœderis obtineant. Cum id demum iure sit fœdus, quod ab illis quorum res est initur, non verborum sponsio, sed conuentorum expleta fides confirmauerit. Huic neque paciscentium affuit auctoritas, neque pactorum subinde accessit executio: sed nomen tantùm fœderis & cæremonia temerè iactata sunt. Quæ non prius sancta sunt, quàm promissa vtrinq; cum fide absoluantur. atq; vt incipiam ab eo qui sponsionis caput esse videtur,*

tamdiu forsan liberum regi fuerit, de fœderibus & pace cum Turcis agere, quoad inclyti huius regni viribus & felicitate bellū gessit, quoad nulla externa ope adiutus privato sui regni discrimine ac sumptu publicā Christianæ rei salutem maiestatémque tutatus est. vbi verò cum alijs quoque Christianis principibus cōsilia totámque gerendi huius belli rationem communicare placuit, eorundem consensu bellum intermitti oportuit, quorum opibus auspicijsq; geri susceptum erat: sed vt res tota non secus atque ante adiunctam sibi aliorum principum manum, regis tantummodo fuisset, nec dum fœdus cum eiusmodi hominum genere, sed vllius omnino rei commercium inire non licuit, & initum non tenet, iniussu Pontificis maximi. huc adde susceptas ab hoste conditiones minimè expletas esse: ex qua re etiam, si nihil aliud, omnia quæ dicta factáue dicuntur, inania redderet: tamen quia conuentorum fides quæ ab illis frustrata est, minimè confirmauit sanctitatem religionémque fœderis, intelligendum est à sponsione sua, si qua fuit, non solùm absolutum esse regem, verùm etiam per dolum ac simulationem proposita transactáque esse singula ab oratoribus qui pacem petitum ad nos venere, vt si hostis initurus fuisset id fœdus, quod stabile ac ratum vellet. Si eiusmodi postulatio & sponsio fraude omninò vacua futura erat, non habuit quem de pace acturū mitteret alium, quàm hominem lingua, genere, moribus, & denique præter simulatam religionem tota vitæ ratione ab ipso alienum, qui nihil verè religiosè & sanctè à Turcis promittere, neque ex diuerso stipulari posset. Cæterùm cuius pacta promissaq; omnia, si ex vsu videretur, sine verecundia reijci atque improbari liberum foret: sed & pudebat eum tam supplicis actionis simulationem explicare per hominem suæ gentis: cauitq; verecundè, ne quid submissè, ne quid infra vulgatam animi viriúmque suarum magnitudinē ageretur à suis. Et noluit regem gloriari posse, quòd supplicantem sibi Turcum aliquādo audiuisset: præterea cum tota actione multa simulanda forent, nō alterius artibus facilius decipi nos posse arbitratus est, quàm eius qui nobiscum de religione paulò antè sensisset, vt quæ per se non satis fidē facerent, religionis velamen to inuoluta in animum nostrum descenderent. Cæterùm si quæ placuissent impetrata forent, cogitauit se pactis staturū. Sin minus ex simulatione concordiæ se id saltem commodum percepturum, vt ad gerendum bellum posset sibi interim consulere. quæ ita esse, indicat frustratus terminus eorum omnium quæ per fœdus ab ipso fieri oportebat. Scio Despoti, sed in primis Hunniadiani tantam esse rerum hostilium peritiā, tantum experimentum, vt nefas sit dicere, non omnia ex vero sic se habere, vt sit eis persuasum: sed illum cupiditatem simul liberandorum filiorum, simul recipiendi amissum decus & fortunas: hunc verò diffidentiam auxilij à complicibus belli affuturi adegisse crediderim, vt non tam acriter quàm poterant animū intenderent, & blandis pollicitis dissimulatā fraudem statim nō deprehenderint. Cæterùm non debet cuiusquam gratia aut auctoritas apud animum vestrum plus valere, quàm veritas, cū intelligatis tali fœdere neminē teneri, vel ex eo quòd sine auctoritate ictum, vel quod per fraudē ab hoste minimè

impletis conditionibus sit dissolutum: sed vt omnia legitimè à rege, nihil insidiosè ab hoste actum constaret, meminisse debetis sponsionis quam Christianis vocatis admißisq; in partem belli paulò priusquam Turcis fecisse vos constat. Et cum deliberatio vestra illis angustijs inclusa sit, quòd data fides minimè potest vtrinq; subsistere, sintq; alterutri deserendi, neminem dubitare conuenit, ita quenque potius seruandum esse, vt arctiore coniunctione nos contingit. Porrò quid vobis cum hoc genere hostium conuenit, à quibus professione, moribus, totiusq; vitæ instituto ac ratione distatis? quid cum Christianis non coniunctißimum est? atq; vt omittamus communia immortalitatis initia, fana, sacrificia, sepulchra eadem, tum cæremonias & sacrorum ritus quibus animi vestri multò arctiori necessitudine inter se coniuncti sunt, quàm si natura ipsa eisdem parentibus orta corpora coniunxisset. Nonne qui paulò antè in Hellespontum classem suam misere, pro salute, pro gloria vestra, cōmunicando vobiscum vires, suscipiendoq; belli vnà gerendi negocium, indissolubili omnino vinculo vos sibi deuinxere? Quodq; nisi per æternam labem atque infamiam ingratorum animorum violare non poßitis, atq; ideò cum ex parte altera illi sint qui ad humana diuinaq; omnia vobiscum communia, addidere recentißimum beneficium submissorum vobis auxiliorum, quiq; vt nulla noua sponsio intercessisset, tot humanis diuinisq; propinquitatibus vos contingunt, vt sine inexpiabili scelere deseri nequeant. Ex altera verò hostis immanis, perfidus, qui non per bellum tantummodo à vobis discrepat: sed religiones alias cultosq; diuinos professus, omnia quæ vobis sacra sunt, veluti profana contemnat, & si poßit, violet. Cuique nec dari fides potuit, absque nefario crimine: nec postquā data creditur, potest sine grauiori culpa seruari. Non debet esse magna deliberatio, cum hócne, an cum illis conuenta sint exequenda. Si perseueratur in susceptà concordia præterquam quòd elusi estis, frustratis ex parte altera conditionibus, contaminati inexpiabili facinore, amissaq; gloria priore bello parta, sub quotidiana bonorum omnium execratione, infamem vitam agetis. Si verò, quod per se etiam vanum irritúmque est, repudiato impio fœdere, bene de vobis meritis aderitis, eo in discrimine, in quod per vos adductos non ignoratis, ad securitatem, qua subinde vestra poßidebitis, cum immortali gloria non modò ea de quibus in concordia mentio est, sed cætera omnia quæ à dira gente poßidentur in Europa, recuperabitis. De cuius rei facilitate dicerem, nisi perpenderem satis per literas suas persuasiße vobis Græcum Imperatorem, & Franciscum Cardinalem: quorum auctoritas in eo tanto grauior sit oportet, quanto propinquiores sunt hosti. & indicant ex re præsenti: sed & maior trepidatio hostis, quàm vt satis ab ipsius oratore dißimularetur, supra omnem orationem stimulare vos debet ad occasionem istam capessendam. Quam si prætermittetis, cogemini tandem despecti ac destituti ab omnibus, dubium de decore an periculo maiore, intra fines vestros dimicationem eam subire, cui vos impares esse, implorando externa auxilia iampridem profitemini. Adhæc multa de iure pontificio, déque illius potestate ac vi præfatus, subdidit tandem, Pontificis se maximi

aucto-

auctoritate id fœdus qualecunque esset rescindere, & abrogare: regemq́ ac cæteros quorum interesset, à iuramēto & sponsione quam Turcis fecerant, absoluere. Adeò à paucis Iuliani oratio non est probata, vt ex concione tota exaudiretur fremitus deposcētium bellum, asserentiúmque succurrendum esse illis, quos in belli societatem attraxissent, quando non aliam ob causam periclitarentur, quàm quòd armati concurrerent ad propulsandum pericula, propter quæ Hungari simul & Poloni paulò antè coacti fuerant ipsos implorare: fortunarum potius omnium ac vitæ iacturam faciendam, quàm fidei fidelibus obligatæ: pertinere id non ad famam solùm spemq́ de se apud cæteros Christianos excitatam, sed ad conseruationem etiam & tutelam rerum suarum: & vt nihil aliud stimularet, satius pro religione honestè occumbere, quàm deserta illa & prodita, Deo atque hominibus violatis infensisq́, indecoram vitam extrahere. decreta itaque fœderis ac pacis abrogatio, & vt cum Christianis alijs suscepta expeditio continuaretur. Cui sententiæ nec Despotus quidem aut Hunniadianus tandem fortiter obsistebant. Ille inuitatus facilitate, quæ in debellando apparebat: hic regia sponsione pellectus, cum Vladislaus promisisset ei Bulgariæ regnum post victoriam, & literas quibus id continebatur, etiam quorundam procerum subscriptione firmatas in fidem dedisset. Decretum igitur quod erat contra pacem promulgatum, Francisco Cardinali ad classem missum, simulque Græco Imperatori & principibus cæteris, ad quos initi cum Turco fœderis iam pridem fama peruaserat. Rarò aliàs Poloni tam lætum nuncium acceperant, ac fuit, intellexisse quòd rex de pace cum Turco transegerat. Nam cū Cazimirus indicto Masouis bello totis Lituanorū viribus Drochicinū oppugnaret, Masouíque iunctis penè castris ex diuerso in armis starent, nec tam virium inter vtrosque discrimen appareret, quàm suspicio erat, si committi prælium contingeret, magnam partem copiarum Cazimiri defecturam ad Michaëlem Sigismundi ducis paulò antè interfecti filium, qui apud Boleslaum inter Masōuos militabat, ingens spes animos ipsorum ceperat, regem ab ea pacificatione in Poloniam subitò, id quòd maximè cupiebant, profecturum. Anxij enim intèr Boleslaū Cazimirúmque de euentu sperabant interuentum regis id bellum diremptūrum, & ab armis partes vtrinque abscessuras. Cùm enim tam Lituani quàm Masoui sub tutela regis agitarent, Polonis neutros vinci expediebat. itaque vbi dissolutum fœdus accepere: iterum consternati animo vt consilium caperent, ad Peterkouiam conuenere. ibi Vladislauiensis Episcopus & Ioannes Piltzanus designati Oratores ad Hungariam, qui præmonitum regem pactionis ac fidei etiam hosti seruandæ, suadendo agendóque animarent ad paternum regnum reuisendum, in quo multa eo absente perturbata: sed in primis sedandum bellum, quo à Lituanis Masouia premebatur. præsenserat Vladislaus Cazimiri motum, & futurum conuentum Polonorum: atque ideò ne quid exinde nunciaretur sibi, quod parum conduceret rebus quas parabat, vtque sui cordi se ei esse intelligerent, misit illico in Poloniam Ioannem Gruscinensem, qui diceret, Regem nullo modo saluæ

Effectus orationis Iuliani.

Episcopus Vladislauiensis & Ioānes Piltzanus in Hungariā ad Regem proficiscuntur.

famæ

famæ verecundia, posse susceptam denuò expeditionem intermittere: statimq; moturum ex Segedino, cogi necessariò illis adesse, quos in bellum implorando attraxisset. Cæterùm excitis paratisq; tot maximorum principum auxilijs, victoriam paratam esse de ea gente quam superiore anno paucis admodum Volonibus cruce signatis adiutus fudisset, fugassetq;: & quam nisi hyemis montiumq; asperitas niuibus ac speluncis aditum victoriæ suæ subtraxisset, omnino subegerat, inter redeundum, quod propicio Deo breui futurum foret, conuersurum se iter in Poloniam. interim viderent ipsi ne quid detrimenti regnum caperet: inprimisq; Boleslao duci adessent, contra Lituanorum conatus. Ea significatio quia præter spem venerat, gratissima Polonis fuit: perfecitque vti rex videretur esse tam sollicitus de quiete ac statu regni, quàm ipsi volebant: sed intercepta est exinde causa mittendæ in Hungariam legationis, atque ideò singula quæ regi domi forisq; ex vsu fore credebant, per epistolas significauere. Interea licet minimè seruata die, Turcus loca omnia de quibus in fœdere cauebatur, præsidijs suis euacuata, iustis dominis restituerat: solutis etiã magno numero captiuis, dimissisq; cum Despoti filijs. Vladislaus autem licet æger animo, quasi euentum præsagiret, stimulante Iuliano, vndecimo kalendas Octobres, vt constitutum fuerat, mouit ex Segedino, sed copijs aliquanto paucioribus, quàm anno supe-

Turcus captiuos & Despoti filios dimittit.

Vladislaus suasu Iuliani ex Segedino mouit.



riore. nam & Volonum minor numerus accurrerat, propter vulgatum fœdus cum Turcis. & multi etiam inter agendum de concordia dimissi Poloni & Valachi, quos futura pax superuacuos redditura videbatur. vbi ad Orsanam peruentum, pridie nonas Nouembres Danubium cum suis traiecit. Expositóque in Bulgaria exercitu primo ad Florentinum, deinde ad Bidinum progressus, licet vndique circa iter oppida pleraque arcésque Turcorum

rum

rum præsidijs tenerentur, non ad prædam milites discurrere, non hostibus insultare, non bellicæ quicquam cladis inferre agris patiebatur: instituerat enim minimè tempus aut vires suas præconsumere expugnandis munitionibus, ferendisq; certaminibus, priusquam coniungeret se cum naualibus copijs ad Hellespontum: atq; ideo, ne in planis & apertis locis vel inuitus pugnare cogeretur. Cum duæ ad Callipolim viæ ducerent, altera per extremam Thraciæ oram, qua Macedoniæ coniungitur, campestris & breuior inter Rhodopem ac Bistoniam paludem: qua si progredi voluisset, currus relinquere oportebat propter viæ difficultatem in Hemo rectà transcendendo. Altera verò per inferiora Bulgariæ, prius ad solis ortum, deinde prope Pontum ad meridiem, per Thraciam, vt obliqua, ita longior, sed per quam licet montanam in plerisq; locis & salebrosam, currus tamen haud ægerrimè euaderent, maluit illac exercitum circumagere, quàm veluti se nudare curruum munimentis quibus septus contra hostiles impetus, se ac suos facilè tueri poterat, & quam maximè integris copijs ac viribus ad Callipolim peruenire. Conuersus itaq; in Pontum inter Danubium atq; Hemum, haud magnis, sed continuis itineribus ad institutum festinabat: vbi verò ventum est ad Nicopolim Bulgarorum metropolim, cuius vrbis pars altera à Danubio abluitur, altera in collem erecta, quia fama erat totius regionis diuitias illuc comportatas, miles cohiberi non potuit, quin per suburbana discurrens, ad prædam etiam in ipsas portas faceret impressionem, quicquid ædificiorum circumadiacebat, direptum incensumq;. Cùm verò portæ ac mœnia strenuè defenderentur, à prosequenda oppugnatione iussum est abstineri. Cæterùm quia quantum fert regio, vberes circùm campi & colles videbantur affatim necessaria suppeditaturi reficiendis militibus, iumentisq;, biduum triduúmue illic perseuerare placuit. in eo loco percensenti suos regi, & veluti totius belli apparatum recognoscenti, dum miles non tam se reficit, quàm studiosè illa præparat quæ opportuna fore credebat, viam iam & natura sua magis difficilem, propter angustias salebrosiores, & propter frequentiam præsidiorum hostilium in oppidis castellisq; vndiq; eminentibus multo discriminosiorem: accurrit nunquam sine præfatione magni & fortissimi Imperatoris nominandus Vladislaus Dracula, Valachiæ, quam montanam vocant, princeps: qui cum iampridem pacem à Turco accepisset, factum suum in necessitatem reiecit: quòd haud numerosissimæ gentis princeps, nulláque externa ope adiutus bellum Christianis simul omnibus intolerabile sustinuisset magnitudine animi & virtute suorum diutius, quàm sperari de tam imparibus viribus posset: plúsque ab se interim hominum amissum, quàm terris suis frequentandis colendisq; superesset: cum euentus quotidie admoneret contra hostium multitudinem, paucorum suorum virtutem magis admirandam esse quàm efficacem: tandem eò peruentum fuisse, non vt in seruitutem venire oporteret, quæ forsan tolerabilis, modo æqua sit, & contigisset antea multis magnisq; populis & nationibus: sed vt cū patria & laribus familiaribus, cum altrice terra & cœlo relinquenda essent sacra, religiones, aræ, degeneran-

Duæ viæ ad Callipolim.

Militum auaritia.

Draculæ consilium.

dumq́; in obscænos mores ritúsq́; impiarum superstitionum, nisi conditionem accepisset, per quam citra profanationem diuinorum humanorumq́; omnium, reliquias suorum seruaret in occasionem dignam, in qua tanta virtus periclitaretur. Ad hæc cum eorum qui regem sequebantur paucitatem animaduertisset, rogare obtestariq́; cœpit, vt retro iter verteret, se malis suis satis supérque doctũ, quanta foret Turci potentia, qui ad venationem propemodum plures seruos producere solitus esset, quàm illic ad bellum armati conuenissent. abstinendum omnino à tam audaci periculosoq́; incœpto: communicandaq́; consilia & rationes, quo pacto res æquis viribus geri posset. Interea nihil salubrius, quàm in occasionem meliorem eas copias conseruare. Quæ etiam si sufficerent bello quod tunc cum hostibus gerendum, cæteráque omnia votis responderent; tamen eo tempore prouecta instantis hyemis tempestate & malis omnino essent succubituræ. Audiebantur ea, tanquam Dracula non ex animi sui sententia loqueretur, propter fœdus quod illi cum Turcis erat: tamen re ipsa per se fidem faciente, moti sunt quàm plures, nec tantum suspicio simulatæ ab illo orationis, quantum rei veritas vrgebat. Cæterùm rapiente regem fato ad destinatum propinquúmque iam finem, Iulianoq́; ad superioris anni fortunam identidem iactante, nusquã stringendum fore gladium, vacua omnia defensoribus reperturos: Amuratum cum suis trans Hellespontũ, vix Carmani impetum sustinere: neq; posse etiã, vt ociosus à bello esset, propter Venetorum Burgundique & Pontificis classem suppetias suis ferre: Græcũ prætereà cũ non mediocrib. copijs sub ipsis montibus accursurum. Draculæ quidem officium ac sermonem magno assensu omnes commendauere, veluti benignæ in se voluntatis testimonium. Nec mirum. de eorum victoria desperare ipsum dixerunt, ignorantem qua præparatione, quibusq́; auxilijs freti pergerent. Cæterùm nullo modo ea sibi vt diceret in mentem ventura fuisse, si sciuisset quãta classis, quantisq́; Italorum Burgundiorumq́; copijs instructa, quàm multis etiã equites peditesq́; Græcorum in armis eos præstolarentur. Non regem, non suos adeò inconsiderata audaciæ, vt bellum quod conficere non possent, vltrò inferrent. bono esset animo: quantum ad vires attineret, satis prouisa esse omnia, & præparata. felicitatem Deum ipsum, cuius causa ageretur, & præbuisse antea, & in præsens præbiturum: conuersus itaq; rursus ad regem Dracula: Quando, inquit, aut fortuna, quæ audentem magna quæq; nusquã hactenus te decipit: aut spes alienæ opis, quã ratã velim: aut occulta fatorũ necessitas, te in diuersũ trahit à sententia mea, cõsiliũ tuum quod ratione immutare nõ potuit, quantum tempus & improuisa res sinit, viribus adiuuabo. & cũ dicto quatuor milia equitũ duce filio suo, copijs regijs adiecit, orans obtestansq́; immortalem Deum, quòd quicquid rex cæteriq́; de belli totius successu animis suis repromitterent, felicissimo euentu cõfirmaret. Ad extremum dimissurus regem, duos ex suis impigerrimos iuuenes regionisq; & viarum peritissimos, duosq́; item equos inusitatæ admirandæque pernicitatis in conspectu dedit, & vix lacrymis temperans: Habes, inquit, ad quod confugias, si casus aliquis maláue sors, quod abomi-

Draculã item Regis sententiam, coniunctis quatuor millibus equitum.

abominor dicere, viribus te diffidere coegerit. Malim equidem fore vt frustra dederim: idq; eueniet, si vota & preces meæ non vanæ erunt. verum si necessitas vti coegerit, saluberrimum munus experieris. Vtile sanè consilium Dracula attulerat, si tam fideliter auditum seruatumq; fuisset, quàm dabatur. Vulgatum est postea, virum ingentis spiritus natumq; ad bellicas actiones, vbi apparatum Burgundi Italorumq; percepit, variè ac multum secum agitasse inter pœnitentiam fidei Turco per fœdus datæ, & religionem eius violandæ propter euentum & futuram fortunam hominum famam, siue ad tam gloriosam expeditionem cum Vladislao progrederetur, siue remaneret: plusq; omnino valiturum fuisse apud militare ingeniū belli decus, quàm laudem seruatæ sponsionis: sed suapte natura ominibus diuinationibusq; quibuscunque alioquin obnoxium muliebre vaticinium retinuit. Pridie enim quàm in regia castra peruenerat, Secusa mulier Bulgara, senio quidem confecta, sed cognitione futurorum multis experimentis clara, ad vicum Sollonum, de exitu ac fine belli ab ipso interrogata prædixerat, regem haud felici euentu pugnaturum: plusq; momenti contra eum hostem profligati exercitus reliquias habituras: foreq; subinde vt res fœlicius gererentur. atq; ideo in se ac suos vaticinium deriuare volens, prosperioribusq; actionibus superesse, periculo quod in præsens nunciabatur, se subtraxisse: filium verò cum à se dimitteret, magnopere monuisse, ne fortunæ obluctaretur temerè in acie, si res Christiana inclinaret. Conuertit deinde Vladislaus se in Thraciā, ingentemq; multitudinem fluuialis scaffæ in Paniso amne compertam incendit. Oritur autem Panisus in monte Hemo, & inter Messembriam Odessumq; Euxino illabitur. Creditum verò eiusmodi nauigia infestandæ Hungariæ gratia illic à Turcis præparata, vt demissa subinde in pontū, per occasionem trāquilli maris iuxta littus sursum agerentur in Danubium. Cuius maximè meridionale hostiū, haud plus triginta milibus passuum distat ab Odesso. Ab eo incendio, quà placidiorem ascensum Hemus ad se dabat, erecturus agmen, quia via vtiq; angusta & confragosa diuisit copias, vt contra improuisos hostium incursus firmior esset, & paratior. Hunniadiano igitur cum auxiliaribus Valachis & tribus Hūgarorū milibus præmisso, sequebatur ipse magno interuallo, cū cruce signatis, reliquaque multitudine. Nā currus in medio agi placuerat, tam præcedentis quā subsequentis agminis præsidio tutos, inter progrediendū nequid à tergo relinqueretur quod muniri in locis adeò angustis posset. nonnulla oppida hinc inde direpta, & propè funditus diruta, vici quamplures incendio deleti. grassatumq; est à militibus licentiosè etiā in sacra Bulgarorum Græcorumq;, quorum templa veluti profana, manu, ferro, igne, cæteroq; omni scelerum instrumento violabant. Id verò impiū, vt certè erat, visum Vladislao. edixit itaq; vulgo inquiri, ac restitui desiderantibus quicquid religione inuiolatum esse oportuerat: nullius magis quàm ipsorum interesse asseuerans, abstinere manus à sacris, pro quibus arma sumpsissent, multum quidem in armis reponendum esse, sed in Deo plurimum: qui postmodum in bello non modò opem non laturus foret contaminatis sacrilegio,

Oraculum Secusæ mulieris Bulgaræ.

Ortus Panisi amnis.

Vladislaus manus à sacris abstinere mandat.

ſedetiā pro templis, pro aris, pro ſacris ſuis contrà ſtaturus, niſi à tā execrabili rapina abſtinuiſſet. dimiſſi exinde nōnulli ex captiuis Turcis cū literis, in quibus ſpōdebatur omnibus qui ex præſidijs ſuis elaberentur, liberū fore aut ſtipendia facere apud regē, aut abire quo mallent. Cuius ſpōſionis fides integerrimè ſeruata, cū multa loca in deditionem veniſſent, quæ acerrimè prius defendebantur, timentibus Turcis qui in illis erant aut iniquam ſeruitutem, aut mortem cum cruciatu. qui tamen Sumium ac Pezechium tenebant, in rupibus paulò editioribus, freti naturali locorum munitione, maluere experiri quid ſe tuendo poſſent, quàm fidei hoſtiū credere. contra quos quia propter opportunitatem ſitus apparebat poſſe ab hoſte facilè reditum præcidi, ſi caſus aliquis illa redire coegiſſet, viſum eſt omnibus vim oppug-

Sumium ac Pezechium oppugnantur.



nando experiri. itaq; non ſine multorum clade, cum difficultas nitendi ſurſum longè plus negotij, quàm hoſtis armato militi exhiberet, vtrunq; oppidum oppugnatum. in ea victoria multorum induſtria, multorum opera claruit, ſed in primis Tamonenſis Ioannis & Leſconis Bobricij: quorum ille dum portas refringit, duo vulnera accepit: hic Pezechij murum primus aſcendit, & multis alijs aſcendendi opportunitatem præbuit. Traduntur ad quinq; milia ex hoſtibus illic interijſſe, quorum magnā partem dum præda diriperetur, gladius abſumpſit. cæteri ad terrorem aliorum rupibus, per quas ſe tutos putabant præcipites acti. Dum hæc à rege agerentur, afferuntur Franciſci Cardinalis literæ nunciantes, Amuratum aut fruſtratis arte, aut corruptis precio ſpeculatoribus, qui littora ſeruabant, infra Callipolim, qua fauces Helleſponti arctiſſimæ ſunt, ingenti multitudine militem reportaſſe in Europā, & coniunxiſſe ſuis, qui non procul ab Iſthmo Thraciæ Cherſo-

Literæ Franciſci Cardinalis.

Chersonesi haud sanè memorabili numero paulò antè se congregauerant. Qua nouitate regis deliberationem immutari oportuit, praesertimq; quòd plurimi ex suis hortabantur regredi, aut saltem in tuto alicubi subsistere, donec certus numerus hostium, & quò se primùm conuerterent, intelligeretur: tamen à Pezechio vbi facilè per montana munire tueriq; se poterat, rex in planum descendit. adeò est ineuitabile, quicquid id est, quod fatū appellatur. deinde in obliquum, Rhodopeam vallem biduo emensus, ad Pontum rursus sinistrorsum sub Hemum declinauit: decimisq; castris Tauarnam assecutus, in deditionem accepit. Turci enim qui illic fuerant in praesidio, auditis quae per eos dies ad Pezechium & Sumium gesta erant, aduentum regis minimè expectauerant. Eodemq; modo Macropolis, Callatium, Galata, Varna, & pleraque alia circum littus oppida deserta ab hostibus recepta sunt, & Christianorū firmata praesidijs. Hemus initium capit ferè à Mesembria, perpetuoq; dorso ad Macedoniam & superiorem Mysiam porrectus, diuersis in locis ab vtroque latere, velut cubitos genuaq; modicè extendit. Et primò quidem non admodum longè ab origine sua in dextram reflexus, atq; in Pontum recurrens, paulatim in minora iuga decrescit, donec per colles modicè tumētes tandemq; euanidos desinat in planiciem. in eo igitur tractu pro natura loci plurimae sunt valles agrestes partim & infaecundae, partim pecoribus hominibusq; alendis & natura fertiles, & accolarum diligentia more suo consita ac subacta. Earum nōnullae vndique intra colles clausae, aliae ad mare conuersae littoribus excipiuntur: sed in primis illa quae Varnae adiacet, humana cura & quantū fert regio naturali situ amoena est, & spectabilis: Varna verò ipsa in sinu angusto & haud sanè profūdo admittendis ferendisq; nauigijs grauioribus posita est ad littus, inter duo promontoria: in quorū altero Galata, in altero Macropolis sita, littoralia omnia, circa oppidum vineta, frugiferaq; alia arbores tenēt. interiora vallis ad dextram modicis infrequentibusq; vicis agrestes tum habitant, tum colunt: in sinistra qua eminet Galata, palustris est sub collibus lacuna, quae ad occasum in alterā vsq; vallem restagnanti vnda protenditur. inuitante igitur non tam loci opportunitate, propterea quòd aquatio lignatioq; & caetera necessaria in promptu militi erant, quàm valetudine regis, cuius in sinistro crure quà femori cōmittitur, enatus furunculus inflammationē doloremq; maiorē, quàm pro magnitudine tumoris cùm excitasset, visum est illic subsistere, adhibitisq; fomētis expectare, donec id vlceris in pus verteretur atq; exiret, quo sumendis tractandisq; in equo armis subinde rex foret expeditior, si quid violentū in itinere casus attulisset. Interea Turci ab Isthmo Adrianopolim profecti, quà hostis aduētare nunciabatur, citato agmine obuiā prodeunt: & septimo tandē die haud amplius quatuor milib. passuum, à castris regijs cōsedere. quorum aduentū & speculatores nunciabāt & nocturni ignes: quamuis collium interuentu prospectus eriperentur, tamen sereno caelo cum luna à coitu modici luminis adhuc esset, noctem sic ea ex parte inalbabant, vt non propinquitas modo, sed etiam multitudo ipsorū indicaretur. duplicata igitur vigilia nocturnaq; statiōes toto exercitu,

Descriptio Varnae.

Deliberatio super futuro certamine.

edictumq; arma expediri & præparari. vbi autem lux appetere visa est, Hunniadianus Iulianusq; & Despotus cum cæteris, quorũ aut cõsiliũ aut auctoritas requirebatur, frequẽtes ad regẽ coëunt, cœptaq; est consultatio super futuro certamine. Iuliano munire se intra currus placebat, dispositis circum machinis, tormentisq;, quorum aut fragor terreret, aut impetus arceret hostem, si munitionibus insultare voluisset. nihil prius in aperto aggrediendum, quàm præcognitæ pratentatæq; essent hostium vires. verisimile aiebat maritimas copias, quarũ nullus iam vsus in classe esset, sequuturas à tergo Turcos: daturasq; operam, quòd aut coniungerent se suis, aut distraherent hostem ex parte altera lacessendo, in eoq; omne momentum rationémque vincendi reponebat. quam sententiam Franco Banus Agriensisq; episcopus, & pleriq; alij ex Hungaris & Polonis sequebantur, rege etiã non tam probante, quàm non reprehendente moram dimicationis: quia lenito interim dolore quo fortè ea die grauius quàm vnquam aliàs premebatur, sperabat subinde suis integer adesse posse. Hunniadianus verò & Despotus præposterum id dicebãt: includi enim vallo, non esse inferentiũ vltrò bellum, sed vltimum confugium eorum qui acie victi sint. Quod consilium, si rogaretur hostis, aliud daturus, quàm vt positis armis obsidendos se traderent. omnium rerum, sed in primis bellorum exitus, à principio auspicari. prout primus congressus foret, ita toto bello aut audaciam aut formidinem hos vel illos in aciem afferre, atque ideò nullum trepidationis signum aut suis, aut hostibus indicandum esse. in celeritate transigendæ rei salutem consistere. agendo audendóque id genus hostium terreri, non artibus. Quid futurum, si clausos munitionibus Turci circunstetissent: neque pugnandi copiam subinde facerent, cum tolerandæ illic obsidioni nihil omninò foret præparatum? Nam quod de naualibus copijs diceretur, ridiculum omninò esse. Vbi enim gentium visum auditúmue aliquando, mediterranea bella classiarijs peditibus geri: quorum non alius vsus in terra esse posset, quàm equitum in mari, quibusque suas artes, suamq; esse disciplinã, eaq; in re valere, quosque plurimum ad quam studium exercitationemq; adhibuissent. Quod si etiã contra institutum & professionem suã, de classe descenderent, præter id quòd non nisi per longum tempus tam longum terræ spacium pedibus emetiri possent, ad terrestre certamen cõtra equites in peditatu eodémque naualibus armis instructo paruum omninò, aut potius nullũ vsum fore; atq; ideò & serum & vanum esse quicquid à classe speraretur: in qua si quid momenti esse posset terrestribus pugnis committẽdis totum impensum in id fuisset, vt postquã hostis in Europam transfretauerat, saltem circa litora retineretur, dum rex eò peruenisset. omissa igitur inani spe prodeundũ in aciem contra eundem illum hostem, quem ad satietatẽ superiore anno fugassent, cæcidissentq;. Qui trepidus cõfususq; animo inceptaret omnia, & in nullo persisteret, sed modo in Asiam, modo in Europã, temerè se trãsferens, ad minimum quemq; famæ strepitum, per sollicitudinem & terrorem se circumferret. nõ quàm multi ex diuerso essent referre, sed quo animo & audacia, quantumlibet innumerabiles, in prœliũ nihil aliud allaturos, quàm victorum

ctorum conscientiam & formidinem: non assuefaciendos milites tuendis se vallo & curribus quæ diffidentium armis præsidia sunt. quorumq; ut nullus usus eueniat, inter prima adeò expetendum. Tunc quando integrum foret aut armis hostem inuadere, aut imbellis multitudinis more septis ac munitionibus se includere. flagitiosissimum fore, viros fortes plus in curribus & vallo, quàm in armis ad se tuendũ præsidij posuisse. Intelligebat Hunniadianus ultimi rerum discriminis esse, quod suadebat, sed maioris animi viro, quàm ut ferre posset obsessorum tædia morasq; dum vinceret. Cum eò ventum appareret, ut neque progredi neque regredi nisi victores possent, promptissimam ad victoriam viam aggredi placebat, militemq; tum proximi anni felicitate, tum rebus per eos dies prosperè gestis alacrem; antequam casus aliquis animos spemq; ipsius refringeret, quàm celerrimè ad pugnam producere gestiebat: sed etiam ut vim hostium non sustinuissent, integrum fore videbatur, quid vallo & curribus tuendo se possent experiri. Mouerat cunctos Despoti & Hunniadiani sententia. Rexq; ipse supra dolorem iuueniliter elato animo nullã pugnandi moram ultra laturus videbatur, cum trepidè speculatores nunciant armari hostes, seq; inuadendis castris præparare. Itaq; dato Hunniadiano ordinandarum acierum negotio, cæteri ad suos quisque aduolant. Ille verò ante omnia circunspectis locis, per quæ aut apertè insultare, aut insidiosè erumpere adueniens hostis posset, ne quid discriminis oboriretur per insidias à tergo, ex valle in quam refundi lacunam diximus, inter colles & palustria ab ea parte fauces, per quas erumpendum erat, sic præclusit curribus retroactis, ut facilis ad eos receptus foret à loco pugnæ destinato. A tergo autem minimè ulla vis timeri posset, obstructo aditu & conuersis illuc machinis tormentisq;, aut exterrendis hostibus auertendisq;, aut deterrendis si cominus insultarent, eminus deinde aciebus ordinandis mediam vallem regi tuendam cum curialibus Polonis atque Hungaris aßignauit. At penes lacum ad paludem, unde minus timoris erat, tum quia palus imperuia, tum quia prærupti montes desuper impendent, quinque tantùm Hungarorum vexilla collocauit: dextrũ verò latus quà Varna castris obiecta erat, omni cætero robore exercitus firmandum ratus, cùm propter accessum qui inter littus paludémque patet, quicquid laboris ac discriminis futurum erat, venturum inde appareret, vexillum magnum Hungarorum ducibus Franco Bano, Agriensiq; episcopo illic potißimum statuit: Despotũq; cum suis, ac Iulianum cum cruce signatis illorũ ordinibus inseruit. Nec procul à tergo penes currus & munitiones veluti subsidiariam aciem constituit, vexillum diui Ladislai sub Varadiensi episcopo, adiecto ei Lescone Bobricio, cum parua manu Polonorum: sibi autem cum Valachis nullum certum locum designat, ut minimè turbatis ordinibus, quocunque res & periculum vocaret, accurreret, & nullum destinatum locum tuendo omnia tueretur. Amuratus autem cum peditibus reliquóque equitatu subsequens, præmiserat expeditißimorum equitum, circiter sex milia. Qui à principio minimè se apertis locis committentes, hostium vires magis inspicerent, quàm tentarent:

Hunniadianus aciem instruit.

Copiæ Amurati.

osten-

ostenderetq́, ita se illi primam ad dexteram in collibus, vnde totum exercitum ordinemq́, facilè æstimare possent. Cæterùm seu pugnæ auidi, seu Christianorum paucitate contempta, ex interuallo sagittis hostem irritabant. Sed cum Franco Agriensisq́, suos continerent, ne fracto per accliuum primo impetu, languidi ad hostem in collem peruenirent, Turci timorem id rati, paulatim descendere in aqua, inq́, ipsos ordines impreßionem facere cœperunt. Tum Franco id verò minimè ferendum præfatus, hostes scilicet qui paucis antè diebus suppliciter pacem petendo ad decertãdum ferro nullum esse in se momentum confeßi forent: qui superiori anno totiens ex acie fugissent, qui scopulorum niuiumque latebris veluti precariam vitam degerent, vltro victoribus insultare. signum dedit suis: identidem iactans, vt virtutis felicitatisq́, suæ memores, in aciem prodirent. non sustinuit irruentes Turcus: retróque per accliuum versus, celeritate equorum se vulneribus eripiebat. Superuenit interim reliqua equitatus multitudo, pársque in desinentem iam vallẽ se recepit. pars inuecta in regios subeuntes cliuum deturbat eos, agítque in præceps. Illi verò rursus in plano congregati, aciem



restituunt: pugnandóque acriter, quantum hostium ex collibus in aqua descenderat, penes vallem, ipsam in fugam vertunt, atque insequuntur. itaq́, Varadiensis non tam militarium artium quàm sacrorum peritus, cum videret terga dari à Turcis, relicta iam pridem statione sua, cum magna militum manu veluti ad partam victoriam accurrit: fugientibúsque instando, temerè vnà cum Despoto & Agriensi peruenerat ad confertißimum agmen in postremo vallis. vnde à multitudine reiecti in sinistram, Despotus quidem ad ordines suorum, qui pauci adhuc stabant, se transtulit. Varadiensis autem eadem locorũ inscitia qua acies turbauerat, per paludes ad

montes

montes euasurum se ratus, in aquam se immisit: fœdáque equi ac sua luctatione, diu prius in cœno vexatus, tandem submersus est. Agriensis verò ad lacunam circumuectus, Galatam petere instituerat. Mox tamen mutato consilio ad suos in pugnam rediit, nec postea vsquam comparuit. processerat vincendo Turcus iam ad diui Vladislai vexillum. nam Despotus cum Franco & Iuliano superabundante hostium multitudine, à collibus vltrà quàm ferri posset, cum suis retrò ad munitiones cesserāt. ibi diu ancipiti marte pugnatum. sed vbi Lesco, qui audendo hortādoq; certamen extraxerat, multis vulneribus vndiq; cōfossus, moribūdus ex equo cecidit, haud dubiè res Turcorum superior remanserat: nec iam milites tantùm, sed currus etiam oppugnabantur. Quorum nonnullos impetu primo euersos, vt diripi rex vidit, cum Hunniadiano properè illuc mouit, ne quod aduersæ pugnæ vnicū præsidium suis futurum erat, ab hoste præriperetur. Eius aduentu fortuna subitò mutata est. versi enim in fugam Turci, vltra duo millia passuum cæsi fugatiq; sunt. tantus erat ardor insequentis à tergo regis: qui reuocante impensius Hunniadiano, tandem omissis fugientibus, rursus Iuliano & Franco laborantibus accurrit. Redintegrauerāt enim præliū Turci ex tota illuc valle conuersi. Superuentu igitur regis acrius iterum certamen vtrinq; coortū, variaq; adhortatio: hinc sacra, religiones, aræ, templa, victoriæ cum decoribus prius partis, fœdaq; hostium fuga. Gratulationes præterea & laudes à tot principibus nationibusq; adeptæ. Ad extremū, Christianæ rei spes, ab eius diei fortuna pendentes iactabātur: illinc nō tam imperij quàm etiā nominis Turcici finis, nisi vincerent, ostendebatur: Asiā & mare illi obiectum, ab hostibus teneri: quæ in Europa ad id locorum habuissent in euentu eius pugnæ periclitari: non fore quò reuerterentur victi: quacunq; declinassent, mortem cruciatumq; iāpridem præparatum incursuros. ad necessitatem pugnandi accedere, quòd non tantùm viribus & numero, sed causa etiā superiores essent. nā contra ius fasq; per speciem pacis lacessiti. Insisterent ergo acriter, Deū fœderis testem formidinem fugámque & cædem, in pacis fideique violatores conuersurum. Caterùm nō segnioribus animis viribusque pugnātibus militibus, quā duces adhortabātur, magna vtrinq; cædes edebatur. Sed ingēs Turcorū numerus suorū stragē sentiri nō sinebat. Stetítque diu anceps præliū. tādem ab illis fuga inceepta multo cruentior fuisset, si nō à cæde ad prædā Christianos auertissent: cameli onerarij casu eis oblati quà hostibus instabāt: vbi equi etiā odore aspectúque insuetorum animalium consternati, haud facilè sessoris arbitrio se dirigi patiebātur. Hunniadianū in diuersum fortuna suorum abstulerat. namque vndiq; intentus, & laborantibus vbiq; properè accurrens, ad mediam vallem processerat, vbi sinistra acies impressionē hostis vix sustinebat. Caterùm restituto illic prælio, de rege sollicitus, cuius iuuenilis animus periculosā audaciæ suspicionem faciebat, inuenit eum ad Ianizaros pedestre militum genus penetrasse, ibique pugnam substitisse. Magna vis non hominum modò, sed equorum etiam ceciderat, alijs gladio confossis, alijs detruncatis cruribus ad terrā prouolutis. Neq; iam solùm, sed cadauerum strages

Varadiensis in cœno submergitur.

Pugna anceps.

pugnando calcabatur: adeoq́; concitatis animis instabant vrgebantq́; vicissim, vt rabies, non studium vincendi videretur. perrupit tamen Vladislaus aduersam aciem: ablatusque inter hostes longè à suis, creditus est iam tum aut casus, aut captus. itaq́; haud multo pòst, cum Turci terga iam verterent, Christiani quoq́; ex diuerso veluti rege amisso fugæ se committunt, eodemq́; tempore pars vtraq́; cedere inceperat: adeo fortuna cuiq́; sua erat ignota, in tam varia frequentiq́; victoriæ inclinatione. Sed vbi Ianizari Christianorum motum animaduertere, sistunt ipsi pedem, pugnămq́; instaurant. Hunniadianus autem qui videret trepidatione ac formidine in suos conuersa, vbiq́; ordines turbatos, fœdeq́; à multis aciem deseri, concitato equo per confertissimos hostes ad regem peruenit: patefactaq́; suorũ fuga & pauore, vt retrò se ageret, obtestabatur minimè de rerum summa desperãdum dicens: quippe adeò raros in acie periisse, vt iactura vix apparitura foret, si priusquã superstites fugiendo dissiparentur, ad munitiones & currus se cũ illis reciperet. in vita ipsius nõ modò regna, quibus præerat, sed vniuersã quoq́; Europã Christianumq́; nomen periclitari. Cum interea nihilo minus acriter ille in hostem ferretur, cædemq́; & fugã quocunq́; se verteret committendo, donec equus ingenti in latus vulnere accepto præcipitem per armum dextrum effudit. Nec mora, superuenientibus Ianizaris, telorum multitudine non tam confossus est, quàm obrutus. Substitit paulisper Hunniadianus, corpus regium, si fieri posset, recuperaturus. Sed cùm reliquis effusissimè diffugientibus, paucos admodum Valachos, qui remanserant, tam multorum impetum secum minimè laturos intelligeret, vbi vnũ atque alterum conatum frustrari vidit, haudquaquam nefas ducens superesse aliquem post regis interitum, qui acceptam cladem vlcisci posset, ignominiamque eã delere, ad suos retrò se recipit: indéque cum post fugam iampridem à Despoto initam, Iulianus desperatis omnino rebus cedendum suaderet, sub ipsum crepusculum per montes in vastam siluam se recepit. Multique alij, quos nulla prius aut trepidatio aut fuga suorum à pugna auerterat, subsecuti sunt illum ad deserta & montes, inter quos Franco & Iulianus: totiens eo in prælio & fugere & fugare vtrinque contigit, vt victoria tandem non sit à victoribus intellecta. Nam Turci, quorum fugam rex à primo congressu fuerat insecutus trepidationem in ciuitates circumtulerant, quasi debellato exercitu, victor hostis ad eas oppugnandas statim copias esset admoturus: & qui pugnare ad noctem vsque perseuerauerant, haud vsquequaque vicisse credentes, incertique quò se Christiani recepissent, dum silentium, quod erat intra currus insidias credunt, biduo à direptione prædæ abstinuere. In tota ea pugna regis virtus in primis enituit, vtpote in vltimo mortalium operum quod esset obiturus. omnia tum constantis ducis, tum fortissimi militis munera impleuit, occursando pauentibus, retinendo cedentes: atque vbi plurimum laboris, spem aliquam semper afferendo, consilio, manu, voce, tam hosti insignis quàm suis conspicuus, mortis suæ signa præcesserant, dum armaretur, delapsa manu armigeri galea: & equi, cũ in scensuro admouebatur, fera insolitaq́; oblucta-

Vladislaus fortiter pugnat.

Rex Vladislaus à Ianizaris interficitur.

Regis Virtus.

obluctatio: præterea instructis iam aciebus inter expectandum hostis aduentum, sereno tranquilloq́; cœlo atrox subitò ventorum vis oborta, pleraque vexilla regiumq́; inprimis dilacerauit, ab hastaq́; detraxit: & mox conquieuit, & paulo pòst dimissum conuentum, in quo decreta in Turcos secunda expeditio, cum qui conuenerant se quisq́; ad præparandum digressi essent, mota est adeò vehementer terra, vt non priuatim tantùm ædificiorum partes, vt assolet, deiecerit, sed pleraq́; oppida penè tota, in prodigium vsq́; ad solum excusserit, fluuiorum etiam quorundã cursus alueosq́; commutauerit. tenueritq́; vulgo fama, propter subsecutam frugum caritatem vel semina, vel agros exinde degenerasse. Quot verò ex vtraque acie ceciderint, haud facilè ratio iniri potuit. nam per vallem, perq́; omnes colles circum frequens & varia fuga & cædes fuit. Multi in lacunam & paludem delapsi immersiq́;. Multi etiam latè in siluis vepribusq́; occisi. Turci regio corpore inuento, modicæ altitudinis columnam, quæ hodie quoq́; visitur, cum inscriptione rei gestæ, in eodem loco statuerunt. Hungari verò & qui cum illis deserta petierant, præter Valachos, locorum inscitia non facilè ad Danubium peruenere. Si quos tamen fortuna illuc egit, fame, vigilia, siti, frigore, lassitudine, cæterisque malis, adeò prius afflixit, vt sæpe doluerint quòd non hosti potius iugulandos se præbuissent. Errantes per solitudinem, aut inedia dissoluit, aut ad terras hostiles perlatos seruitus excepit. Maiórque multò fuit erroris clades, quàm pugnæ aduersæ. Iuliano inter fugiendum vis illata, seu prædæ cupiditate, seu quia vulgò, quasi auctor patronúsque perfidiæ, inuisus erat. id constat saucium seminudúmque in deuio saltu exhalantem animam à Sanoceo obequitante inspectum, admonitúmque quòd euentus tandem planum fecisset, non fuisse Deo cordi ea quæ contra fœdus & iusiurandum more magis argutorum hominum, quàm ex æquo & bono disputasset, cum execratione relictum. Hunniadianus superato Danubio, cum paucis per Valachiam citatissimo itinere in Hungariam properauit, ne rei malè gestæ fama, seditionem tumultúmue aliquem intrinsecum excitaret: aut Frederico & Boëmis nouarum rerum in orbitate regni occasionem simul & consilium suggereret.

DE VRBIS CONSTANTINOPOLEOS IACTVRA CAPTIVITATEQVE AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM DIVINVM PONtificem, Leonardi Chiensis humilis Theologiæ professoris, Mitylenæi Archiepiscopi, Historia.

FLERE *mihi magis licet, Beatissime Pater. Et fortè dum gladio impetebar à Teucris, salubrior mors mihi fuisset quàm vita. Verum quoniam narrationes sinistræ tum vere prosunt auditoribus, si prostrati resurgant, uti quibus occisos parentes ab hostibus dicimus, animi ad vindictam mæsti vigorosius excitantur. Narrabo igitur & flens & gemens Constantinopoleos proximè his cernentibus oculis discrimen ultimum & iacturam. Nec dubito Pater sancte, precessisse me multos, qui rei gestæ seriem eidem S. retulerunt. Confert enim multorum in unum relatio. Sed quoniam quæ visu magis quàm quæ auditu verius exponuntur, quod scio loquar: & quod vidi, fidelius contestabor.*

Cum igitur Reuerendissimus pater D. Cardinalis Sabinensis pro nomine Græcorum Legatus, in eius famulatum me ex Chio vocasset, ego summa cum animi mei diligentia, ut fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ fortiter constanterq; uti debitum exigit, defensarem, captabam perinde & mores & naturã Græcorum, argumentisq; ac sanctorum Theologorum dictis agebam intelligere, quod eorum esset studium, quod propositum, quæ rationes, quis finis eos à vera intelligentia, debitaq; obedientia vel reuocabant, vel retrahebãt. Intellexi plane præter Argyropylum artiũ magistrum, Theophilum Palæologũ, Hieromonicosq; quosdam paucos, & alios laicos, quòd ambitio Græcos quasi omnes captiuasset, ut nemo esset qui zelo fidei, vel salutis suæ motus, primus videretur fieri velle suæ quàm opinionis & pertinaciæ contemptor. Ex una parte, ad fatendum articulum sancti Spiritus urgẽbat eos conscientia. Ex altera, ne meliorem Latini quàm Græci de veritate fidei intelligentiam habere crederentur, elationis tumor abducebat. Verùm quoniam nec ratio, nec auctoritas, nec variæ Scolarij, *Isidori, Neophytiq; opiniones aduersus Romanæ Ecclesiæ fidem stare poterãt, actum est industria & probitate præfati Domini Cardinalis, ut sancta unio assentiente Imperatore Senatúque, (si non ficta fuit) firmaretur, celebraretúrque secundo Idus Decembris, Spiridonis Episcopi sancti die.*

Ambitione Græci laborant.

Itaq; ea peracta, mox tempestas Teucri oborta, urbem Cõstantinopolis, Galatam cæteraq; adiacentia oppida absorbuit. Vt verbum Esaiæ verum sit dicentis: Tempestas conuulsa absque ulla consolatione. Qua tempestate concussus, ego quoque captus sum & pro demeritis meis vinctus cæsusq; à Teucris, nõ fui dignus cum Christo saluatore configi. Reminiscor ergo beatissime Pater, cũ primum de unione facta Græcorum, eidem Sanctitati epistolas seriosius destinassem, inter alia dixisse: Nos propter futuram Teucri obsidionem, quam indies expectabamus, inter spem & desperationem constitutos esse. Spes de tuo expectato subsidio dabat fiduciam, timor de Græcorum

Tempestas Teucri.

pertinacia desperationẽ suggerebat. Heu quæ spes in populo duro graui iniquitate, qui tot annis sine vita spirituali abscissus à capite permanebat. Quomodo non desperati, quomodo non abiecti à Deo, qui tantis dissimilitudinibus, tantis fictionibus, tantisq́ scissuris, ab Ecclesia elongati Romana, in cordis duritia permanserũt? Etenim iam captiuati, vrbe, templis, auro, laribusq́ propulsi, in Latinos retorquent offensam, asseuerãtes: Quoniam vnionem, inquiunt, fecimus, summóque Pontifici commemorationem dedimus, merito indignatum Deum.

O pertinaces homines, inquio. Si malũ est hoc, prisci, Basilius, Athanasius, Cyrillus, cæteriq́ patres, quos præcipuo sanctitatis honore præfertis, mali censendi sunt, quòd sanctam vnam eandemq́ fidem cum Romana Ecclesia, omnium Christianorum magistra, coluerunt. Nõ hæc causa est, quòd vnionem, sed quoniã vnionem non veram sed fictam, fecistis. Hac de re meritò indignatum Deum, hac de re iusta animaduersione in hostiũ manibus vos esse deductos. An non sponsionem de vnione sancto iuramento apud Florentinam Synodum conscriptam violastis? obedientiam declinastis? sententiam Decreti occultastis? An non summi Dei nuncij (ô Græci) vestram perditionem iugiter prædixerunt? qui aures, vt aspis, impiè obturastis, & sanctam Ecclesiam catholicam matrem fidelium obaudistis. Flete miserias vestras, arguite vosmetipsos & non alios condemnetis.

Mos obstinatorum hic est, sanctos aspernari Dei nuncios: vti Sedecias cæteriq́ Iudæi in Babylonem traducti, Hieremiam direptionem captiuitatémque Hierosolymorum prædicentem, contempserunt. Certè hactenus stetisset Ilion, si Cassandram Priamus pater audiuisset, si Prophetas Hebræi, si Sibyllam Romani, si vos quoq́ Apostolicos nuncios dudum audissetis. Idcirco non mirum, si in pœnam tanti criminis, inspirata mox tempestas inualuit, quam Spiritu sancto docti, quoq́ à multis annis futuram esse prædixerant. Sanè vt beatissimi patris N. primi summi Pontificis execrationem in prauos Græcos per illud: Vergentis in senium seculi corruptela, &c. prætermittamus. Tabula illa quam Leoni sapiẽti ascribunt, apud Monasterium sancti Georgij de Mangana constructã, vetusto tempore in Constantinopoli occultatam, mysterio iam signo detectam iacturã demonstrat. Hæc Pater beatissimus cellulis distincta quadratis, Imperatorum ordinem, successionémque ponebat, finiendum tamen in hoc vltimo Constantino. Ita quoq́ Patriarcharum alia in longum tracta tabula, ordinẽ præscribebat. Nam ille spiritu Prophetico illustratus, tot cellulas figurandorũ Imperatorum tabulæ inscripsit, quot à primo Constantino magno, Constantinopolis cõditore, vsq́ ad vltimam captiuitatem futuri erant: Itaq́ indies cellulæ illæ repletæ vnam modò & vltimam, in qua hic, sub quo vrbs perijt, collocãdus erat: si coronatus fuisset, vacuã prætendunt. Morsenus perinde vir sanctus, Sagittariam gentem contra Constantinopolim futurã, cuius portum inclytũ caperet, exterminandosq́ Græcos, seculis multis antè prædixit. Erythreæ autem nostra de Græcorum iactura vaticinium legentibus patet. Ioachim autem Abbas, meo iudicio, Constantinopolis iacturã in Papalista denunciat,

cum dicit: Va tibi Septicollis manibus truncatis, qu[illegible] si auxilio destitutam. Septicollim autem Graci [illegible] vocāt. Vt quid igitur Latinos damnant? Cur inuehunt nobis cum vera scribimus? cōtra quos tot aperta vaticinia protestantur. Non ergo vnio facta, sed vnio ficta, ad fatale vrbem detrahebat excidium, quo diuinam iram maturatam in hosce dies venisse cognouimus. Excitatus itaq. in furorem Deus, misit Mehemeth regem potentissimum Teucrorum adolescentem quidem audacem, ambitiosum, temulentum, Christianorum capitalē hostem. qui nonis Aprilis ante Constantinopolis prospectum cum tercentis & vltra milibus pugnatorum, in gyro terra

Mehemeth rex Teucrorū nonis Aprilis Cōstantinopolim obsidet.



castra papilionésque cōfixit. Milites maiore numero equestres, quanquam omnes pedites magis expugnabāt. Inter quos pedites, ad regis custodiam deputati audaces, qui ab elementis Christiani, aut Christianorum filij retrorsum conuersi, dicti Genickzari, vt apud Macedonem Myrmidones, quasi quindecim milia. Ad tertium autem diem, captato vrbis situ, machinas innumeras, craticulásque ex virgultis viminibúsque contextas, circum muralis vallum, quibus pugnantes tegerentur, fossatis admouit. Initium confusionis hoc nostrum fuit, vt, qui telis, machinarúmque lapidibus, iuxta datum ordinem eminus repellendi erāt, neglectis singulis, cominus proximare permiserunt. Tantum eorum ordinem instruendis machinis, tantam promptitudinem, tantam acierum prouidentiam, quidam aut Scipio, aut Hannibal, aut moderni belli duces, admirati fuissent.

Sed quis, oro, circumuallauit vrbem? qui, nisi perfidi Christiani instruxere Teucros? Testis sum quòd Graci, quòd Latini, quòd Germani, Pannones, Boëtes, ex omnium Christianorum regionibus Teucris commixti,

opera

opera eorũ, fidémque didicerunt: qui immanius fidei Christianæ obliti, vrbem expugnabant. O impij, qui Christum abnegastis. O satellites Antichristi, damnati gehennalibus flammis, tempus hoc vestrum est. Satagite augere vobis pœnas, quas luatis æternas.

Horribilem perinde bombardam, quanquam maior alia, quæ cõfracta fuit, quam vix boum quinquaginta centum iuga vehebant, ob partem illam murorum simplicem, quæ nec fossatis, nec antemurali tutabatur, Calegariam dictam figentes, lapide qui palmis vndecim ex meis ambibat in gyro, ex ea murum conterebant. Erat tamen murus perlatus, fortisq́, qui tamen machinæ tam horribili cedebat. Inde, quia maior confracta, Regis animum affligebat, ne tristitia in tanto certamine afficeretur, iussit mox aliã longè maioris formæ conflari, quam, vt aiunt, industria Calilbasciæ consularis Baronis amici, artifex nunquam ad perfectum conduxit, alijs mediocribus innumeris collidere vrbẽ machinis vndequaque conabantur. Sclopis, spingardis, zarbathanis, fundis, sagittis, dies noctesq́, muros, hominesq́, nostros vexabant, mactabantq́. Existimauit enim hostis Christianos esse paucos, quos assidua prostratos fatigatosq́ pugna, vrbem tueri non posse. Ignominiosè igitur factum est, vt primo illo congressu, Teucri obstaculum non inuenerint. At indies doctiores nostri facti, parauere contra hostes machinamenta, quæ tamen auarè dabãtur. Puluis erat nitri modica, exigua, tela modica: bombardæ si aderant, incommoditate loci, primum hostes offendere maceriebus alueisq́, tectos non poterant. Nam si quæ magnæ erant, ne murus concuteretur noster, quiescebant. Interdum in cuneos hostiũ emissæ, & homines & tentoria exterminabant. Nec enim inanum iaciebantur, quas illisas hostes declinare non poterant. Itaque cadebant Teucri icti torneis telis, lapidibusq́. Vulnerabantur & nostri: qui quandoq́ vallum egredientes, ad manus decertantes, & occidebant, & occidebantur. Victoria ex hoc æquius tyronibus nostris, quòd egrediebantur impauidi, quàm Teucris dabatur.

Bombardæ horribilis.

Verùm quoniam malo fato, Iohannes Longus Ianuensis, de Iustinianorum prosapia, duabus cũ nauibus suis magnis, & armatis circiter quadringentis mare decursitans, fortè veniens stipendio ascriptus Imperatoris, ducatum militiæ obtinuit, strenuè defensare vrbem visus, reparationi demolitorum murorum vigilantius agebat. Teucri animum, viresq́, deludere videbatur. Nam quanto hostis mole ingentis lapidis muros conterebat, tanto hic animosius sarmentis, humo, vasisq́ vinarijs intercompositis, reparabat. Qua de re Teucrus delusus, cogitauit non cessandum ab ictibus machinarum, sed fortiori cura, subterraneis cauis furari vrbem. Minerarũ fossores, quos ex nouo brolo conduxerat magistros, accersiri iussit. Lignis instrumentisq́ aduectis, solerti cura, vti imperatũ, actum est, vt mox per cuniculos tentarent fundamenta suffodere, penetrareq́ omnifariũ vrbis murum. At eum à fundamentis (ô rem mirabilem) primum iam vallum anteque murale, mirãdo cum silentio subcauassent, Iohannis Grande Alemani, ingeniosi militis, rerum bellicarum doctissimi, quẽ Iohannes Iustinianus militiæ dux centurionem conduxerat, industria & sagacitate opus detectum est,

Ioannes Longus Ianuensis.

Ioãnes Grande Alemanus.

eſt, exploratorúmque id firmatum relatione, animos omnium commouit. Græci, cum dudum Barſichã, Ammi, Amorathq́; genitorem huius priſtinis bellis fruſtra laboraſſe, in cauãda vrbe cognouiſſent, impoßibile per hunc fieri poſſe firmabant. Quorum opinio ex facti euidentia confuſa eſt. Itaq; penetralia hac noſtris reconfoßionibus detecta, vrbẽ non læſere Timorem tamen ingentißimum, à fundamentis confoſſa turris, ligneis ſtylis bituminatis innixa nobis incußit. Sed vt res in lucem venit, repulſis igne & ſulphure hoſtibus, è latebris reconſtructa, mox timorem excußit.

Compoſuit perinde ligneas turres iuxta vallum, humo plenas, pellibus boum circumtectas, ex quibus foſſatis clàm terram, quiſquiliasq́;, vt facilis eis fieret ingreſſus, immittebant. Crates deinde innumeras ex virgultis, viminibusq́; contextas, cattos oblongos, ſcalásque rotatas, currus caſtellatos, taliáque machinamenta, quæ vix Romani aduerſus Pœnos conſtruxiſſent. Bombarda præterea illa ingens, eo quòd Caligaream ſtrenuè reparatam aduerſus non proficeret, alium locum Bactatineæ turris, iuxta Sancti Romani portam inde dimota, lapide in ea æſtimatione mille ducẽtarum librarum interdiu collidit, colliſum concutit, concuſſum exterminat. Ruina turris antemuralis foſſatum replet, æquatq́;, ita vt via hoſtibus, quà decurrere poſſent, ſtrata cerneretur: niſi quia concitè introrſum, vti in Caligareæ demolitione, reparatio facta fuiſſet, haud dubio impetu vrbem intraſſent. Itaq; Teucrus, demolitum quamprimum reſtauratum vt conſpexit murum, Non Græcorum, inquit, ſed Francorũ hoc ingenium eſt, vt tanta reſiſtentia fiat, tanta pugna, quos nec innumeræ ſagittæ, nec machinarũ, ligneorumq́; caſtrorum horror, nec intermiſſa obſeßio deterret.

Agebant interea Galatæ, ſiue Perenſes, quanquã prudentius, ne in Propontide caſtrum ſtruxiſſet Teucrus, ſollicitam prouidendi curam; nunc armorum, nunc militum, clanculò tamen, ne hoſti, qui pacem cum eis ſimulabat, innotuiſſet, quæ res renuiſſet, ne auxilium poſthac Græcis conferre potuiſſent. Sic ſimulata illa pax vrbi ad tempus profuit. Ego iudicio meo, ni fallor, arbitror apertam guerram Perenſibus à primo ſalubriorem quàm fictam pacem. Quidam Teucrus neque caſtrum, quod demolitionis eorum cauſa fuit, condidiſſet, neq; guerram poſthac tam terribilẽ intuliſſet. O Genuenſes iam quodammodo cicurati, ſileo, ne de meis loquar, quos externi cum veritate dijudicant. Vbi ſunt priſci inclyti Genuenſes, qui Galatam, accincti gladio, vti qui reparabant Hieroſolymam, condiderunt? Illi cum effuſo cruore & ære: vos ne æs veſtrùm cupidi, & ſanguinem effunderetis, cum vecordia illam mundo decoram Teucro tradidiſtis, ſi tamẽ tradere potuiſtis.

Sed vt hiſtoriam proſequamur, interea fatigati noſtri de præſidio diffidebant. Nam neq; ex Genua, neq; ex Venetijs, quibus (pace eorũ) mitti debuit, auxiliũ mittebatur. Neq; aliunde ſpes erat, niſi ex Deo, cuius qui prudentius tarditatem metiebatur, ex myſterio fieri autumabat, quòd infidelitas, irreligio, magnaq́; crimina Deum potius irritabant. Vide beatißime Pater, quàm dignum, quàm rectum iudicium. Celebrarunt vnionẽ Græci voce, ſed opere negabãt. Aiebant quidem Magnates, quorum cruor hoſtili

gladio.

gladio iam irrigat terram: Detur summo Pontifici commemorationis honos, sed decretum Florentinæ Synodi non legatur. Cur hoc hypocrita? Vt deleatur, inquit, ex decreto, quòd Spiritus sanctus nō æquè ex filio, quemadmodum ex patre procedit. Cur item hypocrita? ne errasse videantur Græci, si dicant duos sancti Spiritus productores. Sed cur item oro, hypocrita? Ne detur ei, qui totam sibi ex officio captare cupit gloriam. Intendebat ex vna parte Scholarius, ex altera Chirluca quandoq; ad præsentiam semet Apostolicam conferre, vt hi essent qui soli rem intellexisse viderentur, quique primi laudarentur tantæ vnionis autores. Aduersus enim Legatum multi inuidia clanculò torquebantur. Ergo dixi: Paterisne, ô Imperator, vt hæc ambitio scindat Ecclesiam, vt huius gratia, diuina ira magis magisque meritò accendatur? Cur non è medio pertinaces illi tolluntur? Acquiescere Imperator visus, Metropolitas ad concupiscendum Scholarium, Isidorum, Neophytum complicesq; iudices constituit verbo quidem, nō facto. Nam si pusillanimitatem Imperator excussisset, hanc fidei illusionem vindicasset. Qui enim hominibus, Deo spreto, complacet, vtiq; confundetur. Cohercendi quidem illi erant, qui si fuissent, morbum pestiferum nō propagassent. Sed ignoro, vtrúmne Imperator, aut iudices damnandi, quibus correctionis virga, quanquam minæ intercessissent, aberat. Scholarius. Chirluca.

Cōtinuata igitur obsidionis tēpestate, clausa vrbe, ducentarū & quinquaginta fustarū ex diuersis Asiæ, Thraciæ, Pontíque littoribus, cōtra vrbem disposita classis venit, inter quas, triremes sex, & decē biremes, septuaginta reliquæ fustæ vnis banchoremis. Cymbæ etiam barculæq; sagittarijs ad ostentationē plenæ vehebantur, quæ cinctum cathena portum, & manibus rostratis bene armatis, Genuensium septem, Cretensium tribus colligatum, intrare non valentes, minus ad stadia centum Propontidis ripa anchoras figunt. Et cū proximare non auderent, mare à longè sulcantes, lignamina, lapides, aliáque machinamenta castris opportuna deferebāt. At cū Teucrus tribus iā in locis concussos lapidibus muros machinis, desperaret, moratu cuiusdam infidi Christiani, ex colle biremes intromittere iurat. Est enim portus ille beatissime Pater, in longum angustumq; protractus, cuius Orientalem plagam colligatæ naues, & cathena muniebant: inde hostibus aditus impossibilis erat. Quare, vt coangustaret, circumuallaretq; magis vrbem, iussit inuia æquare, exq; colle suppositis lenitis vasis lacertorum sex, ad stadia septuaginta trahi biremes, quæ ascensu grauius sublatæ, posthac ex apice in decliuium, ad ripā lenissimè sinus introrsum vehebantur. Quam nouitatem puto, Venetorum more, ex Gardaæ lacu, is qui artificium Teucris patefecit, didicerat. Ita nos magis territi, cogitabamus eas aut igne aut lapide exterminare. Sed neq; hoc profuit. naues illæ maioris nocumenti nobis erant, machinis vndequaque tutatæ. Sic iam perdito portu, necesse fuit ex postis, vt maritimos custodiremus muros, deminuere milites.

Perinde hoc ingenio non contentus Teucrus, aliud quoq;, quo nos terreret, magis construxit, pontem videlicet longitudinis stadiorum circiter triginta, ex ripa vrbi opposita, maris qui sinum scinderet, vasis vinarijs Astutia Teucri.

colligatis, fub conftructis, confixifq; lignis, quo exercitus decurreret ad murum prope vrbis iuxta fanum: imitatus Xerxis potentiam, qui ex Afia, in Thraciam Bofphoro exercitum traduxit. Non reftabat ergo nifi nauium cathenaq; diametralis tuitio, qua tranfitum ingreffúmue claßi prohibebat.

Tres Genuēfes naues cōductæ. Interea ex Chio in noftrum fubfidium tres Genuenfes armis, militibus, frumentoq; conducta naues, vnam Imperatoris, qua ex Sicilia frumento onufta aduenerat, comitem ducebant. Quas vt mox vicinas vrbi, claßis qua excubabat, applicare vidiffet, concitè ftrepentibus tympanis, tubisq; fonantibus, intuentibus nobis, obuadit, fingens Imperatoris nauem expugnare



velle. Teucrorum Rex ex colle Perenfi, fortuna expectans euentum, proconfpicit. Fiunt tunc celfi clamores, triremes maiores nauibus hærent, tentant Imperialem, fed protectam à noftris audacius inuadunt, certamen ineunt, focum machinis adhibent, fagittas iaciunt. fic atrox pugna committitur. Naues, Mauritio Genuenfe Catano imperāte, ex aduerfo repugnāt. Ibi Dominicus de Nouaria, & Baptifta de Fellicz ano Balanerij patroni Genuenfes, arduè pugnam profequuntur. Baliftarum horribilium mißilia iaciuntur, exq; coronis naualibus infra Teucrorum commixtā claffem infiniti lapides demittuntur. Tuetur fe egregiè Imperatoris nauis. Succurrit

Flectanella. Flectanella patronus. bombardæ perftrepunt. fit vlulatus in cœlum, confrāguntur galearum remi, Teucri fine remißione fauciantur. Rex, qui ex colle circumfpicit, quòd claßis perit, blafphemat, vrget equū in falum, veftimenta cū furore confcindit, ingemifcūt pagani, & totus exercitus affligitur. Quid vltrà? Bellū recenfetur, inualefcit pugna: & tātis claffem telis lapidibusq; obruūt, tot Teucros occidūt, vt declinato Marte, ad littus remeare

non

non possint. Exploratorum & profugorum relatu didicimus, quòd decem prope milia ceciderunt, alij gladio perempti, & sagittis, & machinis: alij cōfossi vulneribus, flebilem exercitum reddiderunt. Erant quæ inuaserunt naues, inter triremes & biremes circiter ducentæ. Confusa tunc Regis ambitio est, paruiq; reputata potentia, quòd tot triremes nauem saltem vnam ceperint. Naues ergo (Deo gratias) non læsæ, nec vno saltem homine perdito: aliquot tamen vulneratis, noctu saluæ cum iucunditate portum intrāt.

Rex contrà classis præfectum Balthoglum oppidò indignatus, precibus baronum concessa ei vita, sententiā tulit, quòd officio & bonis omnibus priuaretur. Cogitauit itaq; odio accensus in naues, ex colle Galatæ Orientali plaga, vel eas lapidibus machinarum obruere, vel à cathena repellere. Dispositis itaq; & ex ripa Occidentali bombardis, satagit omni acuitate artificis naues infringere, referens Perensibus: quoniam, vti dixerant, piratarum erant, quos Imperator condixerat, contra eas agere velle, quæ inimicorum fuorū essent. Itaq; artifex cui promissio negata fuit ex nostris, ad Teucros reductus, quanto ingenio potuit, naues frangere studuit: nesciòq; quo fato, resultans bombardæ à colle lapis, centurionis nauem, fortè ob crimen, vno ictu cōfodit: quæ extemplò mercibus onusta, fundum mersa repetijt, maximum discrimen quidem inferens. Quo casu reliquæ ne confringantur, muro Galatæ protectæ hærent. Mirandum quidem Dei iudicium, vt immissis quinquaginta & centum propè lapidibus, quibus perforatæ multæ Galatæ domus, & cùm mulier optimæ famæ interempta fuit, inter triginta conglobatas, illa sola perijt. Balthoglus nauis præfectus officio & omnibus bonis priuatur.

Erant perinde in portu triremes mercatoriæ tres Venetæ, duæq; agiles in portum, ad tutelam earundem designatæ: quas magno cum hortatu Imperator auri, in menses propè sex, pro tuitione vrbis restare fecerat: quæ pacem cum Teucro simulantes, non nisi clanculum præstabant Græcis patrocinium. Verùm cum notulæ fugæ aliquandiu earum patuissent, tum quòd merces ex fundis supellectilémque traducebant, actum est, vt nullo pacto, quòd populum titubassent, prohibitione Imperatoris quæ restabant traducerentur, quinimò deonustæ in terram reportarentur. Res hæc Venetis indignationis fomitem ministrauit, vtpote quòd libertate, priuilegijs, pro honore dominij eorum nactis, verecundius priuarentur. Sed sedatis posthac animis, suo arbitrio relicti, spondent Veneti omni fide & studio, finem vsque belli tueri vrbem.

At posthac inter Venetos & Genuenses Gatarhæ oborta dissensio est. quòd alter alterum fugæ suspicionem improbrassent, asserentibus Venetis, vt tollatur suspicio, quòd è nauibus suis gubernacula, carbasaq; apud Constantinopolim in saluo deponant. Indignati Genuenses: Et si pacem, inquiunt, consulto etiam Imperatoris, pro salute Græcorum, quæ communis est, qua proba dissimulatione supportamus cum Teucro. Absit tantum facinus, vt Peram toto orbe pulcherrimam, vxores, liberos, thesaurosq; deseramus, quam vsque ad sanguinis effusionem defensare disponimus. Gubernacula, carbasaque nostrarum nauium, ne exiguo precio inclytus Ge- Dissensio inter Venetos & Genuenses.

*nuæ decor apud vos sit, non in aliena potestate, sed in nostra seruabimus.
Nunquam fugæ licentia nobis datur, si res nostras arbitrio nostro serua-
mus. Pacata posthac cuncta sunt, agentibus Venetis de triremibus suis vti
voluissent.*

*Crescente perinde angustia, consultum est, si quomodo intromissas ho-
stium fustas vrere nostri possent. Clanculóque vna dierum ante lucem, dua-
bus nauibus per Iohannem Iustinianum capitaneum dispositis, cum aliquot
biremibus ad ripam vehendis, parato foco & machinis. Fit detractis naui-
bus, dato ordine, vt cymbæ rectæ, quas Barbotas dicimus, biremesq; seque-
rentur: hoc ideo, vt munitæ saccis lana plenis naues, prius ex machinis acci-*
Iacobus Cocha Venetus. *perent lapidum ictus. At Iacobus Cocha, vir Venetus, armatam ex nautis
triremium Venetarum, imperialem biremem iuxta ordinem datum, glo-
riæ & honoris auidus, laxatis remis, præuenientem conuertat: moxq; vt ab
hostib. cernitur, heu grauem sortem bombardæ, lapide medio penetratur cũ
omnibus armatis, æquore biremis absorbetur. Heu Pater beatiss. graue di-
scrimen vt vno ictu Neptuni furor immerserit. Etenim res hæc detecta re-
lataq; Teucris, agit, vt dũ nostri percutere voluere, ipsi prius percussi sint.
Sed quid dicam, beatissime Pater? accusaréne quempiam licet? silendum
mihi est. Qui casus acerbum luctum nostris dedit, & vnde exierunt naues,
cum confusione retraxit. Exmersis inde supernatantes quidam, ad litus ca-
piuntur ab hostibus, quos impius rex ante oculos nostros crastino decollari
iussit. Nostri exacerbati, quos habebant captiuos carcere Teucros, ad mu-
ros in suorum prospectu, immanius trucidant, sicque impietas crudelitate
commixta, bellum atrocius fecit.*

*Simulauit posthac Teucrus pacem facere velle, exploratoribus fictè re-
ferentibus: pœnituisse eum, quòd guerram, quasi stimulatum ab Vngaris,
intentasset. Statuitq; caduceatorem. Sed hæc res conficta patuit. Quia nec
demoliri oppidum, quod in Propontide struxit, nec restaurare quæ vasta-
rat, permittebat. Quodq; magis angebat, insidentia erat Teucri, qui ius-
iurandum fœdusq; nunquam seruarat. Cur igitur pacem quærit immanis
& inuidus hostis? Percunctatus, ex more esse intellexi, vt antequàm certa-
men generale cõmittant, hostes optione pacis petẽdos, ne ea prætermissa, De-
um non propiciũ, sed iratum in tãto Marte sentirent. Itaq; delusionem eius
præscientes, salutem nostrã Deo commisimus, dies nostros dinumerantes in
amaritudine cordis, & plenitudine, letanijs, sacrificio, thure, prece placan-
tes Deum prædicabamus. ieiunia indiximus imperare nostris, vt solus De-
us pugnare pro nobis dignaretur. Sed quid proderunt Deo missæ preces, si
ex corde non sint, si pollutæ manus habentur, si impia & inconfida corda con
sunt? Iniquitates enim diuiserunt inter nos & Deũ. Sabbata nostra, Ka-
lendæ, incensum, sacrificia in abominationem versa sunt. Et quem propiciũ
sperabimus habere Deum, habuimus scelerum nostrorum vltorem. Pauci
admodum & maiore numero ex Græcis imbelles, scuto, lancea, arcu, gladio,
natura potius quàm arte militabãt, maiores galea, thorace, lorica, gladio,
lãcea: quidã in arcu & balista doctiores, sed propugnaculis impares numero*

age-

agebant, quoad sciuerant & poterãt. Cadebant Teucri, qui audacius adhærebant. Sed quid si centum in die cecidissent, innumeri illi quanto cadere, tanto resurgere plures videbantur. Si vnus ex nostris cecidisset, tum præcipuè cordatus vir, centũ perdidisse flebamus, Græci ad sex milia bellatorum non excedebant. Reliqui, siue Genuenses, siue Veneti, cum his qui ex Pera clàm ad præsidium accesserant, vix summam trium milium æquabant. Sed, quid agimus in ore leonis, quid friuola in ore vrsi, quid vnus contra mille? Etenim nostri vix vrbẽ ponto terraq; obsessam, circumuallatamq;, quam octo & decem miliaria complectuntur, muniebant. Sed ô Græcorum impietatem, ô patriæ direptores, ô auaros: quos cum sæpenumero lachrymis perfusus inops Imperator, rogasset vt pro militibus conducendis pecuniam mutuarent, iurabant se inopes, exhaustosq; penuria temporũ, quos posthac ditißimos hostis inuenit. A paucis nihilominus quadã vltronea oblatio facta est. Cardinalis hercle omne studium habuit, in ferenda ope, in formãdis turribus & muro. Quid autem Imperator perplexus agat, ignorat. Consulit barones, suadent nõ molestari ciues angustia temporis, sed recurrendum ad sacra. Auferri igitur & conflari iußit ex sacris templis sancta Dei vasa: sicuti Romanos, pro neceßitate temporis, fecisse legimus, exq; eis pecuniã insigniri, dariq; militibus fossoribus, constructoribusq;, qui rem suam, non publicam attendentes, nisi ex denario conuenissent, ad opus ire recusabant.

Angustia igitur afflictus Imperator, dispositis in propugnaculis militibus quoad potuit, antemurale solũ vrbis, valluq; sat videbatur tutari posse. Bellum itaq;, paucitate suorum diffidens, tolerat, & spem omnem in Ioanne præfecto Iustiniano reposuit. Bene siquidem, si fata secundassent. Iuxta ergo se eodem capitaneo cum tercentis commilitonibus Genuensibus posito, splendidis refulgentibus armis, delectis quidem coadiunctis Græcis aliquot strenuis, circa illam partem murorum Sancti Romani reparatorum, vbi magis vrgebat pugna, Imperator stetit. Mauritius inde Cataneus, vir nobilis Genuensis præfectus inter portam Pighi, id est fontis, vsque ad Auream, cum ducentis balistarijs, commixtis etiam Græcis, cõtra ligneum castrum, pellibus boum contectum oppositum accuratè decertat. Paulus Troilus, Antonius de Bochiardis, fratres, in loco arduo miliãdri, quo vrbs titubabat, ære proprio & armis, summa cum vigilãtia, noctu dieq;, & spingardis horrendis, & balistis torneis viriliter pugnã sustinent: qui tanta animositate, nunc pedes, nunc eques defendũt, vt Horatij Coclitis vires, repulsis hostibus, æquare viderentur. Horatius Cocles. *Nam nec muri fracti cõcußione, nec machinarum turbine territi, æternã sibi memoriã vendicant. Theodorus Caristino senex, sed robustus Græcus in arcu doctißimus, Theophilusq; Græcus, nobilis Palæologo literis eruditus, & ambo catholici, cum Ioanne Alemano ingenioso, Caligaream concussam reparant, proteguntque. Contarenus inter Venetos clarißimus, Contareno capitaneus Aureæ portæ & adiacentes turres vsq; oram maris viriliter pondus sustinens, hostes impugnat. Græci perinde alij, suis distribũti pugnaculis, aciem, mare, terrámque in vrbis gyrum prosequebãtur. Palatij Imperialis cura Bailo Hieronymo Minotto*

Venetorum commissa est. Cardinalis à cõsilio nunquam absens, S. Democrij regionem ad mare defensabat. Cathalanorũ consul turrim ante Hippodromium tutabatur, versus Orientalē plagam. Chirluca curã portus totiusq; maritimæ regionis inuigilabat ad deferendum præsidium. Hieronymus Italianus, Leonardus de Langasco Genuensis, cũ multis socijs, Chsiloportam; & turres, quas Aueniadas vocant, impensis Cardinalis reparatas, spectabant. Flamines monachiq; supra muros vndiquaq; collocati, pro salute patriæ excubabãt. Gabriel Triuisano, subtilium galearũ nobilis Venetus, cordatissimè à turri Fani, vsq; ad Imperialem portã, ante sinum cum quadringentis Venetis egregijs, decertabat. Grossarum verò galearũ præfectus Andreas Dieio cum reliquis, triremes potius pauidus, quàm portam custodiebat. Naues perinde armatæ buccinis iugiter & vlulatibus Martem inuitabant. Demetrius socer N. Palæologo, Nicolausq; Gudelli gener, præsidentes. vt decurrant vrbem, cum plerisque in succursum armatis, reseruantur.

Taliter ergo pugnatoribus, siue ducibus, siue tyronibus ordinatis, expectabatur cõstituti Martis generalis insultus, quo sæpēumero territi Græci, postes, nunc agris, nunc vineis colendis, nunc voluptatibus laxati, ex industria declinabant. Fingebant quidem rei familiaris curam, etiã qui graues videbantur. Alij inopiã accusabant, qua ad opus lucrandi gratia cogebantur. Quos cum absentes corripuissem, periculum nõ modò suum, sed omnium Christianorum allegans, respondebant: Quid nobis cum castro, si penuriam sustinet domus mea? ita quòd magna vis erat reducendi ad muri custodiã. Ob hoc, paucitatem hostes captantes pugnantium, audaces facti, vncinis vasa, quæ in propugnaculis posuerant nostri, demolito muro detrahebant. Quandoque itidem lapidem ingentem, vallo ex resaltu collapsum, quē magna illa bombarda muro iniecerat, cum rubore nostro, cum retiaculis extra ducunt, reproijciuntq;. Sed vbi custodes, vbi milites euagãtes, vbi lapides, vt prohibeant vel repellãt? O quàm malum præsagium. Quid erit, inquio, quando velut torrens Tigris, irruet exercitus?

Ordo perinde ex hoc datus est, vt panis per familias æquè distribueretur, ne illius curandi gratia, vti se excusabant, à castro recederẽt, neque famem potius populus, quàm gladium expauesceret. Quam quidã humanum sanguinem sitientes, vel occultato frumẽto, vel aucto precio prætendebant. Sed hæc iniquitas non fuit causa mali, sed ordinis confusio. Seueritas à Principe aberat, nec compescebantur verbere aut gladio, qui neglexissent obedientiam. Idcirco quispiam suis efferebatur voluptatibus, blandimentisq; ex natura demulcebant iratum Imperatoris animum. delusus improbè à suis, bonus ille, dissimulare malebat iniurias.

Ioannes Iustinianus. *Interea capitaneus generalis, Ioannes Iustinianus, totius fortunæ obseruator, vt præsensit proclamatione Teucrum præstò daturũ certamen, agebat confestim murorum, quos machina contriuerat, reparationē, petiuitq; sibi à Chirluca magno duce consulari, communes vrbis bombardas, quas contra hostes affigeret. Quas cum superbè denegasset: Quis me, capitaneus inquit, ò proditor, tenet, vt gladio nõ occumbas meo? Qua ignominia indignatus,*

gnatus, tum quòd Latinus exprobrasset eum, remissius pòst rei bellicæ prouidentiam gessit, Græciq́; quàm secretius, quòd Latinis saluandæ vrbis gloria dedita esset, odiosè ferebant. At capitaneus, Ioannes Mauricij Catanei præfecti, Ioannes de Careto, Pauli Bochiardi, Ioannes de Fornarijs, Thomæ de Saluaticis, Lodixij Gatilusij, Ioannes Illyrici, aliorumq́; Asitorum Græcorum consultu, acies, munimentáque refecit. Cuius prouidentiã Teucrus commendans, dixit: Quàm vellem penes me præfectum illum Ioannem honorandum. Magnis herclè donis, auròque multo, corrumpere illum studuit. cuius inflectere animum nunquam potuit.

Operosa autem protegendi vallum & antemurale nostris fuit cura. quod contra animum meum semper fuit, qui suadebã, in refugium muros altos primos non deserendos. Qui si ob imbres negligentiamque vel scissi vel inermes propugnaculis essent à primo dum propositum guerræ interuenit, reparari potuissent, reparandi custodiendiq́; erant: qui non deserti, præsidium vrbi salutis contulissent. At quid dicã? arguámne Principem, quem semper præcipuo honore veneratus sum, cuius fidem erga Romanam Ecclesiam intellexi, nisi pusillanimitate vinceretur? an potius eos qui ex officio muros reficere debuissent? O quorum animæ fortè damnantur, Manuelis Giagari dudum inopis, & Neophyti Hieromonaci Rhodij, si audeo dicere, prædonum, non conseruatorum Reipub. quibus veluti Reip. tutoribus, aut ex auijs intestatisq́; bona relicta, muris ascribi debebant, priuatis potius commodis impendebant. Primus viginti propè milium florenorum seruus proditionis monachus quos posthac reconditos vrna, septuaginta milium gazã relinquunt Teucris. Idcirco vrbs prædonum incuria in tanta tempestate perijt. At cum omnia Græcorum ineptia opera reprehendantur, nõ mirum, si hoc illustre sanctis Imperatoribus institutũ monimentum egregium, Reiq́; publicæ tutamentum, esca prædonibus fuit. Quam postea serò si reparare voluerunt, duo defuerunt, æs & tempus: quæ poterant, si guerram intendebant, opportunius & importunius extorquere: sed innata non sinebat procrastinationis ineptia. Omnem ergo spem in fossatis & antemurale posuerunt. Quibus tandem perditis, ad altissimum desertum murum coangustatis, abilitas non fuit. Prudentius Hebræi, qui perdito vno muro, deinde ad secundum, deinde ad tertium se contulerunt: quibus annis quatuor Vespasiani atque Titi obsidionem tulerunt. Vrbs prædonum incuria perit.

Vox inter hæc ex castris, exploratorum relatu fit, quòd triremes, nauésque aliquot in subsidium ab Italia mitterẽtur: & Ioannes Pannonum dux exercitus, Blancus vulgo nuncupatus, ad Danubium cõtra Teucrum congressurus aduẽtasset. Qua cõcitatus exercitus discinditur. Cur, inquiunt, tanta mora periclitatur exercitus frustra contra muros pugnaturi? aduersus regẽ, Teucri clamant. Etenim quanquã maximus numerus esset, quanquam infinitis sagittis machinassent vrbem, vtpote ad muros inuadẽdos, timidi, vecordes, victoriã diffidebant. Calilbascia enim regis vetustior consularis baro, grauitate, consilio, rerumq́; bellicarum experientia pollens, Christianis fauens, regi semper dissuaserat, ne vrbem Constãtinopolis molestaret,

lestaret, eò quòd fortitudine situs, rerum fertilitate, prouidentiaq; nõ tam Græcorum quàm Latinorum munita, inexpugnabilis erat, quæ proauorúmque, patrisq; guerras annis multis tolerauit. Quodq; peius, quia eius iniuria lacessiti omnes Christianorum reges principesq;, ad eandem tuendam facilè prouocarentur. Tu ergo rex, pacem da tuis. Noli Genuenses Venetosq; vicinos, qui tuis semper proderunt, hostes reddere, irámque Christianorum aduersus gentem tuam prouocare. Maxima est potentia tua, quam pace maiorem facis, quàm guerra. Finis enim belli varius est, quem aduersitas sæpenumero magis quam prosperitas comitatur. Zaganus iunior, secundus consularis baro, Christianorum hostis, tum præcipuè Calilbasciæ æmulator, maximam esse regis sui potentiam, aduersum quem nulla gens possit, suasit contra Græcos guerram, potentiam exiguam habentes, quorum mœnijs, machinis collidendis exercitus innumerositate & diutina fatigatione, qui nec ex Italis expectassent præsidium, faciliter expugnandos. Nec voce illa reuocandum esse regis animum, quæ conficta fuisset. Genuenses scissi, Veneti oppressi ab Duce Mediolani, nullum daturi sunt præsidium. Thuracan Thracialis militiæ princeps, Calilbasciæ cõmendare propositum non audens, ad guerram regem animauit. Eunuchus tertius consularis baro, dicta confirmat. Iuniores igitur belli duces: O rex, inquiunt, quis peremptor gentilitatis nostræ, timiditatem nobis incutit? Decet inuictissimum principem nostrum, res magnas & cogitare, & aggredi, & quemcunque euētum permagnificè ferre. Zaganus perinde vt vidit multitudinem benè dispositam, Da, inquit, bellum rex, quoniam dijs fauentibus, victoriæ gloriam consequeris. His itaque verbis animosior factus rex, inquit: Fortunam tentare licebit. An Macedonis potentia, mea maior fuit, cui orbis minore cum exercitu paruit? Quis aut genitor meus, aut auus aut proauus, tanta potestate, tantis machinis, vt ego vrbem hanc oppreßit? Constitue Zagane diem belli, cõpone exercitum: Perã, ne subsidium hostibus conferat, circumualla: & quæ ad militiam spectant, omni cum maturitate dispone.

Itaque vt Calilbascia senior consularis, complacuisse regi Zagani æmulatoris sui consilium intellexit, diffinitumq; esse certamen, clàm internuncijs admodum fidißimis, vt amicus Imperatori cuncta denunciat. Hortaturq; vt non expauescat temulentißimi adolescentis insaniam: nec terreri minis eorum qui magis timuissent: nec indoctiore multitudine commoueri. Custodes sint vigiles, & pugnam perseuerantes expectent. Frequentes enim epistolæ ad Imperatorem ex Calilbascia portabantur.

Quarto kalendis Maij prælium apparatur.

Ergo proclamatum est in castris edicto, vt quarto kalendis Maij, die videlicet Martis, præuijs diebus tribus, quibus luminaria Deo accendant, Deum inuocent, integra die abstineant, parati sint omnes ad prælium, daturi Christianis generale certamẽ, altißimaq; voce præcones voluntate regis vrbem triduo ad saccum esse bellatoribus donatam. Iuratq; rex per immortalem Deum, perq; quatuor milia Prophetarũ, per Machmetum, per animam patris, per liberos, perq; ensem quo cingitur, omnem depopulationem, omnéque hominum vtriusque sexus genus, omnémque pariter vrbis thesau-

thesaurum atq; substantiam, liberè bellatoribus donatam: nulloq; pacto, qua iurat, violare. O si audiuisses voces ad cœlum elatas (Illalla, Illalla, Machomet Russolalla: scilicet quod Deus est, & semper erit, & Machmetus est seruus eius) quidem obstupuisses. Sicq; factu est. triduo luminaria Deo accendunt, ieiunant die, nihil vsq; ad noctem gustantes: inuicem congaudentes, inuicem conuiuantes, se ipsos, quasi ad inferos die certaminis abituri, osculis resalutant.

Nos tantam religionem admirati, Deum propitiatorem profusis lachrymis precabamur, sacras imagines processionaliter compuncti, per vallum vrbemq; transferentes, nudis pedibus, mulierum virorumq; turbis consequentibus, deprecabamur cum pœnitudine cordis, ne hæreditatem suã Dominus demoliri permitteret: & quòd dignaretur fidelibus nostris in tanto certamine porrigere dextram, qui solus Deus, & non alius pro Christianis pugnare potuisset. Itaq; nostrã spem totam in Deo ponentes, constitutum certaminis diem cõfortati, vigorosius expectabamus. Propter quod ascitis Senatu, Baronibus, belli capitaneis & commilitonib. ab imperatore vniuersis, sermo talis habitus est.

Quoniam viri nobiles, militiæ illustres duces, vosq; commilitones Christianissimi, appropinquantem certaminis horam cõspicimus, constituendos vos hoc in loco proposui, vt planè siquidem intelligatis cõnstantiã vestram magis ac magis firmandã, vt pote qui gloriosè semper aduersus hostes Christi dimicastis: iam patriam vrbémque toto orbe per inclytam, quã inuidus Teucrus duos & quinquaginta dies coangustauit, vestris altis spiritib. commissam habeatis. Neq; vos muri, mole ingentis lapidis ab hoste contriti exterreant, quoniam tota vis in Dei præsidio, in lacertisq; vestris, vibratis excussisq; gladijs in hostes exercenda est. Scio indoctam illam multitudinem, ex more, magnis congressuram vlulatibus, infinitisq; à longè sagittis, non personas nostras, quas iam strenuè armatas cõspicio, sed murum, thoraces, ac scuta nostra impetere. Neq; enim more equorum, quos Pœni, dum Romanos aduersus decertarent, per elephantorum inuisam horribilitatem deterrere voluerunt, vlulatibus eorundem, hac in pugna timorandi estis, aut fugandi, quin potius animã, di Hercule constantius. Bestiæ enim si fugantur à bestijs, vos qui homines estis magnanimes, bestias illas viriliter sustinentes, in eosq;, veluti agrestes apros lanceas, mucronesq; vestros transfigetis, vt intelligant, cum animalium dominis non cũ animalibus eos bellaturos. Cognoscitis, quòd impius & infidus hostis pacem nostram iniustè perturbauit, iusiurandum & fœdus inter nos exactum violauit, colonos nostros messis tempore interfecit, coloniam depopulauit. Castrum, quod quasi ad vorandum Christianos sit, in Propontide ædificauit, Galatámque simulatione pacis circundedit. Minatur nunc Constantini magni vrbem, patriam vestram, profugum Christianorum auxiliũ, & omnium Græcorum tutamen tũ capere, & sacra Dei templa equinis stabulis profanare. O Barones mei, ô fratres, ô filij Christianorum, æternum decus defensare curetis. Vosq; Genuenses, viri quidẽ magni cordus, & inclyti, qui infinitis victorijs triumphantis,

Oratio ad milites.

tis, qui vrbem hanc matrem veſtram, multis aduerſus Teucros certaminibus ſemper protexiſtis, eia agite, robur veſtrum, animoſitatemq́; contra eos viriliter oſtendatis. O Veneti, viri quidem potentiſſimi, quorum gladio ſæpenumero Teucrorum ſanguis effunditur. quiq; diebus noſtris, per Plordano excellentiſſimum claſsis noſtræ præfectũ, tot galeas, tot infidorum animas ad inferos crebrò deſtinatis, quiq; vti veſtrã hanc vrbem ingenuis & magnis viris decoraſtis, extollatis nunc celſos animos ad certamen. Vosque commilitones, veſtris præfectis omnem obedientiam exhibentes, intelligite, quòd hic dies eſt gloriæ veſtræ, in quo ſi ſanguinis guttam fuderitis, coronam vobis martyrij, & gloriam parabitis immortalem.

Itaq; finito ſermone, omnis Chriſtianorum cœtus, conſtantem ſe animũ habere ſpopondit. Repetit Imperator: Eſtote igitur omnes in actu virtute parati craſtino: quo Deo fauente, vti ſperamus, victoriam conſequemur. Confortati poſthac Græci, qui primùm, quaſi pauidi bellum declinabant, virtuteq; confirmati, priuatis poſt terga dimiſsis rebus, ad certamen communis ſalutis euentum, conſtanter alacriterq; conſpirant. Suiſq;, per capitaneos, duces, tribunos, centuriones, decarios, propugnaculis ordinatis, nocte qua Martem præcedebat, maximis excubijs infra vallum, valuis vrbis, ne quiſquam retrocederet, clauſis, pernoctarunt. Audiunt igitur parari machinas, vehi caſtratas bigas, vallis ſcalas rotatas admoueri. Claſsis interhæc, vt cicundet portum & vrbem, diſponitur. Pons iuxta vrbis ripam applicatur, omniaq; machinamenta inſtatius præparãtur: præpoſitisq; minus robuſtis, minus doctis, vt dum lux venerit, robuſtiores milites ſint recẽtes. Certamen inchoãt, noſtri magna cum animoſitate reſiſtunt, hoſtes machinis & baliſtis repellunt, & ex vtraq; parte proportionabiliter occidũtur. Tenebroſa nox in lucem trahitur, noſtris vincentibus. Et dum aſtra cedũt, dum Phœbi præcedit lucifer ortum, buccinis ex vtraq; crepantibus parte, tympanis perſtrepẽtibus altiſsimis clamoribus miſsis, Illalla, Illalla, in Martem conclamans, conglobatus in gyrum conſurgit exercitus. Vna ergo hora omnem terra & mari vrbem inuadunt. Machinas primùm excutiunt, ſagittas cœlum obſcurantes immittunt. Econtrà noſtri miſsilia inuiſa demittunt, Spingardas in globum iaciunt. Sciditur exercitus horribili Chriſtianorum reſiſtentia. Tunc fiunt clamores in cœlum, vexilla alacrius expanduntur. O mirãdas beſtias. Cõſumitur exercitus, & immẽſurata audacia vallũ intrare præſumit. Cadunt lapidibus obruti Teucri, morti multi ſuccumbunt: & ſe inuicem conculcantes, tentant per ruinam muros ſcandere. A noſtris quidem ſtrenuè repelluntur: ſed vulnerati noſtri multi pugnam declinãt. Stat capitaneus Ioannes ſtant cæteri in ſuis propugnaculis. Duces ſuccurrunt vrbis capitaneo deputati. Imperator, Eia, inquit, viri fortes, iã laxatur exercitus hoſtium, corona victoriæ nobis vtiq; datur. Deus nobiſcum eſt, agite conſtantem pugnam. Inter hæc malo vrbis fato, heu Iohannes Iuſtinianus ſagitta ſub aſella cõfigitur: qui mox inexpertus iuuenis, ſui sãguinis effuſione pauidus perdendæ vitæ, concutitur. Et ne pugnatores, qui vulneratum ignorabant virtute frangantur, clàm medicũ quæſiturus, ab acie

acie discessit. Qui si alium suo loco surrogasset, salus patriæ non perisset. Pugnã inter hæc arduam committunt. Imperator vt vidit deesse capitaneum, ingemiscens quò scilicet ierit, pecunctatur. Nostri vt se vident sine duce, resilire è locis incipiunt. Teucri conualescunt, horror nostris incutitur. Desiderio enim cuncti desiderabant ex periculoso illo loco scire quid contigisset. Quod præfectorum, qui singula, quæ sinistra vel prospera euenissent, nunciare debebant, negligentia prætermissum est. Terrebaturq́ acerbum illud bellum magno cum silentio, his qui longè stetissent. Fatigabantur igitur nostri plurimùm: & quem reparauerunt Bachatureum murum, hostium compressione paulisper deserunt. Quo inspecto, dij iudicant, Teucri, propter repletionem, quam ruina collapsa fecerat, æquo calle posse transire. Irruendum igitur est, inquiunt, & veluti impetuosus turbo, vno impulsu muros ascendunt. mox mœnibus vexilla figentes, hilaritate pleni clamant victoriam, gladio pugnant: & quo ad possunt: omni cum virtute nostros vel exterminare, vel subijcere moliuntur.

Vrbs oppugnatur.

At Imperator infelix, vt vidit Capitaneum desperatum: Ha me miserum, inquit, perítne vrbs? O infortunatã sortem: Siste precor Capitanee. nã tua fuga alios incitat ad fugiendum. Non est mortale vulnus. patere dolorem, & siste viriliter, vt spopõdisti. At ille salutis, gloriæ, suiq́ oblitus, vti altã quidem primò magnanimitatem, ita posthac pusillanimitatem ostendit. Debuit enim, si poterat, vulneris dolorẽ sufferre, nõ recedere: si vir erat à seipso, vel saltẽ alium, qui stetisset, loco sui surrogare. Franguntur ex hoc omnium commilitonum animi, hebetantur vires, & Capitaneum fugientẽ, ne pereant, insequuntur. Da clientulo, inquit Capitaneus, clauẽ portæ, quã mox reseratã satagunt magna cum compressione transire. Refugit Capitaneus in Param, qui pòst Chium nauigans, ex vulnere vel tristitia inglorium transitum fecit. Imperator insuper, ne ab hostibus capiatur: O quispiã, inquit, valens tyro, propter Deum, ne Maiestas vafris viris succumbat, meo gladio me transfigat. Inter hæc Theophilus Palæologo, vir catholicus, iam perdita vrbe, me, inquit, viuere non licet. Teucrorumq́ pondus aliquãdiu sustinens, & decertans, securi discinditur. Ita Iohannes Sclauus Illyricus, veluti Hercules se opponens, multos prius mactat: deinde gladio finiuit vitã hostili. Se inuicem pòst nostri, vt portam ingrediantur, vita oppressi pereũt. Quibus innixus Imperator cadens atq; resurgens, relabitur, & compressione princeps patriæ è vita demigrat. Perierunt igitur ex nostris & Latinis & Græcis se inuicem concultantibus in portæ exitu, circiter octingenti.

Capitaneus salutis, gloriæ, suiq; obliuiscitur.

Inde Teucri altum murum decurrentes, ex alto quos possunt lapidant: Cuneúsque vnis vocibus per antemurale descendens, in fugam omnes nostros compellit. Rumorem iactrámque ex fugientibus audientes Paulus Troilúsque Bochiardi, viri Latini, vrbis ciues cũ aliquot Græcis strenuis Latinisque equis insedentes, ob inuidos euadunt. Hostes fortè maiorem numerum quàm essent, autumantes, terga vertunt. Paulus in Teucrũ vrget equum: lãceaq; vnum transfodiens, cæteros in fugam vertit. Et ne ex alto lapidibus obruãtur, ad Troilũ inquit: Haa peryt ciuitas; nosq́ facilè ab

Constantinopolis expugnatur.

hoſtium multitudine circumdati, ſpem vitæ perdemus. Et ſic ictus ſecuri Paulus in vertice, fuſo cruore, cum fratre poſt redemptionem ad Galatam confugit. O rem mirabilem, ô ſtuporem. nec dum Phœbus orbis perluſtrat hemiſphærium, & tota vrbs à paganis in prædam occupatur. Concitè igitur omnes pedes decurrunt, quosq; reſiſtentes gladio feriunt. Imbecilles, decrepitos, leproſos atq; infirmos trucidant. Obſequentibus vitam parcunt. Sanctiſsimæ Sophiæ admirandum templum, quod nec Salomonis æquat, profani atq; infidi ingredientes nullam ſacris aris reuerentiam, neq; ſanctis imaginibus agunt: quin potius exterminant, oculos ſanctorum ſuffodiunt. Sanctorũ quoq; reliquias vel dilacerant, vel diſpergunt. Sacrilegæ manus mox ſancta Dei vaſa vſurpant, argentum, aurum, tam ſanctarum imaginum quàm mulierum, ſacculis infarciunt. Fit clamor & vlulatus, ad cœlũ, & omnis ſexus, omnis homo, omne aurum, omne æs, omnisq; ſupellex, omnisq; vrbis ſubſtantia in prædam vertitur. Securibus ſcrinia ſcindunt, fundos fodiunt pro theſauris, qui tanti reperiuntur, & noui & veteres, vt nulla ſit vrbs ſeculo, quæ tantis affluat, & omnes abſconditi in manus eorum peruenerunt. O Græci iam miſeri, & miſerabiles, qui inopiam fingebatis. Ecce iam in lucem venerunt theſauri, quos pro vrbis ſubſidio denegaſtis.

Triduo igitur in prædã decurſam ciuitatem depopulatamq; regis Teucrorum ditioni dicati admodum relinquunt. Traducitur ad Papiliones omnis ſubſtantia & præda, vinctiq; omnes ad ſexaginta millia funibus Chriſtiani captiuantur. Cruces ex templorum apicibus parietibusq; euulſæ, pedibus conculcantur, violantur mulieres, virgines deflorantur, mares iuuenes in turpitudinem maculantur. Sanctimoniales reliquæ, etiam quæ apparentes fuerunt, luxu fœdantur. O Deus meus, quàm iratus videris, quàm immiſericorditer faciem à fidelibus auertiſti. Quid dicã? ſilebo aut narrabo in Saluatorem & ſanctas imagines illatas contumelias? Parce mihi Domine, ſi tam fœdum ſcelus enarro. O confuſionem Chriſtianorum, ſi Chriſti Dei iniurias vindicare retardent. Sacras Dei ſcilicet ſanctorum effigies humo proſternunt, quibus ſuper non modò crapulam, ſed luxuriam complent. Crucifixũ poſthac per caſtra prauijs tympanis deludendo deportant, ſputis, blaſphemijs, opprobrijs iterum proceſsionaliter crucifigunt, pileum Teucrale, quod Zarchula vocant, capiti ſuperponentes, deridendo: Hic eſt Deus Chriſtianorum. O Dei patientiam, bene videris iratus, bone Ieſu, vt pro peccatis noſtris tantas iniurias iterum toleres indignatus.

Parta autẽ victoria, Teucri Bacchanalia, feſtosq; dies celebrant, quibus rex fortè temulentior factus, ſanguinẽ Baccho miſceri voluit humanum. Vocatis igitur ad ſe Chirluca, cæterisq; Baronibus cõſularibus, reprehẽſis quòd nõ ſuaſiſſent Imperatori, vel pacem petendã, vel dandã ſuæ ditioni vrbem: Chirluca, qui cogitauerat eius gratias captare, aduerſus Perenſes Venetosq;, qui arma, milites, conſiliumq; dediſſent, culpam retorquere curauit, quorum gratia Imperator reſiſtentiam feciſſet. Volensq; ille miſer, qui ſemper gloriã mendacijs & ſchiſmate captare concupiuit, Calilbaſciã vetuſtiorem, loco & prudentia primum Teucri Baronem, amicum admodum

dum

dum Græcis, quòd crebris literis ad Imperatorē missis, eius animum detraxit, vtq; fortis staret, accusauit, epistolasq; seruatas in fide Regi præsentauit. Quibus oppidò commotus, nactam terram Peræ, nescio nisi Deo reuocante, & demoliri & trucidare disposuit. Calilbasciam ex hoc primùm vinctum mancipari turri, deinde omni auro & substantia priuari: posthac in Adrianopolim translatum, vita priuari iussit. Cuius mortem lamento flebili ægrè totus exercitus tulit.*

At Chirluca malitiæ pœnam non euasit, qui protinus perditis primùm in bello duobus liberis maioribus, alio impubere luxui regali reseruato, coramq; oculis tertio filio cæso, cum cæteris Baronibus decollatur.

Bailum itidem Venetorum, reliquosq; delectos nobiles, & filium gladio extingui iubet. Consulémque Caraconensium cum duobus. pariter etiam Catharinum Contareno virum humanissimū, cum sex nobilibus Venetis, iam primùm redemptis, contra omnium fidem, nisi septē milibus aureorum vitam emissent, morte vtiq; affecisset. Expletis autem Bacchanalibus, concessa licentia, traditis in captiuitatem Græcis, fortè patriam non visuris, in suas regiones Teucri reuertuntur.

O miseros, & miserabiles Græcos, qui Latinos prohibuere, ne sacra contrectarent, vel aris libarent suis, iam profanis & collimosis dederint: & qui vnionem fidei contempserunt, iam quoq; dispersi, in vnum peccati pœna conuenire non possunt.

Hæc præcogita Pater beatissime, qui vices Christi geris in terris, cuius interest tantas Christi iniurias & fidelium vlcisci. Igitur moueat te diuina pietas, & miserere Christianitatis tuæ, qui scis & potes, cui ad nutū omnes Christiani principes vindicaturi Christianorum iniurias, facilè obtemperabunt. Aliàs, scito in tantam iam superlatum pompam, vt non erubescat dicere, Sinum Adriaticum penetrare, Romamq; venturum. Moueat igitur te iterum Pater beatissime, fides Petri, moueat Christi inconsutilis amictus, spongia, & mucro perditi, dilacerata Sanctorum reliquiæ, ædes sacræ euersæ, & profanata sterquilinijs Dei templa.

Sed vide connexam pariter iacturæ tempestatem, vt Perenses, dum vrbem captam vident, in fugam quasi amētes vertantur. Fiunt ex ipsis qui nondum naues ascenderant Teucrorum ad ripam incursantibus fustis in prædam. Captiuantur matres, liberis relictis, & econtrà. Alij æquore compressi merguntur. gemmæ sparguntur, & inuicem seipsos sine pietate prædantur, vt verum sit, quòd fugit impius, nemine persequente.

Quid dicam? ô potestas Peræ, ô prauum & insulsum tuorum consilium. Oratores terrore cocussi à Perensibus regi vt claues offerant mittuntur. Ille periucundè intelligens, quòd potestatem non habeant, suscipit, in seruosq; fœderatos acceptat. Constituit Teucrum rectorem, proscribit fisco omnium profugorum substantiam. Turres, murumq; ciuitatis dirui iubet. obtemperant, & se vt salui sint, ei, neglecto Genuæ mandato, mancipant. Turremq; in cuius acumine Christi signū crucis, à quo & denominabatur, vsq; ad fundamenta euertit. Sicq; qui liberi erant, pacemq; tenebant, iam serui

 sunt,

sunt, non sine pœnitudine: à qua vix vnquam liberari poterunt, nisi ex te, Pontifice summo. Quem vt Deus animet ad vindictam, oramus, fidentius supplicesq; precamur. Datum Chij, decima sexta die Augusti, Millesimo quadringentesimo quinquagesimotertio.

DE NIGROPONTI CAPTIONE.

FIDELIS *quidem & præpotens vrbs Nigropontensis, Christiani nominis titulo fideq; insignis, ab olim Venetianæ ditioni & potẽtatui subiecta. Ciuitas profectò oppidò populosa, negotiosa, sed & rerum omnium opulentissima, ciuiumque optimorum refertissima. Terra quoq; & mari diligentissimè munita, portu præsertim tutissimo de mari gaudens: denique muris & mœnibus & turribus firmissimis vndique cincta & circum septa, ita vt prorsus inexpugnabilis omniũ opinione crederetur. Quæ etiam ciuitas Chalcidès alio vocabulo cognominata dignoscitur, in Insula Eubœa sita. Insula, inquam, in frumento, vino & oleo, cunctisq; terræ nascentibus, maiorem in modum fertilis & fœcunda, potissimùm autẽ aptis pro nauium galearumq; fabricà lignis abundans, hoc modo sub Turcorum venit potestatem & direptionem, capta & expugnata anno Dominicæ incarnationis* M. CCCC. LXXI. *vertente. Clarissimis quidẽ Venetis semper ab olim Turcos oppidò fuisse infestos, tum ob eorũ in Christum fidem sinceram, tum etiã maximum eorum cui inuidebant potentiam, nemo qui grauissima inter eos hinc inde habita dissidia, bella vltro citroq; fortiter gesta, guerrarum strepitus & cruentos sæpè congressus legit vel audit, dubitare potest. Hinc itaq; & hostili animo in ipsos Venetos Turcus infestus, & nobilis atq; prædiuitis Chalcidis Eubœæ situs opportunitate, opibus quoque & celebritatis gloria allectus, anno quo supra Omarium Bechum principem Bassum cognominatum, tyrannus ipse Mahumet cum exercitu copioso nauali & terrestri ad expugnandam ciuitatem ipsam Nigropontensem destinauit. Tandem post longam vrbis obsidionem ipsemet cum longè copiosiori exercitu ex Byzantio admouit: ponteq; facto ex nauibus trans aquam profundam satis & latam, quæ vrbem præterfluit, militem in littus traiecit: & ex ea parte quà nõ putabatur, muros aggreditur, machinis quatit, oppugnat, iactuq; plurimorum lapidum sphæricorum diruere festinat. Nam & traditor quidam omnium nequissimus & pessimus machinarum scilicet omnium quæ in ciuitate, in mœnibus, in turribus atque propugnaculis, erat magister & præfectus, Thomas scilicet Liburni cognominatus, signum Turcis dedit, & in loco suæ stationis muros vbi debiliores erant, bombardarum ictibus verberarent, facilè ruituros. quod factum est. Sicq; proditione res acta est, non æquo Marte pugnatum. Interea classis Venetiana in subsidium & tutelam vrbis & ciuium obsessorum missa negligentius agens, vagabatur per mare, capiendis Ianuensium & Cataloniorum aliorumque Christianorum nauibus intenta magis, quibus ad suam firmãdam classem ratibus adiunctis,*

Mahumet vrbẽ Nigropontensem obsidione cingit.

ctis, Venetianus capitaneus, cuius rei gratia aduenerat, non satis probè est prosecutus. Cùm enim præpotentē nimis iam haberet classem, qua rem conficere prosperè Deo propitio potuisset, ad Insulam quidem Eubœæ properauit, seq; ostendens maximam obsessis iam vndique ciuibus ex vrbe spectantibus, lætitiam suo aduentu infudit, ita vt manus vtrasque præ animi & cordis exultatione & iucunditate expanderent in cœlum: sed frustrauit eos iniquus ille capitaneus spe sua, opinione fefellit, turbauit exitu infausto, tristitia affecit ingenti, haud dubiè quin longè maiori quàm antè gaudio lætificaret. Nam cum tantæ esset fretus classe, ipse formidolosus inter inimicorum morsus mortisq; horrendæ cruciatus, ciues fideles dereliquit, & præclaræ vrbis miserandam direptionem prospiciens, nihil prorsus effecit, neque propius voluit applicare, cum tamen omnes pontes quos Turci fecerant, facilè sua classe armatissima irrumpere potuisset. Cumq; omnes singularum patroni nauium per classem passim contra eum conclamarent, grauiterq; omnino suam negligentiam ferrent, crebrò ingeminantes, Cur trepidaret; cur non accederet, cur de industria tam insignem, tam fidelem, tam opulentam ciuitatem, perditum iri permitteret? Ille surda hæc aure hauriens, in eòdem loco immobilis inutilisq; permansit. Itaque dum in mari nil agitur; & classis in vanum perseuerat fixa, atque defensionis signum obsessis ciuilibus nullum prorsus datur, quin potius tutationis fiducia sub oculis eripitur: Turcorum princeps animosior agens, res bellicas fauentibus fatis prosperè votiuéque prosequitur. ad mœnia properat intrepidus, assultum parat, ordinat conflictum: & quod in talibus conducit plurimum, accitis militibus, accurata eos oratione corroborat, præmia etiam magna pollicens his qui primi muros conscenderent, atque ita vniuersorum animos adeò reddidit in prælium auidos & accensos, quòd per duos dies noctesq; continuas cum ingenti fragore summo studio viq; maxima vrbē oppugnabant. Quanquam enim à ciuibus deintus machinis grauissimè vulnerarētur, ac inter bombardarum ictus veluti canes interficerentur, repellerenturq; eminus nonnunquam omnium generum missilibus: suorum tamen inter necem & stragem innumerā plurimamq; mortis imaginem tanto cum impetu & conatu Turci irruptos occuparunt muros, imo tāta alacritate alter alteri succedere contendebat, vt eorum nemo pedē referre, stare nemo coopertus sit: cuncti verò animosissimè assilire visi, quanquam frequentissimè interirent. Bis eos muris auolasse ferunt, bis inde fuisse præcipitatos nostrorum audacia: tandem verò vbi nostri auxilio classis quam sub oculis cernebant penitus destituti, longaq; fatigati oppugnatione, & exhausti laboribus, rem omnem perditam vident, fracti animis in vrbis forum pariter conueniunt: & confortati diui sacramenti Eucharistiæ vel conspectione vel sumptione, irrumpentibus iam Turcis, manus enixissimè cum eis conserunt, trucidant quotquot possunt, neciq; dant innumeros, & orcis infernalibus immittunt, donec tandem & ipsi pro Christi fide constātissimè agonisantes, mortem subeunt haud dubiè beatam. Et quod fœmineo sexui magnopere gloriosum extitit, hanc inter cædem miserabilem, plurimas egregia forma fideq; fœminas,

Capitaneus occasionem rei benè gerendæ negligit.

Turci vrbem oppugnant.

Vrbs expugnatur.

nas, tum nuptas, tũ virgines, armis indutas ferunt more Amazonum, pugnauisse: sicq; inter reliqua mortuorum cadauera fuisse repertas quasi non antea voluissent occumbere quàm perfidissimorum Turcorum suis tenellis animis effudissent cruorem: quo vel sic inimicum nobis sanguinẽ libassent, & præstitissent obsequium Deo in ipso suæ articulo mortis. Verùm viri illi ciuesque clarissimi proditorem illum nefarium Liburni superius memoratum superstitem habere nolẽtes, dignis prius supplicijs pro reatu de eo sumptis, crudeliter interemerunt. Hæc inter agendum vrbis duntaxat prætor Paulus Erico appellatus, in arcem confugit, adhærentibus sibi paucis quibusdam primoribus ciuitatis, paucis aliunde euadentibus. Capta itaque Turcus vrbe, victoriáque adepta, omnes Italici generis puberes palis acutissimis fecit affigi, alios saxis elisit, alios sectos per medium diuisit, alios varijs pœnis atque horrendis affectos cruciatibus, ad supera (haud dubium) transmisit: Gracanã tamen gẽtem sub hasta vendi præcepit. Vnde factum est vt omnes Chalcidis plateæ & viæ cruore occisorum replerentur. Intereà prætoris vrbis filia vnica, virgo castissima. puella decora facie & venusto aspectu, Turco ob suam pulchritudinem ingentem adducta, cum turpitudini & fœdæ commixtioni consentire prorsus renueret, protinus iugulata, proq; fide castitatis martyrio procuIdubio coronata: sponso virginum Christo sponsa ipsa in æuum est in cœlis coniuncta. Porrò qui in arce erant, data sibi à Turco fide de vita seruãda, pactóque firmato, quòd salui euaderent, si arcem liberè in deditionem traderent: exinde confidenter exierunt. Sed mox egressos ipse fœdifragus tyrannus arce potitus, omnes ad vnum iussit extemplo trucidari. Hunc in modum (profectò miserandum) ciuitate perdita, occisis incolis, cæde expleta, Venetorum capitaneus classe soluta, quæ omnium arbitratu sola omnipotentis voluntate excepta, facilè tantam defensasset vrbem, si vir fidus & fortis fuisset: cum paruo honore, fructu nullo, opprobrio sempiterno rebus infectis, imò turpissimè neglectis, Venetias remeauit: moxq; apud Senatum accusatus, defensionis quidẽ locum accepit. Sed post multas in vnũ adductas falsas rationes & excusationes in peccatus, tandem non satis dignam pro meritis accepit vltionem. Exilio relegatus, atque perpetuò profligatus cum omnibus suis à ciuitate Venetiarum in oppidum, cui est vocabulum Vtinum. Ita res hæc finem accepit tristem prorsus, & infelicem.

Paulus Erico prætor arcẽ occupat.

Turcus fœdus violat.

M. An-

M. ANTONII COCCII SABELLICI DE PVGNA INTER VENETOS ET TVRCAS AD SONTIVM AMNEM COMMISSA LIBER, QVI aliàs de Vetustate Aquileiæ, sextus est, & Bellum Turcicum inscribitur.

Praefatio.

Accidit *mihi quod & illi, qui postquam ex alto portum conspicere cœpit, remis cum omni nautico instrumento casu aliquo amissis, et si rem in discrimen adductam videt, salutem tamen non desperat, quippe qui propinquum portum vel naufragum se tenere posse non diffidit: ego quoq; quum à principio operis ad hunc locum certo auctore non omnino caruerim, factum est, vt vbi finem spectare cœpi, neminem mihi superesse videam, quem secutus, vltimam huic nostræ lucubrationi manum possim imponere. Puto ego, nec fallor, fuisse aliquos, qui hæc quoq;, de quibus vltimo hoc libro dicturi sumus, memoriæ tradiderint. Sed quia illi ipsi adhuc in obscuro sunt, restat vt quicquid laboris in eo est, id totum nostra industria & diligentia sustineamus. quibus paulum annixi, spero superis bene iuuantibus futurum, vt cætera ad votum consecuti, extremam, vt dixi, manum feliciter huic operi imponamus.*

Audita *patriæ defectione Ludouicus, haud in re tanta cunctandum ratus, quum aliquot barbarorum milibus per Austriam ducens in Patrianos fines tumultuosè erupit. Primo impetu Clusinã arcem munitissimam in angustijs alpium occupat. Nec procul inde Abbatiam, quam primo libro Motij appellatam diximus. Apparebat in tanta rerum consternatione hostes non mediocrem cladem reliquæ patriæ allaturos, nisi Veneta copia ad hoc ipsum missa, illorum conatus cum adhuc in angustijs alpium statiua haberent, opportuno aduentu oppressissent. Barbari non tantum pugnam detrectauere, sed ne venientem quidem hostem expectare sunt ausi, quippe qui incursandi postulandiq; patriam potius quã pugnandi consilio venerant, atq; ita paucis post diebus quã tumultuari cœptũ erat, patria omnis pacata est. Receptis paruo negocio locis quæ in hostiũ potestatẽ concesserãt, nec multo interiecto tẽpore, cũ aliquãto maiore hostium manu Ludouicus in patriã reuersus est, atq; sub primũ impetũ Mansanũ per proditionẽ, nec non Rosoaciũ recepit. sed hæc quoq; expeditio haud priore illa, de qua proximè diximus, felicior fuit. Audito Veneti exercitus aduentu, continuò barbari patria excessere, quos abeuntes ipse belli auctor secutus est. sed quũ adhuc quoq; res nouas moliretur, Basiliẽsi conuẽtu defunctus est. Hæc tumultuosa tempora pacatior rerũ status excepit, siquidem per aliquot annos pax subsequuta est: apparebatq; cum hæc patria præclarè actũ, cui post tot & tãtos motus contigisset in Venetorũ præsidio cõquiescere, nisi tacita quadã, qua cuiusmodi sit nescio, inuidia. qua humana*

Ludouicus per Austriam in Patrianos fines erupit.

Ludouicus in patriam reuertitur.

M felici-

felicitatem diuturnam esse non patitur, factum esset, vt ab extremo Septentrione comparatus hostis in Italiam quandoq. irrupisset, qui patriæ huius ocia non solùm verteret, sed ferro & flamma terrã ipsam, penè ad interitum affligeret. Turcos eã gentem vulgo appellant. alij Turcas dicendũ affirmant. y Melã auctorem habent, qui Turcas & Thissagetas nõ longè à Ripheis montibus constituit, quos vastas ait incolere siluas, ac ferinis carnibus victitare. Cæterum ratione quoq. nituntur, vt queadmodũ Getæ dicuntur Sarmatæ, Scythæ & Thissagetæ, ita Turcæ non Turci dicendi sint. sed consuetudo tenuit, vt Turci potius dicantur. Sunt itaq. Turcæ ipsi origine Scythæ: & ex his, vt Hieronymus, Pio Pontifice auctore, tradidit, quos inter Hyperboreos montes Alexander Macedo ferreis repagulis clausit. Hi Pipini Gallorum regis temporibus Asiam inuaserunt, Halanos primùm, in de Colchos & Armenios, nouissimè minoris Asiæ populos. multi varijq. fuere eorum conatus. sed cum circa Hellespontum angulum quendam occupassent, non destitere fraude potius quàm armis suos fines propagare, donec nobilissimam vrbem Constantinopolim oppressere. quo successu elati, Thraces, Triballos, Macedones, Aetolos, Dardanos, & Acarnanes breui tempore subegere. Mysiæ quoq. regem inde victum trucidarunt Peloponensum, quanquam horum quidam ante Byzantium captum Turcorum armis cesserant, vt dolo potius quàm virtute adepti sint, quam in suam potestatem redactam miserabili clade affecerunt. Trapezuntinum quoque Imperatorem cum ipso imperio sustulerunt: & breui quum duo iam imperia euertissent, quatuor regna, viginti prouincias, ducentas fermè vrbes, & Bernardus Iustinianus orator clarissimus deplorat in ea oratione, quam ad Sixtum Pontificem habuit, Christiano nomini eripuisset, & quod omnium calamitosissimum fuit, quum Euboici freti angustias Chalcide expugnata reclusissent, latè longéque eorum arma euagata Italiæ fines, quod nemo futurum credidit, infestare cœperunt. Nec contenti adhuc limites ipsius terræ attigisse, ferocissimo conatu diffractis Italiæ claustris in ipsa penè viscera vulnus adegerunt. Quorum calamitosas irruptiones ex ordine referam, si pauca prius de his quæ interim in ipsa patria euenerunt, breuiter retulero. Dum adhuc procul Italia Turcorum opes (ita vt dixi) inualescerent, patriæ status quum ab externis motibus satis pacatus esset, domesticis discordijs non omnino caruit. quãquam ne illæ quidem adeos qui in Venetorum fidem venerant, magnopere attinere visæ sunt. Per idem tempus Portunaonia ciuitas graui seditione iactata est. Quum enim alij antiqua ciuitatis iura tuerentur, vellentq. suo loco esse. alij ad præfectũ arcis summã rerum omniũ traherent. erat autẽ præfectus tunc Federicus quidem Barchius, homo natione Italus, sed barbari fastus & superbiæ plenus. Hic indignè ferẽs publicã administrationẽ quorundã in potentia sibi denegatũ iri ad illorũ conatus opprimendos, nouũ in exteriore parte arcis posticum designauit: id quo minus fieret, aliquãdiu viri illi populares obsistere: quorũ Mãtuani & opibus & auctoritate principes habebãtur. Apparebat publicã fortunam in eius manu fore qui arci præsideret. sed audaci incepto ob pu-

Turci origine Scythæ.

Portunaonia graui seditione laborat.

ob publicum & priuatum periculum abstitêre, pro tempore scilicet quietu-ri, quando se nihil obuiam eundo proficere cernerent. Verùm illud in primis eorum conatus auertit, quòd ipsius viri auctoritatē non mediocrem apud Federicum Imperatorem esse constabat. Sed ne sic quidem ferocißimi hominis animus præsenti contumelia exasperatus placari potuit. Quippe qui in vltionem erectus, non multo pòst per internuncios magna spe prædæ quosdam facinorosos homines quàm potuit occultißimè subornauit, vt quantas possent copias contraherent, atque ad constitutam diem sibi adessent. quod quum illi impigrè fecissent, momento temporis ciuitas nil tale suspicans oppressa est, atq; miserabili modo direpta ingens fuga ab optimo quoque facta, & inprimis ab his qui ob pristinas simultates sciebant se præfecto inuisos. Multa & magna flagitia in miseros ciues edita: qui haud tam citò præsenti calamitate defuncti essent, nisi publico Venetorum edicto infestissimum præsidium iussum fuisset abire. quod ipsum vt aliquanto maturius fieret, Nico. Sauorgnanus, homo spectata inter Patrianos auctoritatis Portunaonem missus est. Per hos fermè annos Turci primùm Italiam erupere. Istria fœdè populata, vsque ad Sontium amnem tumultuosè deuenere: atque villis aliquot circa flumen incensis, multisq; mortalibus captis, retrò abiere. Et illo tempore publico nomine ad præsentiendos futuros hostium motus exploratores quàm longißimè missi sunt. speculæ & quàm plurimæ tum in ipsa patria, tum extra constitutæ: magnus præterea equitatus ad præsidium patriæ missus, qui per villas amni proximas diuisus est. Sed hæc omnia partim fefellit, partem subito aduentu turbauit hostis: qui non longo interiecto tempore penè antè affuit, quàm domo profectus diceretur. Ingentem trepidationem attulit improuisa eorum eruptio. Nam vbi in vlteriore fluminis ripa conspecti sunt, cœptum est ab his trepidari, qui citeriorem ripam præsidio tenebant. Sed ne apertè fugam meditari viderentur, facto impetu in quàm paucißimos barbarorum, qui sub primum aduentum tumultuosè amnem traiecerant, secunda vigilia noctis in Seruiani insulam concessere. Hostis autem quum sub primam lucem nudatam præsidio ripam vidisset, præmißis qui loca proxima vltra amnem diligenter explorarent, ne in aliquas præcipitaretur insidias, cognita præsidij fuga, fluuium superat, atq; paßim in prædam & populationem effunditur. Incensisq; villis aliquot, in Vtinensem agrum irrupere. tria milia passuum ab Hunnio hostes conspecti sunt: atque ob ipsum creditum est, eos ad oppugnandum oppidum venire. Continuò ad arma conclamatum est. Terror ingens vniuersam ciuitatem inuasit. Clamor ploratibus fœminarum mixtus, strepitusq; temerè discurrentium terrorem augebant. vidi ego nobilißimas matronas cum cœtu puellarum in sacris ædibus inter altaria & sanctorum imagines prostratas, supinis manibus diuinam opem implorare. vbique clamores & querelæ exaudiebantur. vix alia esse potuisset captæ vrbis species. Creditum à multis est, in tanta consternatione nobilißimum totius patriæ oppidum facilè eo die capi potuisse, si ad portas vsque hostes obequitassent. Sed illi quia ignari erant, quo se Venetæ copiæ recepissent,

Vrbs oppressa & direpta.

Istria depopulatur.

quas pridie in ripa fluminis conspexerant, nec quo consilio decessissent, præsidio ab effusiore cursu abstinentes, continuò se ad signa receperunt. Nec multo post magna mortalium multitudine in prædam acta, patriæ finibus abscesserunt. Et quia ob rem feliciter gestam apparebat hostem non quieturum, sed maiore tumultu, maioribusq; conatibus Italiam repetiturum, placuit Venetis firma munitione obstrui, quicquid vadi esset inter Goricianum pontem & Aquileiæ paludes, missi sunt qui locum considerarent: & breui constitit inter omnes munitionem ipsam commodius positum iri super antiquam fluminis ripam, qui aliquantisper à recenti alueo distat. Accita ad id opus sunt publico decreto multa hominum milia. Quibus Citadinus Fratrinas iureconsultus homo singularis industriæ præfectus est. munitio autem haud vniformis fuit. Sed iuxta paludes vbi densissima nemora fuerunt ex crassis procerisq; arboribus succisis, atq; inter se quadam inexplicabili ratione contextis, constitit. Apertis verò locis gleba cum gramine in speciem quadratorum lapidum recisæ in latitudinem septenûm pedum locabantur: super illas saligini stolones & virgulta quædam apta ad radicandum sternebantur. mox & alia glebarum manus imponebatur. Ex huiusmodi materia per aperta (vt diximus) loca eductum est opus: quod quidem pinnarum serie interiectisq; turribus vrbici muri speciem procul spectanti b. exhibebat. Cæterùm in locis quibus flumen vada habuit, transitu faciliora, bina castra vallo & fossa communita sunt: eorum hæc Gradiscana dicta: illa verò Folianica, à nominibus villarum quæ in ipsis locis fuerant. Folianica illa post cladem ad ripam fluminis acceptam, de qua paulò pòst dicam, deserta sunt. Altera verò præsidio ad hunc diem retenta, atque magna ex parte Francisci Throni cura & diligentia ad hoc ipsum publico decreto in patriam missi muro circundata. De eo loco primo libro diximus. Opus autē à Mundina amne ad Goricianū pontem traductū, centū & amplius continet stadia: nunc plerisq; locis solo penè æquatum est, vel ea parte, qua glareosa cōstitit materia, quā imbrium copia facilè resoluit. Cæterùm è regione pontis, de quo proximè diximus, ex eadem materia constructus est agger in parui castelli speciem: ad quem tuendum missi sunt pedites aliquot. inde bina castra mille circiter passus inter se distantia maiore præsidio firmata ad tria milia equitum fuere. pedites quoq; his adiecti sed pro numero equitum non multi. Apparebat itaq; ex eo quòd vada quæ hosti paruissent insuperabili obstrusa essent munitione, & quòd eadem illa haud infirmo tenerentur præsidio, fore vt hostis Italia abstineret. Iccirco tota patria velut nullum ab hoste tunc periculū impendisset, pacatè agebatur: sed quāto securior fuit illius tēpestatis status, tāto maiore clade terra ipsa oppressa est. nihil est q̄ in bello æquè ac ipsa securitas obesse soleat. Ita sanè accidit, vt quū minimè affuturus hostis putaretur, infesto agmine in vlteriore Sontij ripa consederit. De numero hostiū inter eos qui in castris fuere, minimè constat. octo barbarorū milia fuisse quidā credidere. Alij numerū in maius extollunt. Ingens tumultus sub primū eorū aduentū in vtrisq; castris exortus est. Conclamatūq; repetè ad arma: fuissetq; cōtinuò in alterutra ripa con-

Citadinus Fratrinas Iureconsultus.

Gradiscana.

Folianica.

concursum, nisi militem ad id vtrinq; se expedientem nox ipsa oppreßisset. Venetæ vtrorumq; castrorum copiæ inter se iunctæ insomnem noctem egere. iußi equites instratis equis armati corpora curare. Imperium copiarũ omnium penes Hieronymum Veronẽsem fuit, hominem à primis annis militiæ assuetum, qui clara magnaq; fecerat stipendia. erant & alij complures illustres viri: Ioannes Antonius Caldorus cũ filio, Anastasius Flãminius, Hercules Maluetius, Ioannes Iacobus Iacobi Picinini Ducis olim clarißimi filius, Iacobus Badoarius, Philippus Nebulonius, Georgius Galesius, ac plerique alij, qui honestißimè ordines ducebant. Inter hos ea nocte cõsultatum est, eßétne aperto campo cum hoste confligendum, an castra potius tuenda. Quibus defensis, apparebat hostem haud multò longius progressurum, vt tanto post se præsidio relicto, non esset sibi integrum retrò cum vellet redire. Sed fato (vt ita dicam) eos rapiente cunctis speciosius visum est hosti quacunque erumpere conaretur occurrere. Vniuersum itaq; equitatum in tres grandiores turmas diuisere, vt quadrato agmine non temerè cum hoste confligeretur. ductores ipsi inter se turmas sortiti sunt. Sed dum hæc in Venetis castris geruntur, barbarus interim nõ magis aperta vi quàm insidijs agendum ratus, continuò circumacta suorum ala, sub occasum solis castellum, quod ponti imminebat, oppresso quo tenebatur præsidio, occupat. quàm paucißimi in proximum pontem confugerant, atq; se pilis quibus impositus est, soluta vtrinque pontis materia, tueri parant. Sed illicò telorum multitudine penè obruti, in subiectum flumen præcipitati sunt. Aberat locus à castris ipsis ad quatuor milia passuum: quo accidit, vt nec oppugnatio ipsa aggeris cognita sit, nec cùm nocte illa tumultuosè nunciatum esset, castellum cum præsidio oppressum crederetur. Asabecchus autẽ (hoc enim illius expeditionis duci nomen fuisse accepimus: alij verò non Asabecchum, sed Marbecchum appellatum fuisse aiunt) vbi pontem in sua esse potestate vidit, locum ad insidias aptum circumspicere cœpit. Quo reperto, intempesta nocte ad mille lectos equites tacito agmine fluuium transnare iubet. Sunt qui credant, eos ponte traductos. hisq; imperat in insidijs esse: atq; intentos signum ad erumpendum expectare: quo accepto, ex improuiso hostem inuaderent. Vbi verò illuxit, barbarus expeditißimã equitum alam, superato amne ad hostium castra, si nemo interim occurrat, ire iubet: atq; portis obequitando, hostem ad pugnã elicere: iniectoq; certamine, cedendo sensim ad insidiarum locum pertrahere. His autem aliquantisper à vado progreßis, Hieronymus Veronensis cum speculatoria suorum manu fit obuius. reliquus equitatus in tres diuisus turmas, vti iussus erat non longè subsidio sequebatur. Cõtinuò vtrinq; ferociter est cõcursum. sed barbari momento temporis quasi victi, de industria cessere. cedentes victor vrget, atq; aperto campo palatos hostes insequitur. Sed nemo omniũ infestius barbarum premere q̃ Hieronymi filius iuuenis impiger atq; gloriæ cupidus. hunc ferocißimè pugnantem audax iuuenũ manus præsenti successu elata sponte sequebatur. Id ægrè ferre callidus senex, atque identidem clamitare, non esse temerè instandum barbaro: scire se eam gentem non nisi de industria tam leuiter meditari fugam.

Aciem instruunt.

Asabecchus dux.

Barbaros fugat Hieronymus Veronensis.

Et quia in angustias locorum iam propè ventum erat, omniáque circumiecta loca suspicionis plena apparebant, iubet dato signo suos ab effuso cursu reuocari. tum barbarus versus in pugnam, prælium ferociter instaurat. Hieronymus primam turmam præstò sibi subsidio adesse mandat: nam ex altera parte fluminis Marbechus, vt suis auxilio esset, tumultuosè mouerat: & iam vis ingens hostium in citeriorem ripā amnis transnauerat. Rex integrata pugna hostis ad Grammā vsq., qui torrens per Pogoretanas valles præcipitatur, reiectus est, hîc dum totis viribus Veneti hostē vrgerent, atque conatus eorum, qui superato fluuio suis opem ferre studebant, vtpote ex superiore loco facilè sustinerent: & breui quum in præsentem pugnam intenti essent, alacriq. animo pugnarent, dato repentè signo ex Licinisij vertice, qui capitibus pugnantium ad læuam imminebat, barbarorum manus ex insidijs coorta cum horrifico clamore & strepitu in subiectam turmam effunditur. Tantus pauor sub primū clamorē Venetis iniectus est. Apparebat enim se vndiq. circūuentos, vt momento temporis diceres nō eos esse, qui modò tam strenuè pugnabāt. Sed vbi vnicam spem salutis in armis esse cernerēt, paululum cedere conati sunt, vt apertiore loco res gereretur. Sed tam violenta impreßio ex superiore loco ab hoste in eos cedentes facta est, vt in arctißimum locum compulsi, se pugna expedire nequirent. Inter inferos barbarus & à fronte & à dextra eos in vrbem coëuntes, fœdißima strage prosternit. Sic momento temporis prima turma hostium multitudine obruta est, & ad vnum fermè omnes cæsi, præterquam paucißimi viri illustres, qui se hosti dediderunt. Ductores autē proximæ turmæ vbi primam aciem circumuentam viderent, atque vndique hostes ferociter & cum horrifico clamore, vt mos est gentis, instare, cedere cœperunt, vt in apertā planiciem euaderent. verùm id tanta trepidatione factum est, vt illico fugiētium species potius quàm resistentiū his qui in extrema acie cōstituti erant, præbuerint, continuò omnes quasi victi circumspectare fugā cœpere. Adest interim victor hostis, turbatosq. sua sponte ordines cum stridore inuadit: quibus minimo negocio solutis, aperta fit fuga. Pro se quisque sine imperio indeuia & proximos saltus euadere conatur: hos barbarus paßim insecutus sternit, atque fœdißimè trucidat ad Mossam vsq., et vlterius cædes distracta est. pauci relictis equis, & armis abiectis, in propinquos saltus abiere. Ceciderūt in ea pugna Hieronymus, penes quem totius equitatus imperium fuisse diximus, cum filio, Iacobus Badouarius, Anastasius Flamminius, & pleriq. alij viri illustres. Reliqui fermè omnes capti. Nec victoria hosti incruenta fuit, ipso Marbecho duce grauiter vulnerato, multisq. ignobilibus cæsis. Sed quicunque in ea pugna ceciderāt, in vnum coaceruati, Marbechi iussu cōbusti sunt. Idq. ex eo suspicari libet (nam nihil certi alioqui de hoc compertum habeo) quoniam in tanta nostrorum cæde nullus barbarus repertus est. Idq. ad terrorem iniçiendum factū credibile est, quasi ita acciderit, vt tot hostibus cæsis incolumis acies barbaro cōstiterit. In hunc maximè modū ad Sontium pugnatum est. Cuius cladis fama tātum terroris vniuersæ patriæ attulit, vt qui in oppidis erāt, vix se tutos futuros putarent. Frequens fuga nocte illa

Hieronymus cum filio interficitur.

illa qua diem pugna secuta est, ex villis & agris facta dicitur. Postridie autem cum iam multum diei processisset, repentè circa Hunnium compluribus locis fumei globi attolli cœperunt, quibus cognitum est hostem adesse, atque momento temporis, quasi inter barbaros ita conuenisset, quicquid villarũ inter Sontium & Tiliauentum fuit, hostili manu deflagrauit. Eram ego per id tempus Tarcentri: quò ob pestilentem annum ex Hunnio concesseram: auditaq; clade ad Sontium accepta, in arcem, quæ vico imminet, cum multis mortalibus me receperam. ex eo loco prospectus in vniuersam patriam latè patet. inde atrocissimum patriæ incendium nõ sine lachrymis spectaui: fœdum siquidem fuit interdiu videre tantum culti & amœni soli fumo & caligine opertũ: sed longè fœdius atrociusq;, sub primas tenebras: ac per reliquum noctis cernere aciem vnam flammarũ à Sontio amne ad Tiliauentum extensam, vt nihil medium esse videretur, quod non ignis occupasset. Quam speciem ardentium villarũ densitas, quæ circiter centũ numero fuere, exhibebat. ausim ego affirmare nullo vnquam tempore tam atrox incendium à mortalibus visum, nisi fortè fabulis poëtarum credendũ putamus, qui portẽtosa illa de Phaetonte mendacia cõfinxere. sed nos hæc omnia copiosius in nostris poëmatibus: quorũ hoc cadem Sontiacam, illud incendiũ Carnicum inscripsimus. multa proinde, quæ ad rei atrocitatem attinẽt silentio præterimus. Hostes ea nocte pluribus locis castra habuere. vbi autẽ illuxit, onusti præda, ingentiq; captiuorũ multitudine in vnum coiuere, atq; in castra quæ ad ripam Sontij fecerant, læti receperunt. Postridie mota signa: & quum à flumine vnius diei itinere recessissent, abeuntium speciẽ præbuere. Quod quũ ita omnibus persuasum putarent, denuò haud minore tumultu quàm prius in patriã eruperunt, denso agmine ad Tiliauẽti vsq; ripã progressere: superatoq; impigrè flumine, cis vltraq; plerisq; villis incensis, ingentem cladẽ Transtiliauentanis attulere. plures fermè quàm prius mortales in prædã acti sunt. hi vbi ad suos rediere. cõtinuò Marbechus patriæ finibus excessit. Mansere aliquandiu vtraq; castra sine præsidio, fuerunt qui cõsulerent ea diruenda. Sed pluribus è repub. visum est ea nouo præsidio muniri debere. Atq; ita nõ multo pòst Carolus Fortebrachius cũ validissimo equitatu ad vtrorumq; castrorum præsidium missus est. quibus nuper initis, duscisq; ipsius diligentia non præsidio tantũ, sed valido quoq; opere munitis, ingens Turcarũ manus sub messiũ ferias in Sontij ripa tumultuosè consedit. Postridie barbarus superato fluuio ante Gradiscana castra in aciem explicuit, nullã pugnandi moram facturus, si hostis in pugnã descẽdere voluisset. Ille verò recentis cladis memoria territus, suos intra vallum instructa acie quasi per occasionẽ erupturus continuit. Barbarus cum ad altã diem in armis fuisset, cerneretq; hostẽ nihil temerè cõmissurum, digressus idem ad quatuor millia passuũ intra Medeæ montẽ et Cromonã castra locat. Postero die inter Cromonẽ ipsum & Mansanũ per apertas valles ad radices montium conuertit agmen. triginta barbarorũ millia fuisse traduntur, qui per abrupta & cõfragosa alpium loca ipsius locorum incolis aditu difficilima in eam Germaniæ partẽ euasere, quam nunc Zeliam vulgò appellant. Ego Iuliam,

vti

vti primo libro testatus sum, potius dixerim: aut quod à vero non abhorret, Ciliam. Multa interim & horrenda, & quæ vix fidem sibi vendicent, facinora tum aduersus alpium difficultates, tum etiã in audaces incolarum conatus per eos dies ab his edita. Quorum illud silentio indignum videri potest, quòd pluribus locis, vbi in abruptas rupes ventum est, equos vestibus alligatos in subiectas crepidines demissos aiunt, & inde in alias, donec in imas valles esset descensum. interdum vniuersus penè equitatus, vel certè magna pars eius, vti ex ipsis vestigijs cognitum est, per adeò decliuia loca præceps datus est, vt per ducentos fermè passus non modò illis locis pedibus quispiam vadere possit, sed ne consistere quidem, nisi virgulto sese aliquo applicuerit. Est & illud nõ indignum memoria, quòd vbi per iuga alpium vsque in montana Carniæ fines decurrissent, nunciatumq; interim esset, montanos incolas iuga montis, qui Lancea dicitur, qua vnicum eis iter in Germaniam patebat, occupasse, intrepidè ad locum progressi, neq; immẽsa montis altitudine, quæ in ipsa penè nubila verticem erigit, nec ascensus arduitate deterriti sunt. sed subnixi virgultis per aduersam rupẽ ad hostẽ repsere versùs, quàm dixerim subiere. Quo audaci incœpto territi, qui præsidio erant trepidare cœperunt. inde in fugam turpiter dilapsi ingentis cladis hosti materiam præbuere. Hæc vltima fuit Turcorum expeditio aduersus Venetos in Italiam. Nam paruo interiecto tempore, Veneti cum Mahumeto eius gentis Imperatore fœdus percussere. Ad quod publico nomine sanciendum Benedictus Triuisanus, vir magni cõsilij & auctoritatis Constantinopolim missus est, vnde certissimã Venetis pacem reportauit. Hic idem non multò pòst patriæ administrationem ex prætura sortitus, præter alia multa iustitiæ & innocentiæ exempla, quibus publicum munus auspicatus est, domesticas discordias & inueterata odia, quibus tota fermè patria ad id tempus laborarat, sapiẽtissimè sustulit: atque nomina quædam peregrinarum factionum pessimo exemplo inducta adeò restinxit, vt illorum memoria adhunc diem prorsus obsoleuerit. Verùm diuina quadam prouidentia id factum videri potest, vt cuius opera hæc terra cum reliqua Italia grauissimo bello quandoque liberata fuerit, eodem prætore domestica seditione liberaretur. Debebunt itaque semper Triuisanæ familiæ hoc nomine Foroiulienses, quòd hoc ipsò viro auctore, & externa & domestica sint ocia consecuti, quæ ex illo tempore, vnde patriæ antiquitatem scribere orsi sumus, sortiri non potuerunt.

Benedictus Triuisanus.

De bello

DE BELLO RHODIO LIBRI TRES, IACOBO FONTANO BRVGENSI AVTORE.

Praefatio.

Praefari mihi licet, quod professi pleriq; sunt rerum scriptores, bellum maximè memorabile, omnium quę vnquam gesta sunt, me scripturum: sic Liuius, sic ego, & fortè verius, quod magnus Turcarum Tyrannus Solymannus, terra & mari gessit cum Equitibus diuo Ioanni consecratis, & Imperij Christiani limites ad Orientē defensantibus. Nunquam enim prælium tam crudele, & atrox, Mars ęquè dubius fuit: norunt qui mecum in parte laboris & periculi fuere. Credet facilè quisquis sacrę & nobilis militię (nullius enim nomen recipitur, nisi ad aram. & exhibito indice natalium) olim institutum, & hactenus obseruatum, pugnandi cum Turcis morem animaduerterit: tum horum opes & potentiam, qui virilibus & incertis primordijs (nec originem suam ne ipsi quidem satis tenent) ab antris Caucasi, debellata initiò Asia, deinde Thracia, postremò reliqua Gręcia, duobus florentissimis imperijs Trapezuntio & Cōstantinopolitano euersis, omni propè Illyrico perdomito, in Italiam vsq; Hydrunte capta (quę in Italia & Calabrię finibus est) penetrauerunt: & recenti adhuc memoria, quasi hesternę diei, Sultano vno post alterum, vita & imperio priuato, totam Syriam cum omni Aegypto Arabiaq;, opibus suis adiecerunt. Quod bellum sic ex sententia confectum, Rhodiano initium dedit. Est enim filio Solymano visum, quod Solymo patri, qui anno ab hinc quinto maxima classe Rhodum obsidendam parata, vita defunctus est, difficilem sibi ex Lesbo, Chio, Peloponneso, Eubœa, Propontide, ipsoq; Bizantio nauigationem futuram in Syriam atq; Aegyptum, stante incolumi Rhodo arce militum: vtpote ex qua illi maritimis suis excursionibus, totum littoreum tractum deuastent, nonnunquam iusta classe congredi audentes. Pręterea, ducere dedecus imperij sui, ferre gentem inimicam in ipsis regni penetralibus. Adhac ambitioso iuueni magnos spiritus ministrare, Alba anno superiore ad confluentem Saui & Danubij victa. Tum, quę nequaquam multa molienti negligenda est, occasio temporis quo principes Occidentis maximis cladibus sesē inuicem afficiebant. Veruntamen priusquam belli gesti, Rhodianaq; obsidionis initium aggrediar, quo ad cognoscendum omnia, vt magis magisq; in aperto sint, quędam altius repetere necessarium est. Nam vt experior, istud bellum multorum fide maius, ita eius quoq; historiam inuenio magis laboriosam mihi, quàm putaram. Sed istud quoq; malum post tot acerbos casus, hostium iniurias, bonorum direptiones, cędes, exilia, pericula vasti maris, febres, morbos, pestem, oculorum ophthalmiam, mihi deuorandum est. Etsi laboribus meis nulla certa merces, quam non tam specto, quàm laudem defensionemq; veritatis, & sacrorum nobiliumq; Hierosolymitano-

N nitano-

mittendorum equitum gloriam: tametsi nemo dicendo, aut scribendo tanta illis gloriam parare potest, quantam ipsi sibi pugnando pepererunt. Quod igitur sacra militia & mihi vertat bene, sic exordior.

Fabricij Carectani mors.

Fabritio Carectano ingenti luctu, desiderioq; plebis nouendium vita functo (fuerat enim ad populi fauorem aucupandum, affabre factus) doctus literas Latinas, callidus, acer ingenio, cui consilium nec inceptũ illum frustra fuit, magnificus, siquidem magnam vrbis partem nouo, validoq; murorum ambitu cinxit, arma, tela, machinas, commeatum affatim importari fecit, deniq; omnia quæ in bello vario, & multarum rerum egenti, vsui esse solent. Culpãt aliqui, quòd ærarium immodestius tractauerit, quibus ego nec assentio, nec repugno. Vbi luce orta æs campanã sonuit, vniuersa militaris concio in classes suas distributa, ad fanum diui Ioannis conuenit: peracto solenni sacro, quæq; testata crucem, Intermagistro pridem ab antesignanis constituto, spondet allaturam sese de corpore suo militem, quẽ habeat optimum & prudentissimum. Constituitur hac ratione ex singulis militũ decurijs octumuiratus quidam, cui ius, fasq; est, præfectũ comitiorũ nominare, & tres mox suffragia daturos, dicere Equitẽ, qui summus suffragãtium vocatur. Sacrificium, optionemq; militarem hi triumuiri frequenti ordine præfecto comitiorum ante aram (neq; enim iam octumuiratus amplius, aut Intermagister, cuius potestatem voluerunt maiores momentaneam esse, ne qua fraus suffragijs fieret) sacramento astipulantur, quæsituros ex toto ordine militari, quatuor & decem integros ac spectatæ fidei viros, quibus socijs tribum suffragantem perficiant. Quæ simul atq; exit Christianorum ritu expiata, per adorandam crucem quatuor Didascalicos libros voluminis sacrificiorum, omni priuato affectu abiurato, non alium sacræ nobilissimæque militiæ præfecturam se vouet, nisi claris legitimisque natalibus & maximis in Rempublicam meritis commendatum. Quo voto, sacramentoq; à præside comitiorum stipulato, suffragatores secedunt, qui post graues de multorum vitijs ac virtutibus censuras, duorum potissimùm rationem habendam esse duxerunt: Philippi Vilerij Liladami, & Thomæ Docrai præfecti equitum Anglorum. Hunc siquidem plurimum commendabant magnæ opes, ingenium, magna experientia, consuetudo Regum & principum: ad quos arduis sæpe legationibus functus est: Illum negocia militiæ bene prudenterq; in Gallijs & Hispanijs administrata, vsus rerum Rhodiensium, fortitudo animi & corporis, virtus omnibus spectatissima: nec, vt quorundam esse solet supremum Magistratum ambientium, simulata atq; efficta ad tempus. Factum hoc modo est, vt fors vtriusq; par exierit, sed Liladami prærogatiua fuit suffragio equitis summi primiq; inter suffragatores: qui appellatis more maiorũ Decurijs, vellẽntne suffragatrici tribui intercedere, aut obnunciare quippiã: simul vt respõderunt, nolle: Quod ergo, inquit, Deus, & numẽ tutelare prophetes Baptista, sacræ nobilissimæq; militiæ nostræ benè & fœliciter vortat, renuncio vobis magnũ Magistrũ nobilissimum equitem, F. Philippum Vilerium Liladamum. Statimq; reclamatũ est ab vniuersa concione: Nobilissimo equiti

Octumuiratus constituitur.

F. Philippo

F. Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro nostro vita, victoria, & decus æternum. Qui quàm primùm literis nuntijsq; à Rhodo missis, fortunæ suæ certior factus esset, celerrimè ad iter se accinxit, mouens è Lutetia Parrhisiorum maximo splendidoq; comitatu, Franciscum Christianissimum Regem Galliarum, Burgundionum fines ab incursibus Cæsarianorũ tuentem, adijt: benignè acceptus, & dimissus Rhodano flumine (in quo nauigium armamentis bellicis onustum, negligentia gubernatoris ad pontem ciuitatis Viennæ perijt) Massiliam nauigat vrbem, quòd sciunt omnes vetustissimam, in qua ob vetustatem nimiam, nulla vetustatis extant monumenta. Paucos hic dies commoratus, classem conscendit: leui inde vento Niceam, in finibus Allobrogum delati, maximam nauium nostrarum puero coquinario negligentius ignem seruante, incendio propè amisimus: actumq; iam erat nisi magnus Magister graui edicto facto, ne quis nauim relinqueret, suos voce & exemplo confirmans, ardorem flammæ enascentis restinxisset. Liberati ancipiti periculo, hanc quoque deserimus sedem, vastumq; caua trabe currimus æquor. Corsicam & Sardiniam prætervecti, in fœdam maximamq; tempestatem incidimus. Cœlum strepere ingenti sono, & inter horrendos fragores crebri micare ignes: capti omnes auribus, oculisq; vota nuncupabant. Miserrimus ego insolita rerum facie, præ cæteris magis perterritus, flamma micanti exanimatus, vexatione fractus, nausea ac vomitu sordens, interq; vndæ furentis procellas obrutus, Deum hominumq; fidem implorabam. Affuit votis præsens numen, Syracusis antiquitate & fortibus gestis illustri vrbi applicamus, nouẽ hominibus fulmine enectis, pluribus percussis: animalium brutorum, boum, ouium maior lues fuit. Hîc ad curam, quietemq; corporis, & nauium refectionem aliquantisper commorati, nactiq; auram secundam, vela & anchoras tollimus. Prosequitur à puppi ventus euntes, sed ecce mox aliud malum. Nunciatur Cortugolum archipiratam, cui duos vterinos fratres (præter tertium, quem in vinculis tenebant) Rhodiani occidere, classe ex triremibus, nauigijsq; rostratis collecta, expectare in statione ad Maleæ promontorium aduentum Magni Magistri. Diu disceptatum, esſétne vtile quatuor tantum nauibus merces opulentas multorum negociatorum, materiam incendiariam copiosissimam, ac commeatum omnis generis, præterea ipsum principem vehentibus, occurrere maritimo latroni, nihil præter tela & hostes afferenti. Sed consilia nostra sors immutauit. adiuti enim aura, & secundo vento satis vehementi, portum Rhodium intramus, summa nostrâ & oppidanorum lætitia atq; alacritate. Processere obuiam armatæ triremes sacræ militiæ cum signis, sono, concentuq; tubarum. Arx Nicolea, & turres quæ vtrinq; portum muniunt, omniaq; vrbis propugnacula, multa crebraq; bombarda intonuere. Equites antesignani Magnũ Magistrum obuijs exceptum vlnis, festo apparatu per medias turbas hominum vndiq; sese effundentium & precantium fausta lætaq;, in vrbem ad fanum diui Ioannnis induxerunt: hinc peracto solenni sacro, cum plausibus & clamoribus, alijsq;, quibus effusa lætitia vulgo significatur, in prætorium

Philippus Vilerius Liladamus Magnus Magister renunciatur.

Cortugolus archipirata.

Pompa solennis.

torium. Paucis inde diebus interiectis, Cortugolus nauigatione nostra elusus, fremens, frendensq́; subito secundo exorto vento, obscura, quietaq́; noctis auxilio speculatorem fallens, in fretum Rhodium erripit, ex insula fortè post deuastationem agrorum prædam abacturus: & inciderant in eum, nisi sese commodùm ventus mutasset, duæ naues Venetæ ab Hierosolymis reduces, quæ eadem nocte à portu Rhodio soluerant. Aduentu hostili, & discrimine sociorum, classe quæ in anchoris stabat, quàm celerrimè expedita, Equites Rhodij in piratam tendunt. quod ille videns, effusè fugere cœpit. Rhodij qui in spe erant classis potiundæ, satis pertinaciter secuti sunt. Verùm postquam celeritate nauium, vtpotè leuium, suas grauiores eludi viderunt, abstiterunt incœpto, naues sociorum in pacatum ducentes. Tempore haud multo pòst, venit Rhodum è castris iuxta Taurinum Panno-niæ positis orator, missus à Tyranno Turcarum cum huiusmodi literis.

SOLYMANVS TSACCVS, DEI GRATIA REX REGVM, Dominus dominantium, maximus Imperator Byzantij & Trapezuntarum, Rex præpotentissimus Persidis, Arabiæ, Syriæ, ac Aegypti, Dominus Asiæ & Europæ, Princeps Mechæ, Alepi, Hierosolymorum dominator, possessorq́; maris vniuersi: Reuerendo patri F. Philippo Vilerio Liladamo, magno Magistro Rhodi, & Asiæ legato, Salutem.

GRatulor tibi aduentum & nouum principatum: quem, vt habeas diu faustum & felicem cupio. Spes est enim mihi quòd virtute & fide superaturus sis omnes, qui retro in insula Rhodiensi imperarunt, à quibus maiores mei semper vim suam abstinuerunt: quorum exemplo, ineo tecum amicitiam & gratiam. Gaude igitur amice, & gratulare mihi victoriam & triumphum. Siquidem æstate superiori Danubio traiecto, regem Vngarorum, quem occursurum credebam in acie, sub signis expectaui inauso prælio decertare. Taurinum totius regionis vrbem munitissimam, & vicinas aliquot arces vi abstuli, multis mortalibus ferro, & flamma trucidatis, plerisq́; in seruitutem redactis. Victor & triumphator dimisso exercitu in hybernia, regressus sum ad regiam meam almam vrbem Constantinopolim. Vale, ex castris.

Recitata hac Epistola in sacro, augustoq́; consilio procerum antesignanorum, intellexit illicò prudens Magister verbis sibi nunciari pacem, re autem vim: quam, quòd paratus esset alia vi repellere, non dissimili artificio literis sic compositis, significauit.

Philippus Vilerius Liladamus, magnus Magister Rhodi, Turcæ.

EPistolam quam ad me attulit orator tuus rectè intellexi. De amicitia quod scribis, tàm gratum est mihi, quàm ingratum Cortugolo. Conatus est siquidem, dum huc venirem à Gallijs, me ex improuiso opprimere. Quod vbi non successit, obscura nocte fretum Rhodiũ inuectus, naues onerarias, quæ ab Hierosolymis Venetias nauigabant, deprædari tentabat. Sed classe è portu meo mox deducta, vim prohibui, coegiq́; piratam fugere & prædam Cretensibus negociatoribus ereptam relinquere. Vale, ex Rhodo.

Remissus

Remissus est Legatus cum summa fide & muneribus, adiuncto ei comite, qui literas Magistri perferebat, homine quodam priuato: rarò enim di-



gnata est Rhodus Turcam legatione publici equitis. Tyrannus praecoci ingenio adulescens, cui rerum prudentia velox ante pilos venit, cõtemplatus ingeniosam talionem literarum redditarum, sensit secum agi suis artibus, & Rhodios paratos esse vim cõtraria vi repellere: neque tam leuiter quàm Taurini defensores, deditionem & imperata facturos. Veniebat praeterea in mentem, quae proauo Mahumeti acciderunt, accidere sibi posse. Fortunam & Martem fallacia esse numina, quae fidem in paruis sibi praestruunt, vt cum operaeprecium sit, cum magna mercede fallant. Hoc modo animum celerem nunc huc, nunc diuidens illuc, in partesq́; rapiens varias, libidine aduersum nos, metu pro nobis suadente, Cortugolum accersiri iubet. Vocatus accedit praeeuntibus duobus augustalib. Mustapho & Farao, cui, vt mihi narrãt, Tyrannus sororem collocauit, hiq́; omnia in Rhodios acerbè atque ad gratiam principis sunt locuti, vt facere solent quos regiae opes alunt: sed acerbissimè Cortugolus, vir natura ferox, belli haud ignarus, probè intelligens literis de se quaerentibus gratiae suae apud regem non modò decreuisse quippiam, sed etiam permagnam esse accessionem factã, quem in hunc modum locutum fuisse accepi:

Ingentia tua erga me merita, Optime Maximeq́; Imperator, faciũt, vt quae aestimẽ tibi & imperio gloriae decoriq́; futura, liberè loquar. Voces quotidie ad me miserabilium hominum ex insulis Mitylene, Euboea, Peloponneso, Achaia, & continenti, Caria Lycia, atq; omni littoreo tractu Syriae ac Aegypti perferuntur, exponentium agrorum suorũ depopulationes, dire- Cortugoli ad Imperatorẽ oratio.

ptiones vrbium, prædas hominum & armentorum, multaq; infinita alia & incredibilia mala, quæ indies patiuntur, nemine vim prohibente à Cruciferis illis & pyratis Rhodiensibus. Tendunt mihi miseri supplices manus, opem meam orant, instant, vrgent, vt illis auxilium ab imperiali maiestate tua implorem, vt illos ab iniuria, cæde, rapinis istorũ Cruciferorum defendas. Oro te igitur per adorandum nomen Mahumetis, per genium imperialem, vt populum tuum ab his crudelißimis hostibus liberes, vt ex ferro, flamma, & ex graui seruitute, quæ morte durior est, aliquando eripias. Atque illud tecum etiam cogites, non tam populo & priuatæ plebeculæ hanc iniuriam, quàm publico honori & nomini tuo, inferri. Quam si Regum, si Principum aliquis Christianorum inferret, non patereris, scio, inultam: & nunc sinis latrones, sicarios, colluuiem hominum agros tuos vastare, vrbes diripere, populum trucidare, mare totum vnicuique nostrum infestum reddere? Quis enim nauigat Damascum, Alexandriam, Memphim, Chalcidem, Lesbum, Chium, regiam tuam Constãtinopolim, qui non maximis ac certis quidem ab istis Cruciferis imminentibus periculis se exponat? Quid per tot annos statim post vernum æquinoctium audimus aliud, quàm Cruciferos Rhodios portum aliquem Turcarum occupasse? Turcas in seruitutem miserrimam redegisse? prædam hominum ac rerum preciosißimarum, ex vrbibus atque agris direptam, Rhodum aduexisse? Et, quod turpißimum est, te inspectante, in medio & penetralibus regnorum tuorum hæc omnia fecisse. Ignosce mihi obsecro Imperator, si apertè nimium dico, quod sentio. quicquid enim à me dicitur, nulla alia de causa dicitur, nisi vt tu aliquando facias, quod iam multos ante annos factum esse oportuit. Quod ad religionem nostram Mahumeticam ampliandam, ad imperij & nominis tui protelationem pertineat: pro quo quidem propagando nostras fortunas in quodlibet discrimen afferre, corpus telis armisq; obijcere, nihil laboris, nihil periculi subterfugere debemus. Quod si laudum & pugnæ amore flagras, & ad perpetuam immortalitatem mirum in modum tendis, quo eam bello facilius consequi poteris, quàm si Rhodum, quæ quoddam Christianorum propugnaculum est, & dicitur: quæq; sola nos ab illorũ regionibus prohibet, expugnes, & in deditionem cogas? Dices fortasse hîc: Maiores mei toties vrbem illam frustrà tentarunt: tentarunt & Taurinum Pannoniæ vrbem. Tu tamen multò magis munitam nunc quàm priscis illis seculis in potestatem tuam redegisti, & de Rhodo desperas? Depone vanum istum timorem, audendo agendoque res Turcica creuit. Properemus ad illam obsidendam terra & mari. Si populus tuus seruitute gemẽs, manibus suis eam construxerit, num libertate, cupidine, atque occasione, tot illatas iniurias vindicandi gaudens, eisdem manibus destruere poterit? Quòd si cognoscas, Imperator, est tibi, procurante summo Propheta Mahumete, diuinitùs oblata occasio, dum Christianus Occasus intestinis cladibus laborat. Num in gerendis negocijs ignoras sequendas esse temporum opportunitates, & in occasione rerum desidiam, ac tarditatem omnem quàm diligentißimè fugiendam? Mutabilißimè quidem sunt temporum vices, & fortunam cum

Audendo agendoq; res Turcica creuit.

abire

abire permiseris, frustra postmodum discedentem ac fugientem sis imploraturus.

Hac oratione animus iuuenilis inuidia Christiani nominis æger, honorum & imperij appetentißimus, facilè ad bellum decernēdum impulsus est. Sed primum rem ad proceres detulit, vbi sic locutus fuisse traditur: Et si non dubito, Viri fortißimi, eandem vobis nunc mentē esse, quæ in alijs aggrediendis gentibus semper fuit, de communi tamen gloria atq; commodo, commune indicare consilium volui. Ex eo tempore quo pater meus vita defunctus est, cum diuersis populis ac nationibus bellum geßimus. Syros, vt sunt natura instabiles, & ad res nouas moliendas proni, rebellionem tentantes, vi in officio continuimus: Sophum magni Vsuncassani ex filia Nepotem, quæ Iacupi regis soror fuit, præpotentem illum regem, semper nobis corde & opere mala machinantem, nec dum Assyria, Media, Armenia maiore, Perside, Mesopotamia, contentum armis nostris, intra septa sua conclusimus. Anno superiore, omnem Pannoniam vltra citráque Danubium peruagati, Thaurinum totius regionis locum munitißimum cepimus, quæcunq; tentauimus, subegimus. Tamen, vt de me ingenuè dicam, animus supra imperium & sanguinem Othomanicum ingens, in his victorijs conquiescere non potest. Nam quæcunque hactenus egistis, & si magna sunt, minora tamen virtute vestra æstimo. Huc me rapit cupido, hoc semper exarsi, Rhodum illam petere, omnesq; Rhodianæ militiæ vires & castra radicitùs euertere. Nónne vos idē haud sanè minus quàm ego semper optauistis? Quoties enim voces audiui Rhodum, Rhodum conclamantium, tempus à me expectatum est, vt expediti aliarum gentium bellis, huc omnes neruos, animósque in vnum intenderemus. Quod tam diu cupiuistis, in manibus vestris est. Nulla maior vnquam facultas data bene gerendæ rei: murorum vrbis Rhodiæ permagna pars solo æquata iacet, quæ haud paruo tempore restitui poterit, ærario expilato. Adhæc arcis præsidium parua manu militum constat, auxilia à Gallis longinqua, post Rhodum expugnatā futura sunt, aut quod mihi verisimilius est, nunquam. Neque enim Rex Francorum cum Imperatore Germaniæ & Italiæ domino, ad internecionem depugnans, patietur nāualia sua dearmari, portus suos denudari præsidio nauium. Nec credatis etiam Hispani generis homines domi fame, bello, intestinis odijs implicitos, foris huc ex Sicilia & Campania tam facilè militem & cōmeatum portaturos. Sed maior instat, vt putatis, à classe Veneta, ab auxilijs Cretæ insulæ timor, imò nullus. Scio, neq; debeo omnibus palàm facere, quomodo huic malo occurrerim. Ergo magnanimi viri, nati ad subigendā vniuersam Christianorum ditionem, nedū Rhodum, sequamini alacres me crudelißimis & perfidis hostibus bellū inferentem. Quousq; patiemini quæso familiæ Othomanicæ, & in vniuersum Turcis omnibus maculam eam adhærere, quam Rhodij nobis asperserunt, victoria superiori obsidione partæ? quam nō tam virtus illorū fecit, quàm proaui Mahumetis cōsilium infelix, Mysachum Paleologum militiæ ducem, vna infeliciter commissa pugna, reuocantis. Sed fecerit sanè illorum virtus victoriam, tolerabitisne idcò semper toto


Oratio Turcici Imperatoris ad Proceres.

3

mari

mari pyraticas istas excursiones cõtinenti & insulis, vrbium atq; agrorum deuastationes, prædas animalium, & quarumcunq; rerum optimarum, incendia, suppliciaq;, raptus cõiugum, cædes liberorum, seruitutem affinium cognatorum vestrorum? Nõ sic me bene Mahumetus meus adiuuet, cuius ope atq; auxilio, inuitis Christo & Ioanne Cruciferorum magnis Dijs, spondeo me breui lunata signa medio vrbis Rhodiæ foro defixurum. Nec quicquam mihi nisi gloriam quæro, vtilitatem do vobis commilitones: auri & argenti cælata vasa, mundum muliebrem (qui preciosissimus esse dicitur) omnem pecuniam, splendidamq; suppellectilẽ, ad vxores, ad liberos vestròs, domum onustis nauigijs deportare. Nunc ergo ad Rhodum oppugnandam totis viribus, bonoq; animo transeamus. Cumq; hoc faciendum omnes vna
Pyrrhus. voce succlamarent, assurgens Pyrrhus, natus (vt mihi relatum est) patre vulgare desertore fidei, cui longa vita & odium orthodoxæ fidei, mille artes, & nomina mille nocendi pepererunt: Non possum (inquit) nõ plurimum admirari præcocem, maximamq; prudentiam, & virtutes, atq; ingenium Imperatoris nostri, adeò prudenter & disertè omnia, maximi clarissimiq; ducis in bello suscipiendo consilia exposuit. Fœlix Mahumetus, ter quaterq; hoc imperium, beata hæc Respub. fortunati nos tali principe: qui nõ tantùm viros & arma, sed prudentiam atque consilia in prælium ducit. Quem optimum atque laudatissimum pugnandi morem, si semper ad manum, semper ante oculos habeamus, nõ modo Rhodum, sed breui omnem Christianorum ditionem in potestatem nostrã redigemus. Verùm ætas & experientia mea, præter ea quæ iuuenis Princeps sedulò & diligenter inuestigauit, suadet ex Equitum ciuiumq; Rhodiensiũ ordine, maximos (si fieri potest) viros corrumpendos esse, & præmio pollicitatione, mercede gratia, denique modis omnibus, ad proditionem secretorum consiliorum solicitandos: quod quomo-
Astutia Pyrrhi. do fieri possit, accipite. Ego quasi pacis quietisq; cupidissimus arbiter, inducam nuncijs literisq; magnum Magistrum, vt ad Principem nostrum legatos mittat, qui vbi in nostra erunt manu, sinite agere Pyrrhum. Placuit omnibus, & in primis ipsi Tyranno, senis viri consilium: mandatumq;, vt rem illicò summa cura fideq; expediret. Cæteris ducibus, vt pararent terrestres naualesq; copias, quàm maximas possent. Neque diu continuit se bellici apparatus rumor. Mense intercalari pridie nonas, Rhodi nunciatũ est, Turcam nauium longarum carinis positis, contracta ad effectum eius operis ex Chio & reliquis portubus multitudine fabrorum, omniq; alia nauali materia ferro, linteis, sparto, maximam classem Constantiopoli fabricare. Quæ fama dum indies crebrior, constantiorq; circos conuentusq; hominum permearet, misit Equestris ordo omnia exploratum quendam Epidaurensem, Turcaica lingua peritũ. Renunciat is è Byzantio, epistola inter liquamina piscium abscondita, classem maximam parari, militem scribi, numerum præterea & formam tormentorum. Cæterùm hostẽ impetendum vulgo incertum esse: multos, tam de Rhodo quàm Italia dubitare plerosque de Cypro, aut Corcyra Nuncium istud multorum animos, omen à se alienantium, securiores fecit: sed dum homines in quosuis potius, quàm semetipsos bellum

bellum apparari credunt, affertur sociorum amicorumq; literis, finitimos hostium portus diligentissima custodia obseruari. Inter has belli imminentis curas, minimè idoneo tempore, quidam ex equitibus Italicis missionem & præmia flagitarunt, acerbè in Romanam curiam loquuti: cui stipendiorum suorum defraudationem acceptam referebant. Verùm Magister prudentia, ac consilio suo tantum effecit, vt responderent omnes, non consueuisse equites Italos Remp. in ancipiti discrimine constitutam relinquere, nec nūc quidem relicturos. Verùm quo plura bene atq; strenuè fecissent, eo minūs iniuriam tolerare. Cupere igitur se, vt primo quoq; pacatiori tempore legionis optimè meritæ ratio habeatur. Deinde cœptum est de vrbis Rhodiæ cura & præsidio cogitari. Equites, nautæq; lignatum missi sunt, in desertū continentis Latonæ lucum, Phisco antiquo Lyciæ oppido vicinum. Arma, tormenta, telaq; recognita sunt: lapides molares, quibus molas manuales, asinariasq; quisq; sibi fabricare iussus erat, ex Nysiro insula importari: vrbana multitudo in heptacurias suas partita est. Muri & propugnaculum Auernorum, à Basilio Cæsaris Caroli quinti architecto, Magistratu Fabricij modulatum, maiori cum diligentia perficiebantur: captiuis ad voluntarios labores præmio liberalitateq; magni Magistri inuitatis. Dum


Legatus Pyrrhi ad magnum Magistrum.



hæc tanto studio atq; ardore aguntur, venit Byzantio nuncius à Pyrrho, quem diximus suprà, missus: homo festiuus atq; ingeniosus, munus suum verbis mirè adornans, prædicando dominum, indolem præterea ac facilè ingenium Imperatoris sui: attulitq; ab eo & Pyrrho ad magnū Magistrū bonas literas, quale exemplar tale est.

O SOLY-

SOLYMANVS TSACCVS DEI GRATIA REX REGVM, DOMINVS dominantium, Reuerendo patri Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro Rhodi, Legatoq; Asiæ, Salutem.

Certior factus sum epistolam meam redditam esse, quam quòd rectè intellexisti (mirum dictu) quàm placuit. Confide, quod victoria Thaurini minimè sum contentus, alteram spero, imò mihi polliceor: quam tibi, cuius semper sum memor, nequaquam occultam esse sinam. Vale, ex Constantinopoli.

Pyrrhi Epistola hac ferè sententia erat:

Pyrrhus Apocletus, Philippo Vilerio Liladamo magno Magistro Rhodi, Legato Asiæ, S. Epistolam tuam sensu maiorem, quàm literis, exhibui Maximo Imperatori nostro: tabellarium autem non sum passus admitti, ne plebeio nimiùm nuncio offenderetur, ad quem mittes deinceps viros illustres, ætate ac prudentia commendatos, quibus cum si in animo habeat possit de re communi transigere. Quod si facias, nec te facti, neq; me consilij pœnitebit. Quæ mitto, affert ad te literas, etiã à nostro Imperatore, cuius diuino numini quomodo sit respondendum, monitus es. Vale, ex Cõstãtinopoli.

Diuersorum consiliorum agitatio. *Hæ literæ trahebant in varias partes multorum animos, qui à quietis consilijs non abhorrebant. Metientes alios ex fide, probitateq; propria, commendabant Pyrrhi consilium: dicentes virum senem & prudentem, non tam nostræ, quàm patriæ & Imperatoris sui quieti studere: cupere eum consilio componere, quæ iuuenis princeps ferro: metuentem incerta casuum humanorum, communem belli Martem, vim fortunæ, quæ maximos sæpe reges & exercitus parua manu hostium, paruoq; negocio pessundedit. Tantum valuerunt horum consilia, vt deligerentur oratores frater Raymundus Marchetus, eques natus in Hispania citeriori, nunc Eubœicæ præfecturæ tituloinsignis, vir magnanimus, carus, facundus, & castrophylaca, ciuis Rhodiensis, Turcaicè callens. Multis dispar sententia fuit, qui fraudem, dolumq; sentientes, ab hostili consilio cauendum prædicabant. Quorsum enim ista legatio? Bellúmne indicendum tyranno potentissimo, nondum ex professo hosti? pacem enim scribit: an deprecandum nondum indictum? Vt timeri scilicet se intelligat is, qui iam timet. Qua securitate, qua fronte etiam ibunt oratores non vocati à domino, sine diplomate per alienum agrum, quem nos indies exurimus & vastamus? Sed Pyrrhi literas proferent. Huius scilicet commiseratio, huius fides & autoritas eos ab iniuria proteget: quasi seruus domino leges imponat, domino simillimus (hoc est) crudelis, perfidus, osor omniũ Christianorum, maximè Rhodiensium: quos tyrannus, si repertat iam parata classe, & delectu militum habito, vario cruciatu afficiet, vt vires nostras, nostros commeatus, secreta vrbis & militia nostra sibi prodãt. Magnã accessionem fecit huic sententiæ hominũ verè prudentum, diligens studiũ missi oratoris, multa & varia inuestigãdi de statu, situq; vrbis, numero & fortitudine equitũ: quapropter remissus est cũ vno tãtum comite homine priuato, Magistri epistolã ad tyrãnũ afferente, cu-*

[Ray]mundus [Ma]rchetus.

te, cuius sententia talis erat: Quòd memor sis mei, haud molestum est: ego vicissim tui memor sum. Repetis victoriam Pannonicam, qua non contentus alteram speras: imò vel ante bellum tibi promittis & canis. vide ne te fallas, nusquam minus quàm in bello euentus respondet. Epistola autem ad Pyrrhum missa, talis erat. Nusquam minus quàm in bello euentus respondet.

Frater Philippus Vilerius Liladamus, magnus Magister Rhodi, Pyrrho Apocleto S.

Literas tuas, simul & nuncij mores, atque ingenium diligenter perpendi. Consilium tuum non contemno, nec obseruo quidem, dum miles meus agros portusque domini tui deprædatur: quod vt tolerarem, fecere iniuriæ quas à Pyratis Turcis acceperunt. Verùm reuocabo excurrentes, missurus ad Imperatorem tuum oratores, ad quos fidem publicam eundi & redeundi eius diplomate testatam præmittas. Vale, ex Rhodo.

Verùm animaduertendum hic Magistri literas ad Tyrannum non allatas esse. Nam Turca vbi transfretasset equum ascendens, qui in reditum paratus steterat, adactis calcaribus, cursu quàm velocissimo effugit, socium Christianum relinquens: qui reditu suo in vrbem, magnam pacis desperationem afferebat. Quapropter missi sunt in Cretam coëmptores, qui ex insula vinum & sagittarios importarent. nam arcubus & sagittis plurimum vtitur Creta: à Septentrione Aegeum, occasu Ionium, Europæ maria habens: ab ortu Carpathium atque Aegyptium, quæ Asiatica sunt: meridie Africum. Literæ interea à Naxo missæ, dicebant naues instructas, armatasque in aquam deduci: Barbaros moturos inchoante luna. Nam hoc signum rebus gerendis auspicatissimum habent. Idem nunciabant frumentatores insulæ Pathmos, celebris ossib. Ioannis Theologi, qui nauigio quodam capaciore optimum frumentum Euboicum inferebant: cuius venundādi specie ac prætextu, multa quæ in vrbe obsidenda agebātur, iussu Turcarum, quibus sunt vectigales, explorauere. Nec segnius magnus Magister, nauiculas ad omnia exploranda circa insulas mittebat. F. Ioannes Lupus, quem Bellouacum appellant, strenuus eques, qui postea in defensione propugnaculi Britannici grauiter læsus fuit, rem sibi mandatam diligenter peregit, nauimque vnam rostratam onustam frumento Rhodum secum adduxit. Fuit infelicior vnius celocis præfectus eques Alphonsus, hic cum in statione quadam ventum expectans, remiges longius diuagari pateretur, à Piratica quadā naue fortuitò interceptus, obnixus diu, ne viuus in potestatē hostiū veniret, grauiter sauciatus, captus est. Biremis præter paucos, quos sors & fuga saluauerāt, cū nautis capta est: ignominia magis quā dānum Rhodios commouit. nā multis annis retro, nulla nauis Rhodia hosti in prædā cesserat. Armatæ extemplò triremes, omnem orā vicinā circūnauigare iubentur, sicubi fortè latentem pyratam reperiant. Per idem tempus crebris ignibus vna nocte post aliā in hostico sublatis, signum factū est, esse ibi mortalem colloquendi cum Rhodijs cupidum. Quare F. Meretonus eques Gallus prudens cōtra pericula & insidias, naui viris armisque satis in-

Turci motū Lunæ obseruant.

Alphonsus à piratis capitur.

ſtructa, ad continentem iuſſu procerum mittebatur, comite Iacobo Xayco triremium rationale. vt a loci incolis atque amicis omnia de futuro bello induſtriè diligenterq; inquireret. Erat enim Xaycus præter maris ac regionum notitiam, ciuilium quoq; rerum gnarus, & Turcis negotiatoribus, quorum didicerat idioma, vnicè charus atq; acceptus. Quos vbi ad fontẽ inter calices ac libamina reperiſſet, circunſeptos tapetis, bombyce, & alijs talibus, quæ Barbari mutare cum Rhodianis mercatoribus panno laneo ſolebant, ſalutem ac fidem inuicem dat & accipit.

Xaycus dolo capitur.

Rogatus deſcendere ad comeſſandum, donec veniret è proximo tugurio quidam, cum quo multum familiariterq; vixerat, reſpondit non poſſe, niſi obſide prius in nauim recepto. Perfidi dictum cachinnis excipientes vltrò merces & obſidẽ imponunt. Egreſſus tum & obuios amplexans dato ſtatim ſigno, vndiq; ex inſidijs inuaditur, ac raptim pernici impoſitus equo protrahitur Byzantium, vbi acerbis quæſtionibus omnibusq; affectus ſupplicijs, quæ corpus vllum pati poteſt, ad ſatietatem inimicorum dicere facta, atq; infecta cogitur. Poſtquam iſto dolo amiſſus eſt Xaycus: tum magis ac magis vulgo celebrari cœpit illorum prouidentia, qui militaribus comitijs reuocanda nuper decreta legationis ad Turcam autores extiterant. Itaq; ne mora diuturnior damnum afferret, iuſticium indictum eſt, vigiliæ vicatim exactæ, in proceſtriis militaribus acutæ lanceæ diſpoſitæ ſunt, tormenta per muros locata, ſingula loca firmata cuſtodibus. Publicum armamentarium, inſtructum omnium bellicarum rerum incredibili apparatu, reſeratum eſt. Armorum atq; telorum portationibus tota ciuitas feruere, à proceribus anteſignanis luſtrũ conditum: recenſa liberorum hominum, qui arma ferre poſſent, plus minus quinq; millia. Inter quos ſtrenuè pugnarũt ſexcenti ferè Equites. quingẽti Cretenſes, cæteri qui pugnæ diligenter fideliterq; vacarunt. fuere nautæ, remiges claſsiarij: quorum virtutem plurimũ iuuerũt duces ipſi, maritimiq; excurſores Michaël Vitalis Gallus, prælio nauali ſemper acerrimus. & felicißimus Seringus Vandalus, ac Siculus quidam & vnus Rhodius Nicolaus Mego. Ruſtici qui ex agris inſulaq; conuenerant, non tam pugnando, quàm fodiendo ferendoq; terram, obſidioni vtiles fuere. Reliqua vrbana multitudo, aliquot tamen verè ſtrennis viris exceptis, imbellis, iners, neq; laboris, neq; periculi ſatis patiens, ægrè minis & imperio ſub ſignis & ſtationibus ſuis retenta, lingua quàm manu promptior, enſes, clypeosq; geſtando plus omnino oſtentationis quàm fortitudinis habuit. Dum fama futuri belli & animorũ noſtrorum per Cycladas, inſulaſq; alias Aegei maris latè

Ioannes Antonius Bouladius Venetus.

effunditur, Ioannes Antonius Bouladius Venetus faber, fortunæ ſuæ à Creta Rhodum venit. Nam cum eſſet loco haud illuſtri natus concordante ſuffragio, contra omnia vetuſtatis exempla, ob bene diligenterq; nauatã Reipublicæ operam, inter Equites receptus eſt: donatusq; iure aureorum calcarium, importauit vina, commeatum omnis generis cum delecta iuuenum manu. Paulo pòſt Dominicus Fornarius Ligur vir cautus, impiger, ſtrenuus prælio, bonus conſilio, cum ab Alexandria nauigaret in Siciliam ingenti oneraria naui, precioſißimis onuſta mercibus, ſecundo ab vrbe lapide in

ſulam

sulam descendit, inde consilio & prudentia nostrorum in urbem ductus est, exceptusq; obuijs triremibus. Nam tantæ nauis aduentu, quæ arma virosque afferebat, Rhodijngens gaudium meritò exortum est: animis omnium nihilominus curam defensionemq; remittentibus; quos flexamina & vehementi sua eloquentia (haud dissimili illi quam in Cynea, Pericléque fuisse scribunt) ad omne egregium audendum & faciendum inflammauerat Leonardus Calestrinus Ligur Archiepiscopus Latinorum, vir summa doctrina sacrarum literarum, & memoria propè monstrosa, qua Cyrum, ac Mithridatem vel æquat vel superat, in dicendo sententijs acutus, & creber, verbis ornatus atq; efficax: cuius luculentissimā orationem, quam in fano diui Ioannis ad Equites habuit, subijcio.

Leonhardi Calestrini Archiepiscopi Latinorū oratio ad equites.

Vt hodierna die, quam maiores nostri, Deo trino & vni sacram esse voluerunt, ad celsitudinem tuam, magne Magister, vos ò nobilissimi Equites, de fide, & de religione verba faciam, monet officij mei ratio. Sed dum Reipub. faciem, statúmque intueor, quod numinis venia mihi liceat, orationē tempori accommodabo: quo non tā prædicanda est fides, quàm defendenda ab hoste immanissimo, maximis huc terra, marique copijs ad nostram euersionem properāte. Cui, nihil dubito, resistetis, vt viros fortes & equites Rhodios decet, vtq; hactenus facere consueuistis. Neq; estis, aut mea aut cuiuspiam oratione monendi: tamen quo mihi faciam satis, quem etiam pectoralis ista crux ad omnem Turcici nominis internecionem laborare admonet, & ne qua mentibus hæsitatio, scrupulúsue restare possit, proposui (Equites) facere vobis fidem victoriæ, argumentis minimè inanibus. Quare attendite quæso, vt cœpistis, diligenter: vtar enim oratione, qualem tempus locúsque expostulat, fideli, facili, & compendiaria. Primùm igitur oro ac obtestor, ne aures, multo minus animos, quorundam ominosis vocibus præstetis, omnia in peiorem partem rapientium: quasi Diuina maiestas durius aliquid de nobis statuerit. Ego enim hunc timorem vos mittere iubeo: non quòd inficias ire velim, extrema omnia exempla nos promeritos, si lege talionis & summo strictóque iure agere libeat: sed nihil tale Deo pientissimo in mentem venisse credendum est, quippe qui semel familiæ suæ spopondit, omnem sese malæ administratæ rei noxam seruis remissurum, quoties frugi diligentioresque fieri cœperint: vt vos nunc fecistis, sacri Equites: quod, vt semper faciatis, velim. Ne formidetis ergo immanem istum apparatum, quem facilè concesserim, volente & procurante rerum omnium opifice Deo, in capita vestra excitatum. sed non ideo vt confringantur illa, aut euertatur hic florentissimus vester militaris status, diuum Baptistam præsidem habens, qui secundùm Deum primus & selectus in cœlo esse creditur. Nunquam enim ille sinet, diro sui nominis hosti tantum licere. Sed vt seueri patres chariores filios per duriora agunt: sic vult Deus optimus maximus, hac potissimùm ætate, qua ducem Magistrúmque elegistis, quo bello maior & armis, nec pietate fuit, per durum & difficile bellum militiam vestram clariorem, celebrioremq; efficere: ne semper à macherophoris istis in Occidente otium & ignauia vobis obijciatur, cum ipsi ijdem sint ignauissi-

mi. Quare magnas agite gratias Deo trino eidē & vni, cui hoc die litamus. Nec cogitetis illum omnia fatis & casuum temeritati permittere: sed res suas sibi curæ esse: fouere idem, stabilire religionem, cupere exaltationem cultus & nominis sui, explorare humana omnia consilia, etiam altissima, scire quid immanissimo & crudelissimo hosti suo in mentem venerit, iam iam ferenti virus Mahumeticum gladio, quo semine primùm enatum est. Cui oportebat Duces, Reges, Principes Occidentis primo quoque conatu obuiam ire, ne vis mali latius serperet: & depositis priuatis simultatibus insolescenti Tyranno (duobus acerrimis stimulis ad alienas opes inuadendum instigato, ambitione nempe & cupiditate: hanc siquidem natura sanguinis Scythici, illam ætas 28. annorum suppetit) concordibus armis, animisq́; ostendere, quàm stulta, quamq́; periculosa res sit, inconsulto iuueniliq́; feruore belli artibus gloriam quærere: & gentem Christo deuotam impetere: ac suas copias, suas classes, suos exercitus, eosq́; gladios quibus vsi sunt hactenus, in semetipsos contra communem cuiusque nostrum hostem cōuertere: vt quas ille nobis cogitat inferre calamitates, aliquando ipse experiatur. Verùm ista frustra occinuntur surdis auribus. Teneunt supplices manus captæ vrbes, & Christianorum Regum auxilium implorant. Confidit sese breui ex crudelissima seruitute in libertatem pristinam restitutum iri Taurinum nuper captum. Constantinopolis Thraciæ nobilissima ciuitas, tot annos inter compedes ac pedicas immanissimæ seruitutis Turcicæ computrescens, adhuc liberationem à nobis expectat. Eubœa Cretam respicit, ad diui Marci signa ægrè aspirans. Verùm illi infœliciū calamitates & miserabiles querelas aspernantur, intestinis seditionibus intenti: nihil aliud secum animo versantes, nisi alter in alterum exercitus ducere, signa inferre, manus conserere. Quot enim nunc annos imperia Occidentis inter se commissa cernimus? & reges bellum vicissim propulsantes, & inferentes? dum interim populus agro & vrbe vastatus, cædium, rapinarum, proscriptionum pertæsus, ad delubra pacis & concordiæ infulas ac propitiatoria fercula circunferens, frustra bellum in Turcas clamat. O dira portētosaq́; præstigia, quibus humanæ acies sic fascinantur. Hispanis atque confœderatis gentibus speciosissimum videtur Italiam bustis Gallicis insignire: Gallis denuò palmarium per cæsorum cadauera vltra citraq́; alpes commeare: Heluetijs interim ambobus magno auro pugnam vel pacem suam cauponantibus. Heu fatalis furor vtrarunque partium. O incredibilem nostrorum temporum ignominiam. O insignem nostræ huius tempestatis maculam, quæ nullo vnquam tempore deleri poterit. Heu pietas, heu prisca fides maiorum nostrorum, qui priuata animorum studia defendendæ Christianæ Reipub. causa deponentes, copias, classes, exercitus instruxerūt, & reliqua ad diuturnum bellum necessaria collegerunt, quibus longinquas istas Asiæ regiones inuaderent. Nunc cedò ex Pontificum, ex Imperatorum, ex Regum ordine aliquem de imperij Christiani finibus ampliandis solicitum, & Alcyonem vidisse me gloriabor. Olim Vrbanus II. Pontifex Maximus habito ad Clarummontem concilio, ita Christianorum animos ad mouendum cōtra crudelissimos

delißimos Turcas istos bellum inflammauit, vt tercenta fortißimorum hominum millia in Sarrhacenos, qui eisdem auspicijs cum Turcis bellum gerebant, Hierosolymæ recuperandæ causa proficisci non dubitarint: & maximis itineribus, terra maríque celeriter superatis, Niceam expugnarunt, Antiochiam cœperunt, Hierosolymam, Heracleam, Tarsum, plurimáque alia oppida in Christianorum potestatem redegerunt. Carolus à rerum gestarum magnitudine Magnus, non contentus Hispanos, Saxones bellicosißimos & duræ repugnantisq́ ceruicis populos, Christi Iesu iugo subdidisse, quum audiret Hierosolymam graui Barbarorum dominatu oppressam, celerrimè illuc se contulit, & Barbaros profligauit, Christianósque in vrbem restituit, omni metu liberatã, ac firmis munitam præsidijs. Huc etiam cum Morinis suis extremis hominum Balduinus Flandrus, Constantinopoleósque Imperator venit. Venit Germaniæ Imperator, Fridericus Barbarussus. Quod si nunc contingat, digito cœlum contingam. O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni, erumpunt crebriùs, vel inuito mihi Demeanæ istæ exclamationes. Nam cogor alta silentia rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem. Neque continere me possum in tam publica morum & fidei calamitate, cernens ipsos ordinum ductores, æstro vindictæ percitos, frameam quam illis credidit Deus Optimus Maximus ad salutarem tutelam innocentum, plebeculæ suæ dearmatæ custodiam, fidei præsidia vibrandam in sontes, in noxios, in contemptores religionis, in hostes diuinæ maiestatis, stringere, ac fodere in cognata fratrum viscera (sumus siquidem fratres, cum habeamus communem omnes in cœlo patrem Christum Iesum.) Sed vt verè & liberè aliquando dicam quod sentio, nos veri germaníque Christianißimi effigiem nullam tenemus: vmbra tantùm & imaginibus vtimur. Hactenus Hercules & Liber pater (vt est in prouerbio) vlterius fortasse Christianæ libertati aqua fluere non videtur. In viam institutam ergo reuertor, & vos Equites bene sperare iubeo, quibus Christus Iesus, dum cæteri eam prouinciam negligunt, crudelißimum hostem numinis sui debellandum & triumphandum tradidit. Eia ergo spe bona, & animo pleni, duce Deo arma capite, ac retundite mihi nobili illo mucrone vestro, praeferocientes illos spiritus, in Turcarum vultibus eminentes: & quemadmodum Dauid Goliadẽ occidit, sic vos infame tyranni corpus, cultu indumentoq́ Barbarico tectum, quod ritu patrio post largas epulas, & amplißimam ingurgitationẽ, muliebria quæq́ agere & pati solet, gladijs vestris confodite: confossum Cassianis Brutijsq́ vulneribus vltricibus flãmis exurite. Quòd si tu fortißime Magister equitũ cum ista nobili sacraq́ militari cohorte tua effeceris, egregiã certè laudem & ampla spolia referes. Si enim Scipio clarus est, qui Hannibalem ex Italia decedere coëgit: si ornatur eximia laude Aphricanus, qui duas vrbes Romano imperio infestißimas deleuit: si est æterna gloria Mario, quòd bis Italiam obsidione, seruitutisq́ formidine liberauit: quanta te gloria putas manet? si Turcas Christianis finibus quibus imminent, excedere cogas, & legem Mahumeticam deleas, ac reliquam Catholicam Græciam, Cyprum, Cretam, imò & ipsam Italiam seruitutis formi-

Fridericus Barbarossa.

formidine liberes? Si enim hic vicerit hostis (quod Deus nolit) cõtinuò istas prouincias permagno ex diuersis gentibus comparato exercitu inuadet, vastabit, exuret, & miserrima seruitute opprimet. Accingere igitur gladio tuo super femur tuum potentissime Magister, & vos sacri Equites, estote fortes in bello, & pugnate cum serpente isto antiquo. Neq. moueant vos ingentes hostium exercitus: sed reputate animo quod res est, vitam & interitum hominum esse in manu Dei, qui non tam multitudini fauet, quàm pietati. Quoties, quæso, populo Israëlitico, locorũ angustijs circumuento, & parua manu cum innumeris gentibus Amorræis, Aegyptijs, Moabitis, Philistinis, Madianis, Cananæis, depugnanti, præclarissimas victorias concessit, hoste ad internecionem vsque cæso? Recenserem nunc (nisi breuitatẽ essem pollicitus) copiarum Xerxis, Darij, cæteraq. Græca & Latina historiæ prophana exempla, ex Iulij Frõtini Stratagematicõn Lib. IIII. nota, quibus apertè instruimur virtute & audacia, ad victoriam non numero opus esse. Rudis enim & indocta multitudo, vt inquit ille rei bellicæ scriptor, ad fugam & cædem semper exposita est. Quare Alexander Magnus, cum præter Macedonas suos vniuerso Illyrico innumerũ delectum posset indicere, nunquam maiores quadraginta millium copias duxit: inhabile regenti ratus quicquid excederet. Quapropter moneo vos Equites, vt ista obsidione geratis spiritus dignos nobilitate vestra, hoc est, egregios, audaces in prælio: siquidem maximum semper his periculum, qui maximè timent, audacia pro muro habetur. Quàm omnia ad bellum prosperè feliciterq. gerendum necessaria, quæ abundè adsunt, vobis addere & augere debent. Siquidem, vt omittam necessitatem pugnandi, quæ sola vel timidos fortes facit, armis ac militari peritia hostem superatis. Tenere enim licet vos loricis semper tectos, verticem tegit galea minaci crista emicans, pectore æneus splendet thorax, manus armantur ense & clypeo, pedes innodantur duro solidoq. ferro, neq. ideò minus ad saltum & luctam habiles, nam arma & ferri graue pondus leue facit vsus, ac quotidiana exercitatio, quæ vos belli stratagemata, artesq. edocuit, iaculum rectè emittere, tormentum excutere, hastam validè vibrare, gladio cæsim & punctim ferire, mari classem dirigere, & inter duo maxima ineuitabiliaq. mala, quæ animus meminisse horret, ignem & aquam, inuictos esse. Et timebitis, quæso, nunc septiuallo, fossa, mœnibus, muro centumpedali in præsidio vestro, in arce vestra, incredibili tormentorum machinarumq. apparatu instructa, quam annis ab hinc quadraginta contra tot Barbaros nudam & inermem defendistis, eam nunc relinquetis, nec pugnabitis duce hoc Magistro vestro Philippo Vilerio Liladamo, cui bellicæ omnes artes, ac fortissimorum Liladamorum patrio, auitoq. sanguine hæreditariæ ac gentilitiæ sunt, cuius solum nomen, victoriam & triumphum, se contemplantibus pollicetur? Siquidem Philippos ab equorum studio Græcis dicta vox perinde sonat Latinis, quasi dicas bellacẽ ac victorem. Nónne si colligamus gerenda gestis, huius tam felix, tamq. incruenta Sultanicæ classis expugnatio, abundè id temporis victoriam pollicetur? Eia ergo fortissimo & constanti animo obsidionem tolerate, aderunt ab occasu regum, ac or-

Rudis & indocta multitudo ad fugã & cædẽ semper exposita est.

ac ordines vestri, parata subitaq́; auxilia: & pugnam alacriter capessite, nec timete hostes tantum angusto scuto & ense, nudis femoribus dependenti contentos. Nam galea & lorica omninò non vtuntur, & prudenter: huiusmodi enim arma non decent stolidos & fugaces. Si res primo conatu non successerit, viros decent in acie stantes, paratos vincere, vel pulchram per vulnera mortem oppetere: quorum alterum optabile, alterum (si necessitas cogat virum) Christum simul & militiam professis non pertimescendum.

Hac oratione accensi Equites sunt, & Magnus Magister: dataq́; ei notitia est omnium, quæ nuper allatus obses manifestauerat: quem vt inueni vrbanè vestitum, ita moribus rusticum (Siquidem gens Turcica à pueris nulli officio, aut disciplinæ, sed tantum pascendo pecori assuefit) & ad omnia liberè, minimeq́; fucatè respondentem, Turcam classem parare in finitimis Cariæ, Lyciæ regionibus, delectum militum habere mittendorum in longinquas Hismaëlis Sophi prouincias, nec fefellit. Siquidem tyrannus, vt à nobis, quos omnia explorare non dubitabat, belli suspicionem auerteret, gentem vicinam duramq́; & bello natam, procul ad angustias Amani montis tuendas misit, ne inde Sophus in nuper acceptum Sultani regnum erumperet. Sed parum profuit dolus. Nam Magister stipatus armato satellitio centum delectissimorum iuuenum, quibus præerat F. Ioannes Bonauallis, pollens viribus & decora facie, eques Auernus, vt obsidendis animum adderet, muros, stationes, locaq́; singula obequitauit: impigrè suorum & hostium res pariter explorans, quid boni vtrisque, aut cōtrà esset, inquirit. Molem molendinariam munire iubet: qua parte Occasum spectat, mariq́; haud alto alluitur. Franciscus Fresnayus Romangius eques Gallus, morum facilitate, liberalitateq́; omnibus acceptissimus, qui postea ad stationē Italicam pugnans occubuit, loci & magnæ onerariæ nauis sacræ militiæ præfectus, mandatam prouinciam summa cura atque industria exequebatur. Nam ante molē quam aggere, contabulatisq́; turribus ac vasis luto & terra madefacta impletis munierat, tormentisq́; variæ magnitudinis, vt cuique aptum visum est, loco dispositis firmauerat. Naues magnæ minorisq́; formæ saburra, saxoq́; grauatas, paululū à muro altiore mari depressit: quarum obiectu impedimentoq́; triremes hostium, à loco prius machinamentis, audaciaq́; militum expugnabili remotius arcebantur. Portus septus est valida ferreaq́; cathena immanis ponderis transuersum ante fauces proiecta, trabibus etiam quæ supra vndas natabāt validis anchorarijs funibus inter se connexis, quæ à turri molendinaria ad arcem Nicoleā obliquo tractu protendebantur: quo opere vsus maris hostibus ademptus est, elusaq́; maritima oppugnatio, postulata & commissa tam ceteris pyratis Turcensibus. Cortugolo, cuius frater in Robore, carcereq́; Rhodi [illegible] diu squaluisset admotus obsidione hostili, inter mille & amplius Turcas, publicis operibus insolens, aura & lucis diem extremum obijt cum alijs multis: quos tam hostium foris immissa tormenta, quàm domesticus ex [illegible] vigilando, agendo, festinando, portando omnia debilitatos [illegible]. Plures præterea in tumultu quodam populari temere exorto, miserabiliter occisi sunt. Nec

Turci pastores.

Ioannes Bonauallis.

canum melior quàm Turcarum fortuna fuit. Hi enim quòd in culina pascantur, & cibatu qui homini proprior est, à pueris tota vrbe supplicio affecti sunt. Magister equitum ne quid imparatum inexpertúmue sineret, paratis omnib. ad bellum necessarijs, ciues ad se in Prætorium vocatos in hanc

Oratio magni Magistri.

sententiā alloquutus est: Magnanimi viri, ciuesq; optimi, audimus hostem Turcā permagno ex diuersis gentibus collecto exercitu ad nos properare. à cuius innata crudelitate, solitaq; perfidia, nisi nos ferro vindicemus, mihi equitibusq; meis, ac vobis etiā vnum & cōmune periculū est. Siquidē vnanimi conspiratione & opera, res eius grauiter terra mariq; afflximus: præda ex agris eius vi abacta, estis locupletati. Gentem suā hodierno etiam die graui seruitute opprimimus, iniuria ille nos, iure optimo dicimus. Siquidē maiores sui specus subterraneos & tenebrosa antra Caucasæ rupis amplius non ferentes nullo iure, nullo titulo, nulla causa, sola auaritia & dominandi cupiditate, odioq; sanctissimæ religionis nostræ irritati, Christianos Syria expulerunt. Deinde Græcos sua Græcia non vna morte gentis contenti, sed (vt semper fera & immanis est barbaries) animam varijs exquisitisq; tormentis eripuerunt. Quos iste supra ætatem malus & arrogans puer omnibus grauis accola Arabiæ, Syriæ, Aegypti, regni Persarum, magna parte totius Asiæ dominatu, tot præterea locorum ac populorum imperio nō contentus, tyrannide, cæde, bello, rapinis perfidia, odio, impietate erga Christū & homines superare conatur; & nostras insulas, terrásque Christianorum vniuersas occupare mirabiliter laborat, vt tandem rerum omniū & mundi Dominus, diruat Christianas vrbes, Christianos obtruncet, Christianum nomen sibi tantopere inuisum penitùs deleat: quam non ferendam iniuriam vt propulsaremus, sedem potissimùm in hac Rhodiensi insula delegimus: quòd hic locus ad bellum Barbaris inferendum visus sit cæteris opportunior. Fecimus quantum in nobis fuit, adiuti sumus à vobis, experimento cognouimus, quanta sit virtus, fides vestra, quam ne nunc mutetis, nulla suspicio. Quapropter non agam multis, vt in fide & officio permaneatis: nec longa ambage ad virtutem vos hortabor, quā fortibus verba nec addunt, nec demūnt. De me ac equitibus meis diuo Ioanni deuotis parcè quadā loquar. Sum cum his, quibus (vt spero) aderit principum Christianorum & aliorum equitum meorum qui in Occasu sunt, peropportunum auxilium, paratissimus defendere vos, liberos vestros, coniuges, fortunas, fana, monumenta maiorū vestrorum, & cœlestium deorum delubra. Quā opinionem, vt fixam, immotámque vestris mentibus retineatis, efficere possunt (ne quid dicam aliud,) fidele ingenium meum in bello, nec segne omnino, nec rude corpus, sana & perpetua valetudine ferendis laboribus, & excubijs aptissimum, equitum meorum nobilitas & amor erga vos, inimicitia in hostes: vrbis præterea fortitudo, quam hic sacer & nobilis Ordo ingenti pecunia aduersus omnem tormentorum vim atque impetum sic egregiè muniuit fossa, vallo, muro, mœnibus, turribus, propugnaculis, vt nulla sit ciuitas quæ huic nedum præferri, sed nec æquari possit. Ad hæc armorum, telorúmque incredibilis copia, vinum, caro, frumentum

sub

sub terris conditũ, ne humor, aër, gurgulióue corrumpere poßit, mirè abundat: hominum ad bellum aptorum haud paruus numerus. Lignorũ magna vndiq; strues. Aqua saluberrima. quæ inclusis obseßisq;, plurimũ ad varias necessitates vtilis esse solet, larga & indeficiens vbertas: quæ omnia certam victoriã, certißimum & optatum belli euentũ nobis spondent. Addo quòd ex nostra parte pugnabit neceßitas, pugnabit fides, pietas, constãtia, pugnabit amor patriæ, amor libertatis, amor parentum, coniugum, liberorũ. Illic voluntas magis ducum quàm militum perfidia, impietas, inconstãtia, desiderium vestræ seruitutis, odium parentum, coniugum, liberorũ vestrorum. Procul dubio (carißimi ciues) non sinet Deus optimus tot tãtasq; virtutes ab istis vitijs superari. Estote ergo animo pacato & securo, nihil hostile, nihil ominosũm metuentes. Tantũ in fide, quã tot annos difficilimis bellorum & fortunæ casibus impliciti, sacro militari ordini illæsam seruastis, permanete: & si necessitas postulet, armis dextrisque virtutẽ vestrã hostibus osten dite, fidem facite Hispanis, Gallis, Pannonijs, Italiæ, Britanniæ, Rhodios homines posse Turcarum spiritus reprimere, illorũ classes & exercitus ab Italia auertere: cui tot annos ferrũ & flãmas minãtur. Ad quam mirabiliter festinant & peruenient, si (quod animus abhorret dicere) hic vicerint. neq; enim ambitiosus iste puer. animo, perfidia, crudelitate Hannibalem superans, Hannibalem imitabitur, qui facta ingenti ad Cannas Romanorum strage, victoria vti nesciuerit: sed continuò celeritate Iulium Cæsarem vin cens, expositis omnibus opibus Aegyptijs, quas pater in direptione Cairi reperit, Apuliã, Calabriam, Siciliam magna classe, magnis exercitibus inuadet. Inde in Gallias irrumpet, mox petet Hispaniam, cæterásque Christianorum regiones, omnéque crudelitatis genus in vniuersos exercebit. Sed altiùs me rapit oratio quàm velim, aut opus sit. Fides enim & virtus vestra, Magnanimi ciues, in tolerãdo & oppugnãdo hoste firmior est, quàm vt oratione indigeat: constantior, quàm vt malis quæ inclusos obseßosque pati necesse est, confringi poßit, quanquam illa quæ verè mala sunt, famem & sitim, omnino non sentietis Quas tamen populi aliquot, fide, virtute, & animo vobis nequaquam comparandi, constantißimè pertulerunt. Siquidem Petilini à Pœnis obseßi, parentes & liberos propter inopiam eiecerunt, ipsi corijs madefactis, & igni siccatis, folijsque arborum & omni genere animalium victum trahentes, vndecim mensibus obsidionem tolerauerunt: nec antequã vires ad standum in muris, ferendáque arma deerant, expugnati sunt. Casillini obseßi ab Hannibale, murem centum denarijs emerunt. Excubias in stationibus agere necessarium erit: domorum ruinas si tormentis iaculata saxa inciderint, æquanimiter tolerate. Sed reparari poßunt hæc mala, & minora sunt, quàm vt ideo deditionem faciamus hosti, in cuius clementia fidéque nulla spes est. Præterquam enim quòd natura crudelis & perfidus est, tum nobis qui illi tot mala intulimus, à quibus solis sibi, vt ait, dominatori terræ & maris, quo eum sæpe deturbauimus resisti dolet. nullo modo mitis, fidelisque esse poterit, quos toties Marte aperto, vi publica, ingenio, astu, dolo, fraude adortus est: verùm semper conatu irrito, opitulãte

Petilini à Pœnis obseßi.

Casillini obseßi ab Hannibale.

nobis Deo Optimo Maximo, quē ante omnia velim (charißimi ciues) propiciemus. Nisi enim ille custodierit ciuitatem, frustra vigilant custodes.

Postquam omnium animos alacres vidit, cohortatus vt petitionem suam curæ haberent, conuentum dimisit: & solennem supplicationem, quā etiam dies tempusq; anni expostulabat, ad fanum Deiparæ Virginis indixit, comitatus sacram maximamq; hostiam, latam circum omnia compita medius inter paludatos equites, sequente maxima hominum multitudine, Deum optimum maximum precatus est: vt bellum quod instaret, bene feliciterq; sibi, populo Rhodio, & nomini Christiano eueniret. Respondere omnes rem diuinam ritè peractam esse, precationi annuere cœlites, iri posse quò vocaret Christiana religio & inimicorum audacia: Deū & sanctißimum tutelare numen omnia læta faustáque portendere, vrbis protectionem, victoriam, & triumphum: quæ dum vulgus (cui plerunq; plus animorum quàm consilij est) festiuißimè ante bellum cantaret, viros primores prudentiorésque magna cura occupauit: qui summo studio vt vulgo feliciter opinata cōtingere possent, procurare non cessabant. Inter quos frater Clemens Pontifex Græcorum clarus, abstinentia, & ingenio, nec non Græca facundia meritò connumerandus est: qui Græcos suos ex vetere fortuna olim stupenda orbi, animum adhuc retinentes, oratione quàm appositißima ad obsidionē fortiter strenuéque tolerandā est cohortatus, loco publico, pro basilica mercatorum, & ante sacram imaginem Deiparæ Virginis è summo primarióque fano gentis allatam: vt oratio hoc modo luce religionéque commendatior, cui populus ille alioquin deuotißimus est, benignioribus auribus accepta, efficacem magis aculeum in animis audientium relinqueret. Sed nunc orationem ipsam adscribo:

Clemens Pōtifex Græcorum.

Optimi, Magnanimiq; Dores, rumor aut veriùs certitudo belli, quod nobis instat, diuersißimas inter se res gaudium & metum, in animum ingeßit meum. Neq; profectò scio, vtro magis commouear. Nam dum tacitus mecum classes copias, exercitus, vim magnitudinémque hostium mente reuoluo, totus tremore horreo. Verùm dum animus æger ex solicitudine (vt fit) in spem rapitur, atq; in admirationem præsidij Latini, & fidei fortitudinisque Græcorum repentè mutor, & is qui non eram, fio: ex solicito liberrimus, ex pauido timidoq; audax, è tristi alacer & gaudens: spondeoq; mihi titulos, spolia, exuuias, victoriā ac triumphum de immanißimis hostibus. Et si me benignis, vt cœpistis, pergatis audire auribus, aperiā vobis spei & pollicitationis meæ rationem. Sed inuocato prius Christi Iesu Dei nostri optimi maximi, & Deiparæ virginis Mariæ auxilio, ante cuius imaginem sacrosanctam conuenistis, in quo primam, maximámque victoriæ nostræ rationem pono: hinc sensim ad humani ingenij vires, consiliáque mortalium descendens, cerno generosißimorum Equitum constantißimam fidem erga Deum, erga Rempublicam: cum qua collata illa Marci Attilij Reguli, multū lucis dignitatisque amittit. Video horum nobilitatem, ad quodq; maximum facinus sic animatam, vt nullo cruciatu, nullo metu inde terreatur. Aspicio vrbem inexpugnabilem muro, mœnibus, propugnaculis, vario

genere

genere tormẽtorum, multiplici commeatu, omnibusq; alijs, quæ ad nostram salutem, hostium excidia pertinent refertißimam. Tamen liberè dicam, quod sentio meo more, neq; ad gloriam vestram, nec ad Latini præsidij vires nimium eleuandas. Hæc vrbs contra tot hostium conatus, tantas Barbarorum copias nihil potest, nihil etiam valet Latinum præsidium, nisi coëat fortitudo & fides Græca: quæ ne Latinis tam necessario tempore fraudi, doloq; sit vos precor, non quòd hic prece multum opus putem: sed quòd sciam Turcas vos hortaturos, vt à Latinis desciscatis. Quid enim est illis optatius, quàm vno tempore & vos circumuenire, & nefario scelere vos obstringere? Aut quid irati grauius de vobis sentire possunt, quàm vt eos prodatis, qui se vobis & omnia sua crediderunt, & in eorum potestatem veniatis, qui se per vos perijsse, ac tot damnis, tot cõtumelijs, totque iniurijs affectos æstimant? Redeat obsecro in memoriam, maiorum vestrorum fides, non domestici scriptoris, sed externi Latini T. Liuij, omnium mortalium iudicio digni, cuius inuicto calamo, inuictæ populi Romani res gestæ conscriberentur, testimonio celebrata: qui multa egregia erga populum Romanum terra, marique ausi sunt. Nam cum Antiochus Philippum Macedonem aduersus Romanos exercitu, nauibusq; adiuturus videretur, Legatos ad regem miserunt, si non contineret copias suas, se obuiam ituros: non ab odio vllo, sed ne coniungi cum Philippo pateretur, & impedimento esset Romanis. Quæ honestißima legatio cum parum profuisset, Rhodij Romanos adiuuantes, Antiochum regem fusum fugatumq; & exutum castris, prius Europa, post Asia, quæ cis Taurum montem est, expulerunt. Quare meritò à Catone quinto Originum libro (vt autor est Gellius) appellati sunt optimi fidelißimique socij Romanorum, quibus nec animum duntaxat bonum, ac fidelem præstiterũt: sed etiam naualibus prælijs, quæ multis locis facta sunt, omnibus adfuerunt: nec labori suo, nec periculo vsquam parcentes: & quod miserrimum est in bello, cum Mithridates Asiam occupasset, Q. Oppium proconsulem, item Aquilium Legatum in vincula coniecisset, iussuque eius quicquid ciuium Romanorum in Asia fuit, vno die trucidatum esset, obsidionem, cum soli in fide Romanorum permanerent, paßi sunt. Et in dissensione ciuili inter Antonium, & Octauium vltores necis Cæsaris, & Caßium ac Brutum, cum petijssent, si in ciuili discordia à partibus abstinere, & æquè omnes Romanos colere non liceret, tantisper dum ipsi ad senatum mitterent, bellum differri, vt ex eius autoritate arma caperent, inuasa mox vrbe cum ira victoris cuncta quæ collibuisset, in matronas, in virgines esset operata, omnib. bonis mulctati sunt: frustra misericordiam cum multis lachrymis rogante venerando sene Archelao, à quo Caßius Rhodi Græcè fuerat eruditus. Nam Aeschines cum à Repub. excidisset, huc doctrinam Athenarumq; studia intulit: fuitq; Gymnasium ea tempestate hic florentißimum: in quod cum Aristippus philosophus Socraticus, naufragio in littus nostrũ eiectus diuertisset, & de philosophia disputasset, magnis adeò muneribus est donatus, vt non tantum se ornaret, sed etiam eis qui vnà fuerant vestitum & cætera quæ opus essent, ad victum præstaret. Hoc Gymnasio Tiberius,

postea Romanorum Imperator amœnitate & salubritate insulæ captus, sine lictore aut viatore sæpè obambulans, mutua cum Græcis professoribus officia vsurpabat. In quo, vt Antenodorum audiret, Cato huc ab exercitu nauigauit. Cicero, quem vnum Latini contra tot nostros rhetores & philosophos obijcere solent, quiq; primus, vnusq; cuncta philosophiæ dogmata à Græcis accepta, eis tradidit. Hic Apollonio, qui eum tantũ, quantus est, effecit, operam dedit. Et quam gratiã reddiderunt oro Romani Græcis? à quibus omnia honestatis probitatisq; exempla, omnem armorum literarumq; scientiam accepere, quorum fideli opera & industria domi. forisq; imperij sui ditiones propagarũt: Nẽpe Cassianã, vt audiuistis, & Rhodiorũ. quos ideò superbiæ insimulabãt, quòd sese superari superbia æstimarẽt, opibus diripiendis intenti, infensiq; fuerunt, gentem vetustissimam nobilissimamq;, vel fama rerum gestarum, vel omni commendatione humanitatis, doctrinarumq; ciuitatibus, quas non tam liberaliter, quàm meritò ob nauatam bello Macedonico & Asiatico operam dedere, mulctauerunt. Neque hac iniuria contentus Vespasianus, Rhodum cum adiacentibus insulis adempta libertate, in prouinciæ formam redegit. Verùm optimi maiores vestri, tot alijs supra alias affecti iniurijs, magis quid illos deceret cogitantes, quàm quid mereretur aliorum improbitas: vtq; leuitatis ac perfidiæ notam fugerent, semper in fide Romanorum permanserunt. Vos quid nunc facere conuenit laudatissimi viri, tam præclara substantia, & fidei domestica monumenta animo reputantes, pro Christo Iesu Deo & homine, pro sacra militia, quæ non modò æquis legibus, & facilimo imperio, vos semper indulgentissimè habuit, sed etiam fouit, nutriuit, locupletauit? Ingrati, maliq; animi est reticere, quorum beneficio sis adiutus. Ingratissimi, pessimique verò, non rependere gratiã cum possis & debeas, cúmque omnimodo opus sit tua ope. Defendetis ergo hoc necessario & difficilimo tempore Rhodios, in quos nulla ingratitudo perfidiáque vnquam cecidit. Qui liberi etiam aliorum libertatis causam egistis, sacrum militarẽ Ordinem, arcem Equitum, imò capita, focos, aras & fortunas vestras, quibus insultat, & vltima exempla parat perfidus Tyrannus, hostis fidei ac religionis, quam à maioribus vestris accepistis: pro cuius dignitate gloriáque asserenda, nullum discrimen, ne mortem quidem certam intentatámque fugere debetis. Sed cùm vos considero Græci fidi, fortes, pij, ac vt vno nomine omnia complectar, verè Christiani, cùm Equitum Latinorum audaciam nobilitatémque æstimo, magna me spes victoriæ tenet. Ite igitur duce Christo Iesu, Ioannis Baptistæ, ac sanctissimi Equitis Georgij, secunda fiducia contra gentem impiam & nefariam perfidam, quæ nunquam virtute, sed semper occasione freta vicit, nullam regionem, nisi domesticis malis ruentem occupauit. Eunuchos seruos Orientis, imbelles Syros, fugaces Persas, aliósque quos tepens Pharius & leuium populorum nutritor Nilus emittit, tenero perlucentes amictu: & vix leue pallium vitando sole tolerantes oppugnare solitã: non Rhodios, qui istas primum gentes cum Imperatore suo Memphitico Halbuzato ingenti & fœda cæde ferè ad internecionem vsque deleuerunt, & iterum ad-

iuti

iuti à Pontifice maximo Calisto III. Quique ipsorum Turcarum obsidione tantùm nouem & octoginta dierum, octo millia præter quindecim sauciatos morti tradiderunt. Sic enim numerum init Cauorsinus quasi pollinctor mortuorum, & vulneratorum omnium chirurgus. Vidit sollætus spectaculo, audierunt diuersarum terrarum populi, intra paucos dies euersores Asiæ atque Europæ ab Ambusono vno, vnius Græcæ gentis duce stratos, cadaueribus suis eam terram metientes, quam pugna committenda sibi spondebāt. Si Diuina pietas, ductu auspicijsq́; Ambusoni vos, quos genus Christianum iuxta ac veteres illos Græcos heroas iampridem intuetur, tanta cæde hostiū, tam celebri triumpho insignire voluerit: quid creditis Christum Deum opt. max. socio tutelari numine iam ministerio vestri, ac serui sui Liladami principis, verè optimi & nobilissimi, aduersus crudelissimos hostes suos acturū? certè mens maiora omnino concipit, quàm exprimere audeat. verùm euentus rectius spem pollicitationémque, qua me vósque animaui, dubio procul confirmabit.

Mirum in modum Græcorum animi hac oratione accensi sunt. nam ducitur, rapitúrque hac gens inter cæteras maximè nationes laude & gloria, tantúmque suadendo & hortando hinc inde apud homines effectum est, vt hostis magis cupidus sit, quàm detestatus: nec diu multorum stultas voces infeliciáque sibi vota remoratus est. Quadam enim nocte e latis specula ignibus in hostico signum dedit: missaq́; est extemplo cum Lembo armata militaris Triremis, & in ea Castrophilaca interpres. qui cum in portam processisset: Commodius, inquit, vnus hostium turma equestri circumfusus, si in terram egrediaris. cùm id facturum se negaret: quid, inquit, Xayci fortunam metuis? Ad hæc ille minaci & Rhodio animo, Xaycus quem contra fidem sacramentúmque cepistis, nihil me solicitat. Nec vos, quibus non credo, metuo. cum sermonibus de industria compositis vellent tempus protrahere, poma remigia deijciētes: aut paucis, inquit præfectus de puppi loquēs, mandata explicate, aut hinc facessite, nisi malueritis actutum bombardis obrui. Barbari primùm equis & arcubus ferocientes vno verbo attoniti obsignatam epistolam super saxum quoddam ponunt, ibi mandata contineri, & cum dicto calcaria adigētes, cursu quàm cōcitatissimo aufugiunt. Epistola autem talis fuit sententia:

SOLYMANVS TSACCVS DEI GRATIA REX REGVM, DOMINVS dominantium, Maximus Imperator Byzantij & Trapezuntis, &c. Reuerendo patri Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro Rhodi, Equitibusq́; suis, & vniuerso populo.

Commouerunt me afflictissimæ gentis meæ commiseratio & summa iniuria vestra. Impero igitur vobis per celere insulæ & arcis Rhodiæ deditionem pie vltroq́; concessa gratia, securè abeundi cum omni preciosa supellectile: aut si libet manendi sub imperio meo, in nullo nec tributo quidem minuta libertate aut religione vestra. Si sapitis, præferte amicitiā et pacem bello crudelissimo. Nam victos vi manet acerbissima omnia, quæ victi à victoribus pati solent: à quibus nō defendent vos arma domestica externáue

auxilia,

auxilia, nec ingentes muri, quos radicitus euertã. Valete bene. Quod nunc demum fiet, si potius quàm vim, amicitiam malueritis, quæ neq; fraudi neque dolo vobis erit. Iuro Deum cœli, terræq; auctorem, iuro quatuor Euangelicæ historiæ Chronographos, vicies quater mille prophetas lapsos è cœlo, summumq; inter hos nostrum Mahumetem, adorandos item Manes aui patrisq;, tum hoc sacrum augustumq; meum imperiale caput. Ex regia nostra Constantinopoli. Huic cum alij acerbius, quidam lenius, quisq; pro ingenio suo respondendum sentirent, nihil est responsum. Eodem die qui mensis Iunij decimus quartus fuit, appulerunt ad Cos insulam, Hippocrate suo, Veneréque Apellea non minus quàm solo cœloq; nobilem, triginta Triremes hostiles: harum præfectus leui præsidio in nauibus retento, militemq; fermè omnem in terram exposuit, ad exurenda tecta & frumenta quæ iam prope maturitatem erant, atq; ad vicos, agrosq; depopulandos. Verùm

Praianes.

Preianes insulæ dominus vehemens, impiger, summæ audaciæ vir, accensus indignatione, funestam illis hanc populationem fecit. Nam expedita manu peditum, cum tumultuario equitatu leuis armaturæ erumpens in prædatores, per segetes, per agros palantes, clamore classico, strepitu armorum simul à diuersis locis facto, tantum terrorem Barbaris iniecit, vt cæcis & lymphaticis nedum fugientibus similes, sine vi, sine defensione, in obuia tela armaq; incurrerent: nec, nisi naues littori propinquæ plerosq; trepidos & fugientes excepissent, superfuisset cædi aut fugæ quisquã. Ita re infeliciter gesta, præfectus naues inde auertit, nec postea littus attigit. Rhodij haud minori ardore quàm Turcæ, in Langone cœperunt agros, camposq; suos deuastare, & ex eis quæ diutinæ obsidioni tolerandæ necessaria erant, in vrbem importarunt: exciderunt arbores, confregeruntq; omnia suburbana,

Gabriel Pomerolus Promagister moritur.

& quicquid amœni sanctiue prope vrbem infra lapidem stabat, demolitum, soloq; æquatum est, ne hosti integrum vsui commodoq; foret. Persuaserat hoc pridem populo, F. Gabriel Pomerolus Promagister, ærarij trium vir, spectandus domi forisq;, facundus, callidus, amicitia facilis, multasq; alias bonas animi & corporis artes possidens. hic postea in anticuniculum, via admodũ incõmoda gradiens, pede lapsus, læso paululùm capite, ilia perfregit: paucisque inde diebus extinctus est. Nunc orationem ipsam adscribo:

Ornatissimi ciues, auditis Turcam ingens bellum moliri terra mariq;: erga quem incertum, signa ostendunt aduersus vos, militiamq; nostrã. Laborandum igitur ac prospiciendum nobis communiter omnibus, ne ab hoste immanissimo imparati offendamur: neue negligentia aut imperitia nostra illi vires addat. Statuit igitur magnus Magister vicinas vrbi arbores excindi debere; domos dirui, ambitus murorũ qui foris sunt solo æquari: quod vt sinatis, rogat & iubet. Compertum est enim, relatione militũ qui vrbes defenderunt & oppugnarunt; hæc posse obsessis nocere & hosti prodesse: à quo vobis fortunisq; vestris idem quod nobis & commune periculum. Nam in eadem, vt dicitur, naui nauigamus. Magister, quem hoc difficilimo tempore magnum & sapientem virum esse expertus sum, omnia leniter & modestè cum populo, cum equitibus agens, etiam vbi res poscebat grauiter: vt

alios

alios exemplo confirmaret, viridarium suum stationi Gallicæ præiacens, haud dubiè amœnissimum, primus demoliri, extirpariq́; præcepit. Dum per hunc modum omnia amœna, iucundaq́; aspectu deformantur, tristius omnino deforméque magis spectaculum erat, quod vrbem propè maiori luctu mœstitiaq́; confecit, quàm ipse aduentus hostium: miserabilis scilicet multitudo incondita turbæ agrestium hominum, ligna, frumentum, pecora, legumina, aues cortiles, cæteraq́; necessaria vsibus, & quib. diuturnior obsidio sustineri posset, ex agris (quod Magister iusserat) vrbi inferentium: quos immista ac circumfusa turba sequebatur, puerorum ac mulierum plorantium, quæ sparsis crinibus genas, faciémque suam, consuetudine patria, fœdè laniabat: supinas manus ad cœlum, ad Deum tendentes orabant, vt claram Rhodum ex flamma, ferro, peneq́; fati faucibus eriperet: matrésque Rhodias & liberos paruos inuiolatos seruaret. Colluuio ista agrestium in arcta tecta cum vrbanis locatorum, animantiúmque omnis generis, cœlum graue morbosq́; fecit, contagiosos tamen magis quàm perniciales, profluuium alui & febrim. Verùm cum istorum brutorum maxima pars, decrescente annona, impasta neglectaq́;, ac sæpe morbida per strata, per vicos relinqueretur, maioris & pestilentissimi prorsus mali seminarium factũ est: quod verò post fugã, deditionemq́; nostram, vim suam in hostes & miseros qui remansere Christianos, sæuè exercuit. Nec intacta ab hoc malo fuere obsidentium nos hostium castra. facilè enim à tactu mutuaq́; familiaritate morbũ contraxit gens immunda, incompositaq́; multitudo: cui cibus caro præter suillã vix semicocta, massaq́; tritico manu molito facta, atq́; in carbonibus decocta, humi vt pecoribus pabulũ & stratũ cõfecta vigilijs sitiq́;. Nã iudex vrbis venerabilis & exactæ iam ætatis vir, pabulum & aquarũ fontes lino putrido, aliaq́; simili materia corruperat, quã vẽturũ credidit hostẽ. Qui priusquã tota classe ad insulã obsidendam descenderet, arte atq́; insidijs vsus, cum XX. longis nauibus, reliquis aliquot auxiliaribus cũ supplemento in statione ad Gnidum promontorium, haud procul ab vrbe Rhodo atq́; in sinu Symæ insulæ (quæ Rhodiorum est) relictis, per continuatos aliquot dies fretũ, medium inter oram Lyciæ & Rhodum insulam nauigauit: cogitans isto modo ad nauale certamen è portu nos elicere. Spem enim habebat optimo sanè cum consilio propositam, si respondisset euentus, aut nauali prælio vincere, quod tunc temporis non multò minus fuisset, quàm Rhodum expugnasse: aut res nostras destructo inter pugnandum flore militum hominumq́; nauticorum, plurimum debilitare posse. Qui cum nullo fine facto nunc ad medium vsq́; fretum veniret, nunc in altum regrederetur, inde iterum ad portum propè procedens, classem in conspectu explicaret, plerisq́; cùm ætate, tum ingenio feruidis. quibus non tolleranda superba ista fiducia videbatur, consiliũ haberi placuit, faciendúmne periculum naualis certaminis foret. Cancellarius sacræ militiæ idemq́; ærarij Triumuir, multis illustribus factis domi belliq́; clarus, animo immoderato, incredibilia nimis alta cupienti, ingenio magno varióque, copia dicendi larga & exuberanti, quã prouectiori iã ætate cũ in pueritia literis nõ vacasset, feriatus à bellis, Cancellarius nauale prælium committendũ suadet.

Q nego-

negotijsq́, cùm publicis, tum priuatis, quotidiana lectione omnis disciplinæ autorum sibi præparauerat. Plinium enim ita nouit, vt nemo melius nomẽ digitósque suos: cui ad summũ honorem Magistratumq́, nihil obstitit, nisi nimia inconsultaq́, honorum cupido, negabat cessandum esse. Aut enim, inquit, vt erat lingua immodicè liber, ingens ista classis, ad cuius nec dũ vim aut aspectum, sed solam famam pleriq́, contremunt, quæ tamen noua non est (nã singulis annis venire ad nos solet) his piraticis nauigijs veluti membris caput iungenda est, & tum vtilissimum fuerit, quod quidem superioribus robore nauium, numero, & virtute militari facilimum est, capiti membris defractis, huiusmodi dolorem atq́, ignominiam infligere, vt perpetuò inde langueat: vel nulla alia quæ in nos fabricata sit, classis istam sequitur. Quod mihi (fremant licet homines, qui vmbram suam ac cœli ruinam metuunt) verisimilius videtur. Nec enim tam vecors est Turca, vt hoc sero anni tempore, post septimum Calend. Iulias, huc moueat parte æstatis, ad oppugnandam vrbem commodiore exacta, & quam vrbem? munitissimam, nullius idoneæ rei egentem, validissimo firmatam præsidio: vnde maiores sui semper cum clade & ignominia repulsi sunt. Cui prius quàm cuncta expugnandis vrbibus reperta apud veteres, aut nouis ingenijs inuenta admoueat, reliquum omne æstatis transierit. Hyeme autem cùm vbique incõmoda sit oppugnatio, tum insula incõmodissima: præsertim hac, in qua non portus vllus, non consistendi vsquã locus. Quin igitur Deo & tutelari numine bene iuuantibus, imus hosti superbissimo obuiam? Sed vno minaci indictulo ab adolescente anxio, ne classem suam aliò destinatam, à tergo inuadamus, dolo fraudeq́, ad nos transmisso desides intra muros, mœniaq́, nostra complosis manibus sedemus, nusquam metu ac pauore trepidi caput efferentes, timiditatem atq́, segnitiem nostram vocamus, si Dijs placet, artes Fabianas: & vtinã Fabij essemus, non potius Antiochi, Actholi (quorũ omnis ferocia in verbis) Vitellij, credentes sedendo, aut votis debellari posse. Verùm, non votis, neq́, supplicationib. muliebrib. aut his sensib. cõsilijsue, quam timidi cauta vocant, auxilia Dei parantur: vigilando, agendo, prosperè omnia eueniunt. Propalàm his ferociora dicendo, tantum apud multitudinẽ effecit, quæ plerunq́, ex incertissimo animos sibi sumere solet, vt sibi pugnã deposceret: velle ait se abolere indignitatis maculã cæde & sanguine hostiũ: non esse se sine armis, sine animis, sine manibus. Patribus, sine quorũ consilio, Magistro quippiam decernere ius, fasq́, non est, visum in hac rerũ difficultate, fortunam non esse tentandam, lictoribus tantùm, & à populationibus conscriptis ad hoc mille viris, hostem arcere placuit. qui cum videret spem suam eludi, retroagens classem ad Villam Nouam (sit loco nomen) duodecimo ab vrbe miliario iactis anchoris descensionem fecit. Segetibus tantùm, quæ prope maturitatem, & pro derelicto habitæ erant deuastatis. Nam hominum, quod aut in vicis, aut in agris erat, iam in vrbem castelláque sparsa per insulam hac illac munitiora concesserant. Quam iniuriam dum vindicatum iret leuis armatura equitum, misso ad hoc nuncio à magno Magistro redire iussa est. Prudens enim dux, militem ad maiores

iores rerum casus seruabat: qui tota obsidione non ducem, sed etiam militem egit, & interdiu aliquando cum his cibum cepit, noctu sæpissimè ad tertiam vigiliam in stationibus mansit: aut obambulans, aut fortuito sedili è ligno, vel lapide insidens. In oppugnationibus ferocior quàm Patribus placeret, nec tela, nec hostes formidans: semper tamen cauta potius consilia cũ ratione, quàm prospera ex euentu probauit. Fuitq; (quod mireris) inter tot curas, tam varios & ancipites casus, semper eadem vultus gratia & maiestate: quem intuentes venerabantur & amabant. Huic addendum, quòd quicquid otij ac quietis à curis, ab oppugnationibus, à naturali vsu, & desiderio corporis habere poterat, id totum in preces, & rem sacram conuertebat. Sæpissimè enim maximam noctis partem solus ante altaria thorace tãtùm & galea, manicisq; depositis, orando, psallendoq; transigebat. Palàm equitum & populi vox erat, nihil timescendum: Rhodum magni Magistri vigilantia precibusq; inuictam futuram. Rhodus vigilantia precibusq; magni Magistri inuicta.

Nunc restat operis difficilimi pars laboriosissima, nunquam sine ingentissimo luctu, atque mœrore omnium hominum nedum meo memoranda. Nempe, in qua vrbis nobilissimæ semper lugenda deditio, & miserrima Hierosolymitanorum Equitum fuga continetur. Quam quis fando, audiendòue temperare sibi à lachrymis potest, meo quidem iudicio modicè Christianus est, aut parum prudens malè intelligit, quantum victoria Rhodia vires Turcicæ auctæ sint, nostræ accisæ. Verum nunc omnis querela, etiam necessaria sera est, atq; ingrata. Quandoquidem Occidentis Principes, qui obsidione moti non sunt, neq; excidio commouentur, poti calice furoris, indignationis & iræ Dei, quod vtinã iuuenili meo tantùm calore effuderim. Sed vereor, atq; adeò vereor, ne repugnãs reluctãsq; dolori meo verã vocẽ efferre sim coactus, & ne hi qui immisericorditer aliorũ miserabilissimas querelas aspernãtur, iubentes quenq; saluti suæ consulere, dicentes secũ, non continget malum, nec flamma, nec gladius hostilis nocebit nobis, mox ad palinodiam adacti, Hieremiæ vatis fatale, ac lachrymabile carmen recantare cogantur: Ecce gentem à longinquis, & procul dissitis regionibus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cuius linguam ignoramus, nec intelligimus quid loquatur, comedit segetem, vineam, ficum, & stirpem nostram: deuorat panem, gregem armentúmque nostrum, & ignis suus latè omnia comburit: quem ego iamiam scintillantem video, imò proximos lambentem flamma parietes. Nec credimus insani rem agi nostram, sed cùm omnia fulgure flammæ hostilis propius admoto, Italiam, Hispanias, deinde Gallias lucere videbimus: tunc inopes auxilij humani, ante aras & delubra diuûm frustra affligentes nosmetipsos, veniam irarum cœlestium, & malis nostris finem efflagitabimus. At respondebitur timeo, ab irato numine: Oratio vestra conuertitur in peccatum, manus vestra, & imperium vestrũ sanguine madet suo, propediem flamma aliena Turcica exarsurum. Par est enim, vt qui in terra vestra Christum dominum Deum vestrum contempsistis, in terra iã non vestra, sed hostium, barbaros & immanissimos Turcas perferatis: quod vt vehementer futurũ timeo, ita

rursus spero, & si quid veri mens augurat, opto, vt amor ac delitiæ nostri generis Christus Iesus, satis se pœnaru habere putabit, si errati pœniteat. Illud enim potius quàm funestum quippiam in præfatione ominari libet, ac precari vt velit orsis secundi Libri prosperos successus attribuere.

DE BELLO RHODIO LIBER SECVNDVS.

SExto *Calendas Iulias manè diei nunciatum est è specula stante in vertice montis, diuo Stephano sacri, vno fermè ab vrbe miliario, maximam classem aduenire secundùm flexum Occidentalis littoris Liciæ. Commota ciuitas est acerbo, non etiam inopinato nuncio: cuncta vario tumultu strepere, suo quisque metu pericula metiri: & clamor vbique erat, qualis in obsidenda iamiam vrbe esse solet. Cúmque dies octauus esset ab annua supplicatione, circũlatáque sancta hostia, iterum exacto solenni sacro, vultu habitúque supplicum, reuerentissimè in circuitu fani tutelaris numinis, ab Antistite sacri militaris ordinis portata est: & Deus obsecratus, vt Equites, hominésque Rhodios, quos religionis suæ propugnatores esse voluerit, etiam robore militandi, & felicitate vincendi donaret: ferrum, flammam, cædes, rapinas in hostes numinis sui auerteret. Religione & sancta spe firmatis per hunc modum animis, sacráque hostia sedibus suis reposita, clausis raptim portis, in muros concursum est, turba quoque mulierum, puerorum, senúmque gressus suos baculo regentiũ & effundentium sese è domibus ad spectaculum maximæ classis (nam ad trecentum, & an plius naues omnis generis fuisse dicuntur) vias passim & turres, tectáque domorum complebat. Venerunt naues hostium longo agmine. Prima prætoria nauis præsidis Gallipolitani erat: cui classis cura maritimæq; oppugnationis imperium mandatum à Tyranno*

Vrbem obsidẽt Turci. *fuerat. Agmen cogebat Archipyrata Carra Mahometes, postea tormento ab arce Telea accuratius emisso, orco traditus. Dux qui mediæ classi præerat, incertum quare (nam vento Fauonio secundissimo vtebatur, neq; aliter oppugnationem tentauit) haud procul à portu, qui duabus vtrinq; turribus multiplici, & vario bombardarum genere munitus fauces suas dilatat, triremes explicare iussit, velaq; contrahens, malos inclinans & simul armamenta componens, demersis vtroq; latere in aquam remis, oram, vrbem versus legere cœpit. Re conspecta subitò ad arma conclamatum est, signa canere, decursus tota vrbe fieri, fortissimus quisq; tendere ad portum, & molem quæ portus ipsius læuum latus efficit, quamq; hostium iniuriæ obnoxiam esse diximus, & ab hoste peti homines putabant. Verùm Pyrata cernens se bombardis obrui, nulla aliter mora facta, sublatis raptim doloribus, in altum non sine discrimine ignominiosóque clamore Rhodiorum stantium pro muris, ad reliquam classem se recepit. Quæ præteruecta ante vrbem & ora propugnatorum, sub signis suis acie instructa astantium, cum sono cantuq; musicæ militaris, terrorem non tã incussit, quàm accepit:*

occupa-

occupauitq; promontorium (Bo incolæ vocãt) tertio ab vrbe lapide distans in Orientem versum. Cumq; is locus haud satis commodè tot naues capere posset, pleraq; ante hostium in salo stabant. Sed cum Rhodij tormentis per muros dispositis barbaro hanc stationem infestam facerent, propius ad terram naues contraxit: stabantq; ita in arcto stipatæ, vt vix vllum telum in mari vacuum intercideret. Audiui propositam esse à Hieronymo Bartolutto Florentino, in rebus bellicis non inexercitato, rationem exurendæ classis: quæ cum ab vno ex præfectis ærarij (vt pleraq; alia ad hostium perniciem inuenta) non probaretur, à collegis quoq; improbari cœpta est. Verùm dum hostis tormenta & machinas, cæteraque ad vrbis excidium pertinentia, è nauibus in terram exponit, locum castris eligit, terrestres exercitus à continenti in insulam traijcit & vrbis mœnia ac situm contemplatur, & qua facilius oppugnationem pati posset. Oppidani in omnes occasiones intenti, haud segne otium terebant. Siquidem ante murorum fundamenta nullo ætatis sexúsue discrimine facto, profundissimos puteos altaque incilia infossatis effodiebant ad cuniculos hostium excipiendos. Quam rem vsu experimentoq; compertum est, non tantùm Christianis, sed etiam Barbaris in hiatibus & effossis lacunis sese occultantibus profuisse: Magnus Magister F. Ludouicum Andugum Equitem ad Imperatorem Carolum V. in Hispanias misit: Romam ad Cardinales & sacros milites suos Italos: equitem Claudium Ducenuillum in Gallias ad regem atq; equites suos Gallos, cum literis quibus opem miserrimæ vrbi terra & mari obsessæ implorabat. Par autem erat communem Christianæ religionis causam à Rhodijs primò strenuéque susceptam, cæterorum quoq; Christianorum Principum cõcordibus armis adiuuari. Sed sors aliter cecidit. Preianes cuius suprà fecimus mẽtionem, vir cuiuis antiquorum & huius ætatis ducibus cõferendus, terrestri prælio bonus, nauali optimus, ad pericula capescenda plurimum habens audaciæ, & inter ipsa pericula plurimum benignioris fortunæ, vt iure dubites fortiórne, an felicior sit, hyemem & æstatem iuxtà pati, humi quiescere, eodem tempore laborem & inopiam tolerare à pueritia assuetus, & quæ cæteri miserias vocant, voluptati habere: cum duos trésue dies metu hostium in deserto quodam scopulo latuisset, nauicula exploratoria silente noctu excubitores fallens, Rhodum intrauit, magnam spem & animum omnibus afferens. Neq; enim milites alio duce plus confidere aut audere, nec Magister vbi quid fortiter ac strenuè agendum esset, alium quenquam præficere malle. Is dies noctesq; armatus intẽtusq; milites hortabatur, vigilias & stationes circuibat, opera quæ hostes igni ferróque violauerant, sedulò reficiebat. Aduenit etiam è Creta insula consilijs atq; adhortationibus prudentis viri Fratris Antonij Bossij, Gabriel Martiningus Brixiẽsis, in militia & toga spectãdus, ac ex veteri illa Brixiensi probitate, quã Plinius celebrat, multũ referens, mirabilis inuẽtor, ac artifex operum bellicorum. Qui quàm plurimos cuniculos (nam quinquaginta quinq; fuisse dicuntur) quos Turca propter scaturientem alibi aquam, alibi occursum indomiti silicis, ingenti eum mole difficultateq; agebat, per leui negocio ludificabatur, actis contrà cuni-

Legatio ad Carolum V. in Hispaniã.

Gabriel Martiningus Brixiensis.

culis & specubus introrsum ad murorum radices effossis. Res ipsa hortari videtur, quoniam de Rhodo obsessa agimus, eius situm paucis exponere, ac instituta maiorum domi militiaq́; : quomodo Rempub. habuerit, vt in manus equitum Hierosolymitanorum venerit, differere.

Rhodi situs. *Insulam Rhodum Carpathij maris, sicut ego accepi, habuere initio Telchines è Creta profecti, fascinatores & malefici generis homines, asperi incultiq́;, quos primum ferrum & aes operatos scribunt. Hi neque moribus, neque lege aut imperio cuiuspiam regebantur: sed postquam Tleptolemus populis secum iunctis, quos postea nouem nauibus ad bellum Troianum duxit, eam habitare cœpisset, multo inde & apud Deos & apud homines celebrior facta est. Siquidem Optimus Maximus illius ætatis & gentis Deus Iupiter, non contentus ibi ex diuino vertice Mineruam suam peperisse, etiam auro pluit: quod Poëtas fabulatos crediderim ob nimias opes, omniumq́; bonarum artium egregia studia, quibus is locus adeò refloruit, vt multi dissimulata patria mallent se Rhodios nuncupari: quod duobus Apollonijs alijsq́; contigisse, memoriæ proditum est. Breuiq́; res Rhodia in tantam claritatem & potentiam euasit, vt multis annis antequam Olympia instituerentur, plurimum toto mari polleret, eamq́; potentiam ad Romanorum vsque tempora Rhodij summa cum vi & autoritate conseruarunt. Estq́; horum fideli opera & industria, nomen Romanorum in Oriente rerum potitum. His siquidem Rhodiorum vrbs magna atq́; magnifica commeatum, socios, naues, cæteráque bello maritimo necessaria, sine quo Oriens inuadi capíque non potuit, facilè suppeditabat. Verum haud eodem omnino loco sita, quo nunc ab Equitibus Latinis ære ingentissimo atq́; opere ducentorum & quatuor decim annorum constructa conspicitur, ad extremam oram insulæ, quam Manuel Byzantius Imperator post euictam Macrim Lyciæ vrbem, & diu peruagatam, verius quàm habitatam Cyprum, ipsis donauit, possessionem tamen armis adepti sunt, Græcis nimiopere Syris familiaribus, vt qui ægrè iustum Germanumq́; dominum ferrent Latinos recusanti bus: quos partim metu tædióque longioris belli Gulielmus Villaretus Gallus variam fortunam domi forisq́; expertus, æquis vtrinq́; conditionibus imperata facere coëgit, adiutus à Ioanne* XXII. *Pontifice & Rege Neapolitano. Semper enim regnum istud Rhodijs fauit. Hac etiam obsidione commeatus duorum millium ducatorum & gratis & liberè, sero tamen hinc ad nos missus est. Cum quadriennium retrò Lutetiæ scholia quædam ederem in Iustiniani Codicem, & Constitutiones Bonifacij, Clementis, & huius quem dixi Ioannis* XXII. *descripsi vitam eius è varijs autoribus, quorum nemo auxilij Hierosolymitanæ militiæ præstiti meminit: quanquam inter omnes conueniat pontificem hunc nimiopere studuisse Gallis, & sacrum bellum in Saracenos molitum. Verùm domesticos annales hîc sequimur: Regem tamen Neapolitanum haud nominatim exprimentes. Volateranus Ladislaum appellat. Oppidum in planissimo loco positum est, & circumuallari coronaq́; militum cingi potest. Nam portu tantùm Septentrionem spectante, mari cingitur, reliqua parte in occidentem vergit: planicie lapidosa haud*

magna

magna latitudine, longitudine maiori inter ipſum, colleſq́ apricos, patente: qui vrbi adiacent frequentes, fontibus domibuſq́ conſiti oleaſtris, ficu, vineto, ac cæteris id genus arboribus, quæ in humo arida & harenoſa gigni ſolent. Verùm manus & ars, naturæ defectum ſupplerunt. Muro enim atque promuro validiſſimo ſeptum eſt, præterea tredecim turribus aſſurgētibus, minaci ſpecie horrens, quinq; maximis propugnaculis, omnem aduerſus vim iniuriamq́ hoſtilem firmatum, pluribus portis nobile. Diſciplinam militarem, mea opinione, nuſquam ſeueriùs obſeruatam aut exactam reperies. Vrbis totius cuſtodia in has partes diuiſa erat: à turri Franca ingenti altáque magnitudine cacumen ſuum in cœlum propè ferenti, ad portam vſq; Ambroſianam, quà iter ad montem Phileremum eſt, ſuper cuius verticem tyrannus, Sacello Deiparæ Virginis, in balneas ſedemq; arcanarum libidinum & monſtroſi cōcubitus mutato, arcem erexit. Sub ſignis lileatis Franci ſtabant, quorum caput erat F. Ioannes Aubinus, natalibus & meritis in ſacram militiam clarus. Hinc ad portam vſq; diuo Georgio ſacram, infractum robur equitum Germanorum, vexillis aquilaribus ſplendens. Tertio loco Galli, Auerni, finitimi equitibus Hiſpanis, ambo belli molem perferentes, quod ibi foſſatum latitudine profunditatéque minori foret. Quinto loco phalanx Britannica pugnabat, duce magno Magiſtro: poſtea Galli Narbonenſes. Nouiſſima ſtatione ſed prima virtute, legio Italica vrbem aduerſus Pyrrhi vim fraudeſq́ defendebat, ducibus F. Petro Balino, qui F. Georgio, Aimaro Montaphio præfectis ſaucijs ſucceſſerat, & Gregorio Morguto anteſignano Nauarrorum, copiarum auxiliarium præſide. Verùm fraudes non tam extraneus hoſtis, quàm domeſticus efficaciſſima ad nocendum peſtis ſtruebat. Siquidem ferox vna fœmina, ſanguinis Turcici, incompos mentis, an amētia ſimulata, incertum (quæſtionib. enim nihil exprimi potuit) ſerua ciuis ampliſſimi, ad rem atrocem & maximo cuiq; viro audendum animum adiecit. Decreuerat enim cum aliquot coniuratis (numerum non teneo) in maximo quopiam tumultu & inuaſione hoſtili, per diuerſa vrbis loca incendia miſcere: quorum periculo conſternatis, & deſerentibus ſtationes ſuas pugnatoribus, Turcam nudata præſidio mœnia occupare poſſe, non inepta ratione colligebat: ſed defuit, re indicijs & confeſſione conſciorum comperta, audaci incœpto ſuus euentus, ſumptumque de noxijs ſupplicium eſt. Turca per idem tempus nondum vniuerſo apparatu oppugnandarum vrbium mœnibus admoto, collem quendam eminentiorem occupauerat: in quo Fanum D. D. Coſmi & Damiani ſtabat, porè virginis Elimonitræ ſacellum, fronte in ſtationem Anglicanam directa. Hinc magis exercendi militis cauſa, quàm nocendi nobis, leuibus tantùm tormentis vtens, in vrbem iaculari cœpit. Poſtea vineas agere, ſuperq́ aggerem iacere, vallo & foſſa loca vrbis, quibus imminebat, circundare, comparatis ad opus huiuſmodi impletionemq́ foſſarum & cuniculorum maximos ſubterraneoſq́ labores die ac noctu continuatos, quinquaginta millibus agreſtium hominum, aſſuetorum magis agro ac pecori quàm bello: qui cùm moræ culpam ſtatim fuſte, aliquando capite luerent, incredibili celeri-

Mulieris ferocis facinus.

tate

tate effecerunt, quod posse effici, negaretur. Excisę sunt ab his rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere ęquati, & cōplanata fossuris montium iuga, quos Rhodij nihil tutum munientibus patientes, primùm missilibus summouere, deinde ad erumpendum etiam in munitiones atque opera animati, porta patefacta inuaserūt: turbatis vndiq; clamore & impetu, fessis laboribus, nec animus, nec ars ad resistendum fuit, qua quisque potuit per diuersas vias fugam faciebat, etiam milites custodes operum. Instabant ferociter Rhodij, crescente (vt fit) & alieno metu audacia. Multi qui explicare se ab impedimentis nequibant, aut alio casu tardati, fœdè occisi sunt. Et cum ingens multitudo accurreret è castris suis opem latura, maxima & & latissima strages tunc per totos campos edita est: omnia quà visus erat, constrata globis ęneis, armis, cadaueribus, & inter ea humus infecta sanguine. Nam tormenta in eum euentum per muros & turres pręparata, in medias hostium phalanges, cuneosq; confertissimos, cum maxima vi fragoreq; & tonitru erumpentia, multos mortales pessundederunt. Quo genere pugnę cum hostem semel bis atq; iterum eluderemus, munimenta sua noctu intentissimis vigilijs, quanta maxima poterat diligentia, accelerabat. Die custodię duplicatę sunt, & tormenta ad exitum Rhodiorum opposita: quę non tam in vrbe eos continuerunt, quàm quòd timebant, ne crebris eruptionibus nimium attenuarentur pręsidij vires. Cumq; per hunc modum Rhodus terra verè obsessa esset, mari etiam, die noctuq; naues aliquot vento & remigio mobiles ante portus hostiū in salo starēt, adierūt prępropere ma-
Nautici insidias Turcis moliuntur. gnum Magistrum nautici quidam, parati seu versare dolos, seu certę occumbere morti, dicentes rationem à se inuentam, qua hosti peropportunas insidias struerent: sineret modò eos facere, periculi esse nihil. Animus Magistri paululùm arrectus annuit. Illi melopepones, vuas, aliosq; anni & regionis fructus scaphę imponunt, mutati arma atq; ornatum promissa barba, capite consuetudine Turcarum linteis turrito, conscendunt, tertia vigilia cœlo obscuro tendentes ad eam insulę partem, qua traiectus in continentem erat, gnari linguę & gētis, fructus suos venum exponunt. Coëmerunt mox Barbari profundę intempestiuęq; ac sordidę gulę. Epulas enim & quocunque tempore, vel ante lucem, & quocunq; loco sumunt, protrahuntq; illas à medio sępè die ad mediam noctem distenti, & madentes inter exoletorū ministeria. Sunt enim libidinis in mares profusissimę: nam persuasissimum ha-
Turci impudici. beo, neminem Turcam pudicum, aut vlla corporis parte purum esse. Diuenditis hoc modo pomis ac fructibus, & inter contrahendum hostium animis atque consilijs cautè exploratis, nostri nauiculam à terra moliuntur. Turcę quibus obsidionis initia tantùm mirum in modum displicebant. nam pręinusitata multitudine tormentorum, qualem nec viderant vnquā nec audiuerant, nusquam recipiendi sese tutus locus erat. Omnia enim vi & impetu lethales bombardę Rhodienses penetrabant: hortari, obsecrare nostros, vt in continentem illos traijciant. Qui simulata recusatione, negare se id facturos, nauiculam modicam esse, nec tantę multitudinis capacem, ægrè tamen vt videbatur Barbaris, septem aut octo admiserunt. Hi ingenti dolore

lore suo, nostro vero gaudio Rhodum adducti, socio interprete à Preioanne & F. Gabriele summo militiæ præfecto turrim templi diui Ioannis editissimam scandere iussi sunt: vnde per omnem circumuicinam insulam atq; in castra hostium prospectus erat. Cum multa & varia pro Ducum arbitrio rogati sincerè respondissent, inter cætera (quod hic adscribendum putaui) renunciarunt tumultum, ac etiam rerum nouarum initia, coniurationésque complures intra hostium castra exoriri, militum aliquot cum ingens multitudo quotidie fame, miseria, tormentísque ab vrbe emissis periret, & locus sepulturæ vacans nullus extaret, sub pellibus tuguriolisq; se continere: nec inde à Ducibus, vocéue præconis extrahi posse. plurimos secessionem & fugam meditari metu, magnitudineq; præsentium & futurorum periculorum, querentes frustra se conari dicentes, duces si sani essent, vim inexpugnabilibus inuictísque non intentaturos: Rhodũ nequaquã Albæ Pannonicæ comparandam, præesse Liladamum cum selectissimo Equitum robore, nouas auxiliarium copias, vel iusto prælio accessuras, résque melioribus & felicioribus quàm ad Albam ducibus geri. Quæ cum ad gratiam à captiuis auribus seruientib. dici æstimabantur, res tamen ipsa postea patuit. Nam Pyrrhus assiduus desertorum & seditiosorum inquisitor placatórque (tali enim tempore lenienda magis quàm punienda vis erat) literis Constantinopolim missis, Tyrannum in castra vocabat, opus esse celeri suo accessu, omnia seditionem & turpem fugam spectare, militem obsequium rumpere ausum, & imperia aspernari. Interim dum Tyrannus iter parat, compertum à ducibus per transfugas est (quos leuitas ingeniorum in omnib. bellis præbere solet) turrim fani Christianis pro specula esse. Quare promouente etiam odio crucis in fastigio erectæ, nihil antiquius habuerunt, quàm crebro ære, magnitudine capitali bombardis excusso, turrim illam deijcere. Quod dum diligentissime faciunt, ecce Tyrannus quinto Cal. Sept. hora postmeridiana in castra venit: ibi cum in villam pernecessarij mei Iacobi Galteri, quæ Magasandras dicitur, vel casu, vel nomine loci arridente descendisset, offendens omnia quæcunq; dici, aut fingi queunt, ignauiæ ac pauoris exempla in illo exercitu, nihil instituto disciplinaq; militum, aut imperio eorum qui præerant, agi: plus ex malis moribus solicitudinis, quàm ex copia ducentorum millium militum auxilij, aut bonæ spei accipiebat. Nihilominus æstate & indignatione tam erga suos, quàm Rhodios efferuens, seruata tamen temperantia inter iram suam & culpam subiectorum, vocatos ad concionem inermes, atq; etiam gladijs depositis, armato peditatu quindecim millium Chiriboardericorum, quos secum adduxerat, circumdedit, simul & suggestum ascendens sedit tacitus paulisper animo secum cogitans, vtrũ in autores tantùm seditionis animaduerteret, an plurium supplicio vindicanda, tã fœdi exempli defectio, magis quàm seditio esset. Vicit sententia lenissima ad multitudinẽ satis esse castigationẽ, tũ silentio per præconem facto ita cœpit: Serui (neq; enim eos milites appellabat, ambitiosius id æstimans, quàm aut ratio militaris, aut maiestas sua postularet) quod genus hominũ? Turcæne? militare, vincere assueti? equidem corpora, ora, vesti-

Pyrrhus.

Oratio Turcici Imperatoris.

R tum,

tum, habitũ meorum, facta, dicta, consilia leuium transfugarũ & desertorum video. Heu quantũ me fefellit opinio mea. Abijt illa vis, vigorq́, Turcensis: dilapsa sunt robora corporũ & animorũ, quibus Arabes, Persæ, Syrij, Aegyptij, Mesij, Pannonij, Tribali, Epirotæ, Macedones, Thraces superati sunt: immemores patriæ, sacramenti, disciplinæ militaris aduersus ducum iussiones, aduersus summi imperij mei maiestatem ausi estis pugnã detrectare, fugã moliri, inani cogitatione ac timore mortis & periculorum militaribus viris indigno. Rhodum, si quis domi in conuiuijs, in compotationibus, in circo, in foro nominaret, expugnaturos vos lingua iactabatis, vix temperabatis manibus: hic experiri vim virtutemq́ volo. sed credidistis fortè conspectis signis Rhodios supplices ante portam se & sua insidem potestatemq́ vestram tradituros. Desinant omnes hoc sperare & dicere, mihi qui compertissimum habeo credant. Ignobilis & infamis ista cauea (quam videtis) plena est feris efferacissimis: quarum rabiem nunquam sine maximo labore & cruore vestro domare poteritis. Domabimus tamen: nemo enim adeò ferus est, vt non mitescere possit. Quod donec perfecero, hic aut mori, aut consenescere decretum, ac iuratum: secus si vnquam dixero feceróue, tum hoc caput cum classe, exercitu, & imperio, diris execrationibusq́ obnoxiũ deuotumq́ semper esto. Nec plura effatus, nisi quod clemens magis quàm seuerus princeps videri & esse cupiens, omnibus primorum erratorum veniam condonabat. Citatis deinde nominatim omnib. apud Tribunos impulsoribus, timore pudoreq́ in verba tyranni iurauerunt. Hunc finem exitumq́ seditio militum apud Rhodum cœpta habuit. Omnia deinde melioribus auspicijs & intensiore ducum militumq́ cura acta sunt. Duodecim æneæ machinæ. *Statuebantur locis diuersis duodecim æneæ machinæ, obsidione Ambusoni, quintum numerum haud superantes, ore in cœlum erecto, base arctiori versus terram, iacto bimestri qui altera obsidione tantùm nouem dierum fuit, dies noctesq́ continuato, globos saxeos eptapalmares in tecta templaq́, semel ferè in caput magni Magistri proijcientes, sed plus omnino timoris quàm veri periculi attulerunt. Nam cum sonitu campani æris diuerso ab eo qui vel oppugnationem vel vim tormentorum in muros quatiendos iudicaret, homines à speculatore sedẽte in fastigio fani periculi admonerentur. duobus millibus huiusmodi globorum tantum decem occisi sunt.* Apella proditor. *Quod inter cætera quidã Apella renatus medendi artis professor hosti prodidit, cui versato inter milites trepidatione detecto tormentis expressa confessio est peracti facinoris. Iecerunt etiam globos cupreos, plenos intus bombardis digitalibus, & inter eas exurimenta erant, bitumen, sulphur, pix liquida, foris coopertus sæpius in vrbem tortis funibus, cui styli ferrei acutissimi inhærebant. Hi longo igneóque tractu volantes, dum casu suo crepabant, omnia fœdo fumo atque odore obfuscantes, quicquid astabat cui inciderent styli illi, bombardulæq́ fœdæ, necabant. Sed cum huiusmodi tormenta nec diu plueret, & sæpius non frangeretur, liberata est ciuitas ancipiti periculo. Efferatior vis erat quadraginta bombardarum quæ iactu saxorum rotunditatis palmorum nouem, aliquando vndecim, deformare magis*

magis quàm solo æquare murum poterant. Harum vna, cum in domum, quam fortè fortuna haud infelicißimè præteribam, furibundo impetu irruisset, volatu suo me prostrauit, Aethiopi sequenti, lapis euulsus caput & collum minutim contriuit. Et quia in Aethiopum nomen incidimus, nolo gentem quanquam seruilem, frustrari sua laude. Tota enim oppugnatione dominos strenuè & fidelißimè adiuit. Inter machinamenta hæc, quæ oppugnatione altera ducis Paleologi haud plura quàm quindecim erant: duodecim vastæ & immoderatæ longitudinis, æneæ machinæ globos æreos saxeosq́ multo maiores iusto capite in oppidum euomebant: quibus appositißimè nomina à serpentibus Basiliscis indiderunt: quòd tam machinæ quàm belluæ contractu suo omnia fœdantes parem noxam miseris mortalibus adferant: ante ora omnium istarum machinarum sæpius vno die in stationes singulas centum & triginta mißilia, excutientium: quod licet multis supra naturam videatur, tamen ita rem esse diligenti obseruatione compertum est. Barbari quo eas séque à bombardis & conspectu Rhodiensium intactiores seruarent, tabulas attignatione contigua inter se iunctas opposuerunt: quarum medium transuersus introrsum axis sustinebat. Has Turca superiori capite funibus ad tormentorum calcem reducto, cum in tantum altitudinis subduxisset, vt capita machinarum detecta apparerent, mox apposito ad forulum tormenti igne, murum quatiebat. Est etiam alia arte atq; ingenio hostis vsus, ad tutelam suorum tormentorum, quæ sine rotarum adminiculo super cōtiguas tabulas humi prostratas iacentia texerat, valuis non altis neq; se expandentibus, sed quæ fune ductorio à milite vtrinq; intra fossas abscondito clauderentur & aperirentur. Rhodius huiusmodi opera, quibus confractis reliquum diei & tormentum hosti inutile reddebatur, præcipua cura ac diligentia tollebat: sed tantam animi præsentiam virtutémque hostes præstiterunt, vt noctu reficerent, quæ interdiu bombardis dißipata erant: qua reficiendi pertinacia, & crebro suo mißili igne, incendiísque cuniculorum Rhodij serò inopiam tormentarij pulueris senserunt: quem rotatu molarum per dies noctésque quinque mensium continuato, bis septem fotißimi equi ex splendido illo equitio magni Magistri atterebant, inter irrequietos triginta & sex liberorum hominum labores. Neque enim tunc temporis seruili ministerio in re tam periculosa vtendum videbatur: idq; ne qua fraus contingeret, loco fideli custodia septo: cuius caput erat primum F. Desiderius Antagallus præfectus Manuacensis: postea Gulielmus Parisottus eques Gallus. Turris Nicolea, quam liberalitas ducum Burgundiæ struxit, quòd insculpta marmoribus insignia attestantur, super molem, dextro cornu ante portum admirabili antiquitatis arte & sumptu in mare proiectam: in qua stetisse ferunt Colossum illum Solis, inter septem orbis miracula, primum: qui cum terræmotu corruisset, iacens quoque miraculo fuit: neque Rhodij, quod Strabo dicit, prohibiti erigere rursus potuerunt. Mira & supra fidem captumq́ humani ingenij de hoc Colosso prodit liber Græcus, quem penes me habeo, seu verius libri quædam vetusta pars incerto autore. Quæ licet nihil minus semper quæ-

Desiderius Antagallus.

Colossus Solis.

fuerim, quàm vt plus iusto à rerum ordine declinarem, historia in quinque libros dilatata. eum multis alijs inter iter & fugam mihi visis auditisque explicare proposueram, vt opere varietatibus distincto, legentibus amœna diuerticula essent: & animus mihi per varios casus, per tot discrimina rerum in Latium acto, memoria repetitionéque præteritorum periculorum constantior ac deuotior Deo liberatori redderetur. Sed id quoque alia ratione effici potest, quare non putaui operæ precium bonas horas viterius in re nec vtili nec necessaria collocare. Verùm nunc ad rem turrimq; D. Nicolao consecratam, cui cum supplemento trecentorum militum, inter quos fuere triginta fortißimi & nobilißimi sacri Equites, præsidebat Frater Guiotus Ragusus Gallus, eques magnitudine, animiq; industria singulari. Hinc Turcæ per idem tempus diutino impetu tormentorum non modò inutili, sed etiam opprobrioso ipsis tentarunt. Quæcunque enim tormenta opponebantur, ea tormentarij arcis primis ferè ictibus aut arte sua, aut D. Nicolai ope adiuti disrumpebant. Cùmque per hunc modum omnis conatus diurnus irritus ludibrióque hosti esset, noctu ad lunæ lumen, nihilo meliori fortuna (bombardis interdiu sub terra defoßis, ne à nobis frangerentur) turrim impetijt. Quæ cum occasum versus pateret hiatu, commodè equitem cataphractum capiente, factis supra quingentis Bombardarum ictibus, dimissa, nec aliter tentata à Barbaris est. Verùm circa mœnia ciuitatis cùm totius orbis oculi hoc bellum spectarent, opus mirum in modum feruebat. Ingens cœptum, pertinax conatus, par vtrinque labor, industria & spes haud dißimilis. Rhodiensi die noctúque irrequietißimo ad varios conatus hostium, neque ars neque vis defuit. Nam immani specu sub terram infra propugnaculum nouum effosso, fossatum rudere, saxo, terra, sarmentis, opera hostili impletum, sedulo repurgabat. transuersis cuniculis hostium cuniculos duos & triginta excipiebat, & palàm ac clàm cœptis inimicorum audacter obuiam ibat: qui cùm nonis Septembribus ab imo ad summum aperuissent, partem haud paruam peregregij propugnaculi Anglicani, incenso inflãmatoq; cuniculo, cuius violentißimo crepitu tota vrbs nõ aliter quàm motu naturali semel obsidionis tempore facto cõtremit. Quem cũ sentiret magnus Magister ante altaria armatus medi usq; inter preces Sacerdotũ canentiũ in Sacello pro introitu propugnaculi, Deus in adiutoriũ meũ intende, Domine ad adiuuãdum me festina: Capio omen (inquit) hostis adest, festinat in adiutoriũ Deus. Dãda nunc opera nobis est cõmilitones fidelißimi, fortißimíque, vt hic Ordo auspicato institutus, per tot ætates maioribus cultus, nec ab vllo hostiũ adhuc læsus, quantũ in nobis erit, incolumis posteritati tradatur. Eoq; vehementius quod magis dedecus est parta amittere, quàm omnino non parauisse. Plura dicerem nisi strenuis abundè dictũ esse putarem. Et simul cum dicto, sequente satellitio armatorum, plenus spei bonæ atq; animi in hostes tendit: contra quos iam ferentes signa, licet vndiq; tela conijcerentur, custodes propugnaculi arma & corpora intrepidè obijciebant, deturbabantq; manipulos militũ, per hiantem fossuram ingredi conantes. Hisq; turbatis, ac pedem referentibus,

cæteri

cæteri qui ponè erant, quos nec extructi aggeres nec timor satis munierat (nam plerosq́, iacula tormentis: aut manu emissa vulnerabant) paulatim retrocedere cœperũt, quorum ignauia increpita, dux Mustaphus si ipsi cunctentur, solum ascensurum se minatur. Barbari ducem circumfundentes, cum vlulatu, strepituq́ moris sui in pugna ineundi, certamen instaurant. Aequatis itaq́ viribus, prælium aliquandiu atrox fuit: summa vi & duces hortabantur, & milites pugnabant. Potuissentq́ Barbari, si aduersus partem ruina prostratam leuia tormenta opposuissent, cum vix quisquam nostrorum sine cæde, aut vulnere stare potuisset, eo impetu propugnaculum capere. Sed cum vndiq́ tubæ, clamor, adhortationes, aures, circumsonarẽt, in capita toto turbida cœlo tempestas, telorũ, ferreusq́ ingrueret imber, & oppidani Equitibus immixtis, saxa & picem sulphure tædaq́ admixtam in Turcas conijcerent, nec animos, nec vires Christianorum amplius ferentes nondum receptui signo dato, terga verterunt, turmatimq́ abibant: nihilq́ ordinum, aut imperij memores passim, quà cuiq́ proximum fuit, fugæ effunduntur. Bombardæ per muros dispositæ, in abeuntes & vagos cruentissimam stragem fecerunt, vti prius cum è castris magno agmine in prælium ruerent. Ceciderunt hac oppugnatione multi Christiani & inter strenuè pugnantes, & occisos Equites Gallos, Hispanósq́. Philippus quidam Lommelinus Ligur negotiator, qui ab Alexandria venerat. Stamphalea ciuis Rhodius. Plurimi vulnerati sunt: F. Henricus Marsellus signifer: F. Petrus Mela Saonensis, præfectus cuiusdam onerariæ nauis, qui ambo vulnere obierunt. F. Michael Dargelmunt summus Triremium, & propugnaculi præfectus, amisso sagitta oculo. post grauem infirmitatem superuixit. Enituit etiam in huius propugnaculi custodia fortitudo cuiusdam Equitis Itali, quem Baptistam Romanum vocant, & F. Francisci Telis Lusitani. Hostium, quos belli euentus aut læsit, aut necauit, certum numerum scribere non possum. Qui modestissimè mihi loqui videntur, mille cæsos ferunt. Templa lustrata, supplicationes indictæ: Deo ob victoriam, honos habitus. Muliercula quædam Hispanæ gentis, singulari vitæ sanctimonia, quæ ab vrbe Hierosolyma redierat, nudis pedibus frequens circa aras & templa, stipem publicam, quam non tam sæpe emendicabat, quàm à sponte offerentibus accepit, rursus in pauperes erogans, sedulò hominibus religionem incutiebat: Deum pœnas flagitiosorum isto bello expetere, cæterùm vltione sceleratorum facta, vrbi & mœnibus parsurum. Hæc sibi per quietem, atq́ inter preces obnunciata esse, persanctè affirmabat: & iam sanctum aliquid & prouidum habere putabatur: nec aut consilia eius aspernari, aut responsa negligere vulgus volebat: adeò deuinctas sibi habet mortalium mentes religio, sed miseros fefellit sua vates. Dum hæc domi aguntur, F. Desiderius Podius, præfectus arcis Feracleæ, qui multarum rerum cognitionem in recessu habet, quam vt est modestissimus, palàm non ostentat, ex insula per nauiculam nunciabat, captos perfugásque ad se dicere, quòd magnates quidam in Rhodo, secreta consilia cum hostibus communicabant, qui viam sibi subterraneã sternebãt, in septo Equitum exituram ad Fanũ Ioan-

Philippus Lomelinus Ligur.

Muliercula Hispanæ gentis.

Desiderius Podius.

nis Colossensis. Sic enim à Colossi illius, quem diximus, memoria (non quòd quisquam Colossas Phrygiæ ciuitatem cum Rhodo confundat) locum appellant Græci, tam Turcarum, quàm Latinorum imperio subiecti, qui linguam tantùm Græcorum habent, sicut speciem hominum, moribus ritibusq; efferatiores quàm vlli Barbari. Magnis animorum motibus ciuitas agitata est nunciò perniciosi & occultissimi mali, neq; enim scire poterant homines qua via contrafoderent, quo loco, quo tempore, die an noctu, in ocio vel in tumultu eruptura foret vis illa terrigenarum. Iamq; non pro muris & mœnibus solùm vigiliæ erant, sed quisq; domi suæ, magnis præmijs primo euulgatori à Magistro propositis, armatus, anxiusq; terræ partum expectabat. Indicia coniuratorum, cum nomina haud exprimerentur, Magister silentio suppressit: verùm prodidit exitus, quinto Idus Septembres, quintoq; die post primam oppugnationem. Propugnaculum Britannorum, quorum hac obsidione non cōtemnenda manus bello perijt, prælio multo acriori primo, iterum tentatum est, irruperant per ruinas septem animosi vexilliferi cum delecta iuuenū manu. Et cùm pauci propugnatores pluribus pares esse non possent, ignominia accepta fuisset, nisi delecti Equites duce magno Magistro, cum signo sacræ militiæ superuenissent. Ad cuius primum conspectum Turcæ haud aliter quàm fulgetris miraculóue attoniti, cum superiores essent, ad suos se receperunt. Mustaphus impigrè suo munere fungens, inclinatam nulla notabili causa aciem sedulò restituebat. Cæteri duces militem terga vertentem, iterum vi, gladijs, & exhortationibus in præliū retruserunt. Itaq; pudore & imperio superante metum, pugnam denuo capessunt. Rhodij imbre sagittarum laborabant. Sed ceperat omnium animos, pectoraq; obliuio vulnerum, mortis cogitatio aberat. Hoc vnum solum meminerant, hos esse hostes, quos superiori pugna cum strage & ignominia repulissent. Qua virtute dum prælium in tertiam horam protraheretur, Barbaris vires animique defecerunt: inter duo millia, quæ manus militaris & tormenta prostrarunt, missa sinistro cornu é propugnaculo Cosquinense (quod vocant) dextro Hispaniensi, ceciderunt tres Satrapæ, induti holoserico pallio ad pedes demisso: tam inhabili ad pugnam indumento Barbaros vestiri moris est. Ex nostris pro tanta multitudine hostium, sanè pauci, signifero F. Ioachimo de Cluys sagitta exoculato vexillum amissum fuisset, nisi properè F. Emericus Ruyaulx singulari magnitudine Eques Auernus illud ab hostibus seruasset. Venerat hic cum commilitone suo F. Balthasare Augustino Equite Hispano, ex Creta insula in Rhodum obsessam. Magnum & audax facinus. Iterúmque per mediam hostium classem in Pactolum iuit, copias auxiliares acceleraturus: sed inuidit diligentiæ suæ, & miseræ vrbi fortuna. Mustaphus secundo iam prælio infeliciter commisso, vilescere apud Tyrannum cœpit. Pyrrhus quo apud eum, omnesq; Turcas gratiam & dignitatem suam tueretur, aggerem é terra lapideq; ante stationem Italicam intra mœnia prostructum magna diligentia, continuatoq; impetu decem & septem immanium bombardarum quatiebat. Nec segnius stationem Equitum Galliæ Narbonensis, quibus imperabat F. Raymundus

Mustaphus

dus Ricaeri præses Bithyniæ, cuniculis & tormentis demoliebatur. Habuerant ambo sibi à quopiam, qui specie emendæ ancillulæ, à Georgio Sanctorino, ciue Rhodio, secreta vrbis notauerat persuasum, oppidum hac parte capi posse: quos quoniam res obtulit silentio præterire non fuit consilium, quin vtriusq; mores, quantum ingenio possem, aperirem. Igitur his ingenium, crudelitas, perfidia æqualia fuere: magnitudo animi par. Item religionis nostræ contemptus, in mares libido ambobus profusissima: quam in Pyrrho minuit ætas, auget in præside Cassio. Hic dãdo, audẽdo, ignoscendo (simulat enim clementiam, vt pleraq; alia bona) gloriam adeptus est: ille autoritate, consilio, studio, publicæ vtilitatis apud suos clarior. Sed hac parte, & reliquis oppidi locis, nobilissimus Eques è Narbonensi Gallia F. Gabriel Chier præfectus Augustalis, fraudibus & conatui hostium semper maturè obuius fuit: pauperes vrbanos atq; agrestes profusissima largitione pecuniarum suarum, ad cuniculorum effossionem, cui operi præsidebat impellens. Quod vbi sentiebat Cassius, paululum impetus suos repressit. Pyrrhus prædurus & pertinax senex, Equites Italos quotidianis ferè, ac leuibus prælijs lacesse bat. Sæpe etiam instructa sub signis acie, illos aggressus est. Siquidem decimo Calendas Septembres iustis copijs occultatis, intra vallum decem pedum altitudine, muros ciuitatis superans, structum seruili ministerio hominum ex Mœsia Valachia allatorum. aggerem militarem illum erectum principatu optimi Emerici Ambosi magni Magistri Rhodij, quem diximus muro Italico præiacere, cum subita iuuenum manu inuasit, trucidatis aliquot, qui præsidio erant, & omnia magis quàm prælium expectantibus. Sed cum repentino sonitu æris campani, ingens vrbana multitudo, immissi etiam sacri milites accurrerent, maxima vi certari cœptum: hostes æquo loco pedem firmantes, haud facilè depelli quiuerunt. Pyrrhus strenuè laborantibus succurrere, integros pro saucijs accersere, omnia prouidere: contrà Equites memores nominis Rhodiani, & pristinæ virtutis suæ pugnam æquabant. Quod ille videns signo dato, recentes suos extra vallum prodire iubet, scalis, grumisque ac cumulis lapidum tormentis euulsorum. aggressi milites, prope summa cœperant. Oppidani insubeuntes saxa voluere, ignes longurijs ad ipsum factis immittere, detrudere eos spartis ferratisq; sudibus. Bombardarij propugnaculi Cosquinensis & Carectani, quod custodiebat venerandus senex F. Fernandus gentilis, latus oppugnantium petendo, & nullo tormento ferè frustra emisso, maximã hominum armatorúmque stragem ediderunt. Extremum tunc agmen procedere non audebat, primores sensim retrocedere cœperunt, signa equinæ caudæ quæ principum naualium sunt, & impicta lintea quæ ducum terrestris exercitus fluctuare. Quod dux videns, postquam duas horas maiore animo quàm fructu pugnasset, canere receptui iussit. nostrum plurimi læsi. inter cæsos occubuerunt Equites Itali, hostium ingens numerus. Mouerat iratum ducem in nos iactura nobilissimi viri (si modo vlla sit inter Barbaros & vnius tyranni mancipia nobilitas) qui pridie huius diei tormento traiectus, occubuerat, dum incautius inferiori, veste holosericea: superiore, redemiculo aureo

Ferdinandus Gentilis.

lo aureo indutus, longam virgam rubram manu geſtans, ante ora propugnatorum obambularet. aiunt fuiſſe Protyrannum, penes quem ſumma rerum inſulæ Eubœæ erat, Solymanus hoc amiſſo, haud minorem dolorem concepit, quàm antea quum bombarda accuratius è ſtatione Anglica emiſſa, eũ ingenioſiſsimum artificem, ſummumq́; rei tormentariæ præfectum abſtuliſſet. Sed nunc ad tertiã oppugnationem Anglicanam ſtylum diuertamus, quæ vt fœlicius quàm duæ primæ Muſtapho procederet, operam & conſilium cum Achimeto Hiſpanorum oppugnatore partitus eſt. Hic cum maximã muri partem quem illi tuebantur, ignito, violẽtóque diffractu ſubter effoſſorum cuniculorum, in altum aëra eieciſſet, nube terreni pulueris obfuſcatos ſtatim maxima vi adortus eſt, neque ſegnius Muſtaphus quinq; vexilla inferens, Britannos aggrediebatur. Pugna duobus locis ſimul anceps & atrox fuit. Muſtaphus vnumquenq; nominans hortabatur, putaret ſe contra latrones, piratas, pro patria, pro libertate, pro aris atq; focis, quæ toties illi violarunt certare. Contrà Rhodij, manu magis quàm verbis ſtrenui, intrepidè reſiſtebant. Chriſtophorus Vualdeich. *Chriſtophorus Vualderic armorum & nauigandi peritus, Germanus Eques, vrbisq́; Imperialis Hagenau ſummus præfectus ac Commendator, qui Rhodijs in pace ius laborioſiſsimè ac integerrimè dicebat, quum præſidis Græciæ omnes contra ſe conatus, ſupra terram bombardis, & ſubter cuniculis ludificatus eſſet, neceſſario præſidio ad ſtationem ſuam dimiſſo, huc ſe conferens, cominus gladio cum hoſte depugnans, duo illi vexilla extorſit. Barbari omnes cum ſtrage & ignominia reiecti. Achimetanus miles & ſi animoſior fuerit, iam in ſumma altiſsimi muri euaſerat, nihilo tamen felicior. leuibus enim tormentis iuſſu & conſilio Martiningi per tecta domorum in frontem oppoſitis, & læuo latere bombardis noui propugnaculi, cui præſidebat F. Ioannes Maupaſus: item dextro ex opere militari, ad radices portæ Athanaſianæ, quod F. Florentius. Guiuereaux diu magno animo & periculo corporis defendit, miſsilibus impetitus, victoriam nobis reliquit, nec lætam, nec incruentam. Nam ſtrenuiſsimus quiſq; aut occiderat in prælio, aut grauiter vulneratus deceſſerat. Preianus in gula tormento vulnus accepit, nec tamẽ lethale.* Ioan. Buoch. *Ioãnes Buoch ſtrenuus & magnanimus Eques, ærarij triumuir, & Turcomaſtix (id dignitatis nomen in legione Britannica eſt) cum ſemper vim & oppugnationem Turcicam futuram negaſſet, morte ſua vtranq; expertus eſt. Occiſus eſt enim inter Anglos, quibus vt Hiſpanis cum ſupplemẽto auxiliari opem ferebat. hũc finem habuit ſecundus ærarij Triumuir. Tertium Deus ad grauiora meritáque ſupplicia ſeruauit. Achimetus ſtrenuus alioquin ac prudens dux, indignatus quòd voti compos non fuiſſet, propugnaculum Hiſpanum maiore poſtea vi tormentorum quatiebat, modico inde ſpacio locatorum. Nec minorem vim omnium quæ ad vrbes euertendas pertinent experti ſunt Auerni, quos in prælium ducebat Frater Raymũdus Rogerius, magnanimus & ſtrenuus Eques, patre Gallo, Rhodi natus, nono Calendas Octobres. Aduerſus hunc, commiſſum ſibi locum ſtrenuè impigréque tuentem, magna vis Barbarorum è caſtris proceſsit, ſpem habens fragore cuniculi ducti ad baſim murorum,*

rorum, & pleni materiæ inflammatilis, ingentem mox imposito igne ruinã adfuturam: qua oppidum capi posse militi duces spoponderant. Stabant iniquo loco Barbari, telisq́; nostrorum obruebantur, nec cuniculus cuius tota vis in venas subterraneas contraq́; actos cuniculos euanuit, murum paratis ingredi aperiebat. Quapropter signo dato, clade aliqua accepta, nulla illata, statim redire in castra iußi sunt. Murus qui occultam introrsum vim cuniculi, & si palàm non apparentem accepiße à ducibus æstimabatur, magno bombardarum numero, & impetu per reliquũ diei, noctemq́; insequentem diruptus est. Tota nocte omnibus castris strepitus armorum, ingens hominum concursus exaudiri. Duces de summa rerum deliberabãt, decreta in crastinum oppugnatio est. Tyrannus cupidus simul vincendi & anxius contrario metu: quippe bellum hominibus sumere licere, victoriam in manu fortunæ esse, quæ ad eum diem ingentibus cœptis suis haud adfuisset. confidere tamen copijs suis; sperare fortunæ erga se mutationem: nulli hæreditarium vincere, victoriam vagari, à victore ad victum venire. Itaq; cum spes metum vinceret, vbi paucis arbitris in tentorio suo obambulans, diu multa secum animo volutasset, duces ac tribunos militũ ad se vocari iubet: eosq; pro prætorio hunc in modum allocutus fuisse traditur: Vestra, magnanimi duces, fortitudo atq; prudentia nulla indigent oratione. Verùm vt pauca dicam, malè sana mens hostium facit, qui dum vrbe tormẽtis lacera, cuniculis suffossa, dirutis templis, domibusq́; cæde, labore, vulneribus fessi, quæ mala toties oppugnatis accidere neceße est, primos spiritus, solitumq́; pugnandi ardorem non remittunt: videntur militi nostro merito inuicti atq; inexpugnabiles. Quam opinionem immutatam esse, plurimum ad strenuè feliciterq; pugnandum refert. Facietis igitur illius vrbis potiundæ spem hortando; animum dando, promittendoq; omnia. Ad hæc aperietis consilij mei rationem, ne credant se ad vrbem vnam oppugnandam adductos, oppugnabunt verè mœnia vnius vrbis, sed in vna vrbe vniuersam Christianam capimus ditionem. Hic cognati, affines, neceßarij sunt omnium nobilium, Regum, Principum, Dominatorum Catholicæ gentis. Hic pecunia omnis hostium: cuius conceßa direptio, maximo vobis vsui ad cõciliandos animos militum erit. hic tormenta, arma, omnis apparatus belli est: qui simul nos instruet, & reliquos Christianos miserabiliter olim trucidabit. Potiemur præterea tum pulcherrima opulentaq́; vrbe, tum opportunißima, portu egregio: vnde terra mariq́; quæ belli vsus poscunt suppeditentur: quæ cùm magna ipsi habebimus, tum demserimus hostibus multo maiora. Hæc illis arx, horreum ærarium, armamentarium: hæc omniũ quæ Turcas maritimo bello infestant, receptaculum. Hinc tutus in Brutios, Salentinos, Apulos, Siculos excursus. Sed cùm considero vos, magnanimi duces, qui virtute prudentiaq́; vestra, opibus atq; imperio meo, ante duos omnino menses Belgradum adiecistis, vrbem inuictam, inexpugnabilémque, vel proaui Mahumetis viribus, magna mihi spes quòd non diu latebris, claustrisq́; ciuitatis tuti manebunt crudeles & cõtumaces isti Cruciferi. Duces finita concione, mandata militibus explicabant. His vrbis no-

Turcici Tyranni ad suos oratio.

bilißima & opulentißima direptio voce praconis per omnia castra concessa est. Tyrannus cùm ægrum curis animum (vti solet) somnus inuaderet, strato se reposuit. Magnus autem Magister (cui insolitus hostium noctur nus tumultus magnum quidpiam portendebat) armatus, intentusq; singula vrbis loca circumire, quemq; amica voce aut nomine proprio compellans hortari: meminerit se pro patria, pro libertate, pro vita excubare: omnibus necesse viris fortibus esse, si motus intempestæ noctis in diurnam pugnam euadat. Respondere omnes bono animo sit, neminem illi se viuis Magistratum aut vitam erepturum. Cùmque ab hostium seruo quopiam Christiano ad vigiles clamaretur, vltimam pugnam parari, vrbem prima luce diuersis simul locis inuadendam, Liladamus nihil temerè, trepidéue agens, conuocatos Equites suos sic alloquutus est:

Liladamus Equites suos alloquitur.

Lætor, sacri commilitones, incidisse tempus; vt vno prælio ingentem gloriam parare, & arcem vestram tutando, orbis Christiani defensores, & nominis vindices à genere humano vocari poßitis. Gens, in quam crastina luce pugnaturi sumus, sola multitudine freta nos impetit. Cæterum, si non numero, sed dextra, pectoréque virtutem metimur, haud dubium pauci strenui multitudinem superabunt. Nec genus belli, nec hostem ignoratis. Cum his est vobis Equites pugnandum, quos semper mari iam quinquies, terra iusto prælio (omitto tumultuaria) tota acie mœnibus admota vicistis. Erit igitur crastino certamine is vobis illísque animus, qui victoribus & victis esse solet. Neq; illi, quia audent, pugnaturi sunt, sed quia Tyrannus, & violenta imperia ducum sic cogunt. Igitur memores quibus parentibus, & quam Christiani orbis de vobis opinione morti, quæ terra vos genuerit quæ exceperit. In illos, sequentes vnum furiosum iuuenem, cum indignatione quadam atque ira veluti si seruos videatis vestros, arma repente contra vos ferentes pugnabitis. Ad faciendum non solùm indignitas sed etiam neceßitas (quæ sola vel timidos fortes facit) cogit. Siquidem hic in insula estis, vnde nullus fugiendi locus: tum in vrbe, cuius laceri & defracti muri, non tam vos, quàm arma vestra defendunt. Ideo crastina luce hic vincendum, aut moriendum vobis est. Vna dies vel lætam victoriam vel laudandam omnibus seculis, mortem præstabit. Plura dicere parantem, nuncius aduentantium hostium impediuit. Equites, popularésque quos nouißimæ pugnæ fides, & spera à victoria fortes faciebat, in muros concurrerunt. Subitò signa hostium canere, & vrbs ad stationẽ Italicã, Narbonensium, Gallorum, portam Athanasianam (quam aliter propugnaculum Anglorum vocamus) murũ Hispanorũ, & Auernorum quinq; simul loca inuadi cœpit. Mustaphus pauca pro tempore suos cohortatus, patentem ruina locũ inuadere iubet. Turcæ propugnatorũ globo illati summa vi pugnabant: oppidani vbi maius periculum, eò acerrimè niti, ac hostem propulsare. Neq; alius in alio magis quàm in seipso spẽ habere. Vndiq; ingens clamor & strepitus armorũ. Funditur ater vbiq; cruor. Dant funera ferro certãtes: hi cominus gladio, illi tormentis: quæ mira dexteritate torquebat Frater Toros, Eques Hispanus, vita & morib. integerrimus: alij

Toros Eques Hispanus.

balistis

balistis & arcubus utebantur. Vicarius Agonothetę ac summi principis desertorum catholicę fidei inter confertissimos Christianos egregia animi magnitudine pugnans, postquam multam intulisset cędem, tormento traiectus occubuit. Debuerat meritò mors fortissimi ducis, suis pauorem incutere. Sed nihil tam incertum, quàm belli euentus: occisio unius Barbari, reliquos in furorem atque amentiam vertit. Mortem enim clarissimi viri ulturi cupientes, cominus gladio, & procul nube telorum iniecta, nostros paulatim loco summouebant. Mustaphus suorum alacritatem cernens, flammę (ut dicitur) addebat oleum. Mahumetem nomenque Turcicum obtestans, spolia, manubias, prędam memorabat: ferro viam per medias acies faciendam: quo sibi minus pepercissent, eo minus periculi. Adfuere commodum fessis submissa subsidia, pugnam priorum cęde hactenus inclinatam recentes ęquabant. Et cum viri propugnarent, fœminę tela omnis generis saxáque in muros gerebant: anhelos sudore, pugna, cibo, & potu adportato reficiebant: nec minorib. animis milites Pyrrhi Equites Italicos oppugnabant. Anceps utroq; loco prælium, totius negotij facies varia, incerta, fœda atq; miserabilis: hostes pro pręda, pro imperio: Rhodiani pro vita, pro libertate certabant. nec erat ullus ordo, aut ulla tam inutilis ad bellum ętas, quę eo die Hierosolymitanos milites non iuuaret. Pugnarunt prophani & sacri, neq; Crucigeri sacerdotes tantùm, quorum virtus tota obsidione haud sanè minor quam Equitum fuit, sed etiam cucullati: & inter eos Franciscanus quidam cui Ioanni Antonio nomen: fœminę, pueri, & cum his immisti senes, supra animi corporísque vires, defensoribus tela ministrabant. Lapides stratis effossos manu fundis eijciebant. Ignes, sulphur, oleum incendiarium, picem liquefactam deuoluebant in subeuntes. Nec ulla perniciosior pestis ibi vehementius timebatur. Quippe ubi feruens semel materia artus aliquos apprehenderat, nec ulla vi quidem excuti poterat, & quicquid attigerat perurebat: iaciendo arma, lacerando indumenta, unus alium impediebat: turbari ordines, fluctuare signa, nec recentes audere saucijs succurrere, cum undiq; in pectora tela è muris missa volarent, in capita imber ignium & lapidum plueret. Ad hæc clãgor turbarum parua dictu, sed magni eadem in re gerenda momenti res, non tantum Barbarorum aures, sed etiam animos mirè perturbabat.

In isto ardore magno Magistro hortanti suos pro porta sancti Athanasij, (huc enim eum, quum prius ad stationem Italicam resedisset, Pretorij sui cura strenuo, ac nobilissimo Equiti Fratri Antonio Montcrolo commissa, belli necessitas, periculorúmque magnitudo aduocauerat) nunciatur propugnaculum Hispanum ab hoste captum. Atroci nuncio (ut par erat) motus, non tamen defecit animo. Sed belli curam Emerico Gombaulio prefectura Peloponnensis titulo insigni relinquens, cum delecta manu iuuenum eò tendit. Ceperant illud hostes admirabili casu: nam custodum maxima pars excesserat auxilio laborãtibus, tredecimo inde passu manipulis Equitum Hispanorum, quibus cum acriter conferebant manus. Achimetani milites pauci qui relicti erant, tormentum quoddam armis manu po-

ſitis intentiſſimè aptabant, in dextrum cornu integrorum, qui feſſis aduerſus Hiſpanos ſuccedebant. Et vt ſunt in omnibus bellis ignaui multi, quidam ex his hoſtes, cum ſcandere in murum animus non eſſet, inter diſiecta ſaxa, ruinasq́; ad pedem propugnaculi aliquantiſper pauentes remanſere. Tandem, cum ſupra ſe ſolitudinem eſſe intelligerent, metu in cōfidentiam & fortunā verſo, per cliuum reptātes occupata deſerta parte, paucos inermes, & tormento aptando intentos à tergo occiderunt, & extollentes patrium trucémque clamorem, deiecerunt vexilla. Turcæ qui intra munitiones ſuas parati intentiq́; ſtabant, concitato per mediam foſſam curſu, ſuis agglomerare ſeſe non ceſſabant, donec condenſata vndiq; pila ænea tormentis euolantes, impedimento Barbaris eſſent. Duas horas ſuper muros ancipiti Marte propugnaculo dimicatum eſt. Barbari loco ſuperiores, inuenta ibi ſaxa in ſubeuntes Chriſtianos iacebant, ſummouebantq́; arcubus & tormentis multitudinem. Magiſter hortatur, imperat, quæ in rem ſunt, quod plurimum ad accendendos animos militum intererat, teſtis ſpectatorq́; virtutis atq; ignauiæ cuiuſque adeſt. Itaq; in vulnera ac tela ruunt: nec illos muri, nec ſuperſtantes armati arcere queunt, quin ſubeant. Hugo
Hugo Caponus. *Caponus, Hiſpanus Eques, vnus è quatuor tribunis militum, & Menotius, Eques Gallus, cum aliquot auxiliaribus Cretenſibus in portam negligentia Barbarorum obice ferreo non clauſam irruperunt. Cretenſes infra teli iactum, Barbaros brachio apprehenſos ſtrictis pugionibus transfodiunt, multi in ſubter patentia mœnia deiecti, illiſo cerebro expirarunt. Accendit recens ignominia iram in fortiſſimo viro Magiſtro militum, qui fidem Chriſti deſeruerunt, & hortatus vulgum vt ſequeretur, primus cum duodecim fortiſſimis viris pari robore corporum & animorum, in ſuprema muri Hiſpani euaſit, quadraginta ſigna ſua lunata defendens, noſtra cruciata deturbans. Imperatorem ſuum milites (quanquam feſſi labore, fame, ſiti, & pugna matutina, quæ in mediam diei lucem proceſſerat) nauiter ſequebantur. Liladamus cùm ſæpe aliàs memorabilis, tum hac præcipuè pugna fuit. Nam parte prætorianorum demiſſa intra recuperatum propugnaculum, cum reliqua cohorte ad atrox, dubijq́; euentus prælium accurrit. Hiſpani, cæteriq́; ſacri milites, & immiſti his profani, qui vulneribus, cæde ac laſſitudine confecti erant, conſpectu Magiſtri, velut tunc primum pugnæ ſignum accepiſſent, redintegrato animo & clamore, certamen reſtituunt, gladijs, ſaxis, cōtisq; ignes præferentibus, ac denſatis miſſilibus, ſtragem & cædē continuabant. Bombardæ locatæ per transuerſa opera, in ſummitate murorum, hoſtium latus fœdè diſcerpebant. neq; ſegnius Auerni & Galli Narbonenſes Turcas trucidabāt. Per hunc modum cùm pugna æquata eſſet, recens præſidium ex arce Nicolea, duce F. Alioro Hiſpano Equite animi magnitudine, & cæteris pacis, belliq́; artibus, cuiuis veterum conferendo, eductum, rem ad ſe inclinabat. cuius vbi per internuncios certior factus eſſet Solymanus, oppugnationem cernens ab alta ſpecula procul, è malis antenniſque nauium ſtructa, receptui canere iuſſit, & Rhodijs & Barbaris grato, Iacho Baſſa autem gratiſſimo: nam dum alij pugnabant maximè*

ximè ipse fugiebat maximè. Quam ignauiam propè stipite luisset, per obscœnas inferioresq; corporis partes acto. Huiusmodi enim supplicij fœditate, Barbari sontes plectunt. Verùm nulli iratior, infestiorq; tyrannus fuit, quàm Mustapho belli istius machinatori: quòd vaniloquus, vt plerique Palatini esse solent, spem suam inflasset: quòd falsis adulationibus extollendo (verbis multiplicatis) eius vires, Rhodianas nimium mendacijs deprimendo occursum ad littora populum, vbi regiam classem aspexisset facturumq; deditionem & imperata spoponderat. Quæ vanitas promissorum non sine maximo damno & dedecore nominis Othomanici iã patêre: quare mors ei indicta, coramq; transfigi à spiculatore telo imperans: Volo aiebat oculos pascere. Iamq; supplicij apparatum lictor promebat, adeò torpentibus metu qui aderant, vt non modò ferocior vox aduersus atrocitatem pœnæ, sed nec gemitus quidem audiretur. Pyrrhus vnus, parantem se sagittarium summouere ausus, prodiens ante tyrannum clementiam eius appellat, & vitam Mustapho rogabat. Accensus ille audaci facto & indignatione, eundem pari supplicio damnat, quòd se procul à regia, ab ocio & quiete in insulam ad maxima belli tempestatisq; pericula euocasset. Vniuersa Apocietorum concio factum deprecari, humum hostilem satis madere, non esse rigandam vlteriori sanguine duorum clarißimorum ducum. Itaq; cùm ira iam deferbuisset & admoneri se pateretur, Pyrrho prudentia & sua ætas, Mustapho coniunx, sororq; aui sui materni vitam impetrarunt. Illuxit itaque dies hic tanta hostium strage, Rhodianis tam celeber, quantum vnquam alius quispiam ab vrbe condita. Inter coaceruatos corporum cumulos, reperti duodecim Satrapæ & is quem dixi Vicarium Magister scholæ militaris. cumulatæ corporibus fossæ, strages omnia tenebat, corpora quædam adhuc spirantia, multi trunci artus, diuisa quædam à corporibus capita, pectora, latera, terga multorum sauciata vulneribus: quidam ictibus saxorum integri, vel in mortem sopiti iacebant, vel ægram trahebant animam. tellus cruore atra, vndiq; tristißima facies & plurima mortis imago, & victoria ipsis miseranda victoribus erat, si de alio contigisset hoste. Turcæ qui suos humare parant, cernentes patentia occisorum viscera, fœditatem immanium vulnerum, horrorem concipiebant ingentem, nec desiteri aduersos quosq; viros, quæ tela dimicarent. Vigiles Rhodij pro muris excubantes, palàm eis maledicere. Pyrrho Mustaphoq; vecordiam obiectare, tyranno masculam libidinem; Rhodios caudæ salaci nouaculas acuere, ignẽ infamibus parare corporibus: quorum interemptorum, vulneratorúmque numerum certum nescio, nec si sciam, referre ausim. Is quem in diurnos commentarios suos, temerè tamen conscriptos retulit nobilißimus Eques & antiquarius F. Macedonius, haud dubiè multo inferior verò est, duo tantum millia occisa prodit. Sed F. Georgius Fancellus Eques Lugdunensis, qui hac oppugnatione egregium sanè de se specimen exhibuit, hunc numerum ad casos solùm pro vallo Italico restringit. Roberus Perusinus moribus & ætate grauis, atque omnium quæ hostibus aut prospera, aut aduersa fuere diligentißimus inuestigator, in oratione quam ad Hadrianum

Iacobus Borbonius.

Pontificē habere proposuit, casa narrat decem millia. F. Iacobus Borbonius Eques clarus literis, natalibus ac virtute, casorum sauciatorumq́ numerum ad quindecim millia extendit. Ego ad hunc modum argumento neq́ temerario neque improbabili, numerum ad viginti millia augere non vereor. quantam enim hominum, tum suapte natura, sanguinis & bonorum nostrorum auida, tum imperijs & exhortationibus ducum in cædem nostrā impulsorum stragem fecisse sex horarum spacio, & quinq́ simul locis putabimus, tormenta, arcus, tela, saxa, hastas, lupos ferreos, curuos harpagones, deniq́ omnia quæ ars aut prauitas humana hactenus ab æuo condito in suam perniciem excogitauit? Plura vexilla hostes amisere. Itaque Equites ceperunt duo regia ingentis splendoris æstimationisq́. A nostris præter plurimos sacros Equites centum ferè & quinquaginta profanæ militiæ desiderati sunt, sauciatorum maior numerus. Decretum erat singulos Equites aut læsos aut interfectos nominatim recensere: sed cum huiusmodi diligentia haud necessaria in historia sit, simul ne nimio studio recitandorum nominum fides mea lectioni suspecta fieret, cunctos ob patriam pugnando vulnera passos æquali silentio transire animus fuit, sua cuiq́ gloria contigit: alij aliud decus tulerunt, nulla è Rhodiana militia natio expers suæ pietatis, religionis, meritorum est. Classis centum triremium armis virisq́ instructa tota oppugnatione fauces portus obsidebat, occasionem expectans si quomodo posset subito inuadendi. Sed præfectus cum videret ab equite Franco qui F. Petro de Clujs militabat, & sacro milite vlterioris Hispaniæ Lusitaniaq́ omnes aditus à mari præclusos, haud ausus est concurrere, homo nequaquam militaris sanguinis, cui celebre, mutato ad Achmeti preces capitali supplicio quod tyrannus sumere iussit. plenus adhuc ira, & vehementi admiratione ob importatum ab Andugo in summo loci, temporisq́ discrimine auxilium. palàm tota concione, & in puppi prætoriæ nauis centies virgis, fustibusq́ caso, maris imperium postea ademptum est ob animi ignauiam, & quòd sæpe nimium falli se pateretur à nautis nostris: qui in dies crescente inter oppidanos hominum & rerum bellicarum inopia, supplementum & commeatum, importabant ex arcibus Lindo, Mauolito, Foraclo, Petrea, quam ex ruinis Halicarnaßi, Piramidibusq́ Mausoli sepulchri inter septem orbis miracula nominatißimi, struere cepit Heinricus Schlegelholt Eques Germanus, dum Tamberlanus inuaderet Asiam,

Heinricus Schlegelholt.

conijceretq́ in vincula Bayazetum Turcarum regem, qui prius Pannonios & Ioannem Burgundiæ ducem, insigni apud Nicopolim prælio profligauerat: præterea ex insulis Coo, Lero, Calymnia, Nisero. Telum autem & Chalcea Barbari haud longo ab aduentus sui die, inopia aquarum ceperunt, omnia crudelitatis exempla in victos exercentes. Sed cum res sic obtulit, non putaui silentio prætereundum facinus, nescio vtrum atrocitate, an animi magnitudine nobilius, quod ausa est supra vires, supra sexum suum

Immane mulieris Græcæ factum.

mulier vna Græcanici sanguinis, quæ cum arcis præfecto consuetudinem habebat: quem vt agnouit fortiter dimicando occisum, amplexa duos venusto corpore & amabili indole pueros, quos defuncto genuerat, postquam materna

ternæ pietatis oſcula extrema libaſſet, & notam crucis Chriſti lachrymantium periturorumq́ frontibus impreßiſſet, ferro atrox fœmina iugulauit, & trementes adhuc, exeunte ſimul ſanguine & ſpiritu, artus cum cæteris quæ chara habebat, in ardentißimum rogum coniecit, ne hoſtis (dicebat) vilißimus viuis aut mortuis, gemina nobilitate corporibus potiretur: & cum dicto induens chari amatoris paludamentum madidum multo adhuc ſanguine, accepta framea in hoſtes tendit, ibi egregia bellatrix & omnium ſæculorum memoria dignißima virago, inter confertas hoſtium phalanges, more virorum fortiter bellando occubuit. Tyranno (vt à diuerticulo quodam modo in viam reuertar) poſtquam tot locis, omnibus copijs, tanto tempore vrbem ſumma vi fruſtra oppugnaſſet: nulla amplius libido inuadendi aliena regna erat, ingentes illi ſpiritus conciderant: nihil præter receſſum & fugam meditari. Linqui adhæc ſæpe animo, atque collabi diu, ſine voce ſimilimus mortuo iacere, memoria tot præliorum infeliciter commiſſorum, ſtrage tantorum ducum, tot fortium militum, quorum ſanguine haud temnenda Italiæ pars parari poterat, æger, torpens ac ſilens, diu omni humano acceſſu atque colloquio, etiã complexibus, & Venere Abrami abſtinere, quem perditè deperit, quamuis agreſtem opilionem & patre pecorario Raguſino natum. Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo conſentire dies, & ab vno ſydere duci: huius conſilio Aſiam ille regit, maximam Europæ partem moderatur, ab hoc bardo inepto, agreſti monſtro, emaſculato, nobilißimæ Italiæ tot præclaris ingenijs, tot præterea ſtrenuis atque magnis ducibus, fœda mors & ignominioſa ſeruitus parantur. Sed tyranni mentem nihil æquè ſollicitabat, quàm Lunæ ante initam pugnam deficiens lumen: quæ colore ſanguinis ſuffuſo, dira, fœdáque apparuit. Dijs inuitis ad Rhodum fatalem Turcicæ gentis peſtem ſe veniſſe dicebat, Abraimus & quæſtor, cui publicæ pecuniæ in diuerſos vſus erogandæ cura fuit, animo metum excutiebant, naturæ vicem eſſe lunámque deficere. cum aut terram ſubiret, aut ſole premeretur, tempus quod omnia domat expugnaturum quos ferunt flamma vincere non poteſt. Interea amœni receſſus cauſa etiam terrendi magis obſeſſos munimenta in verticem montis Phileremi erigenda Tyrannus annuit. Cœpta ſtrui arx eſt ingenti opere atq; ſumptu. Muſtaphus dum indies tyranno ſuſpectior eſſet, ſine autoritate ſine gratia (præterea exulceratam mentem habens ignominia nuper parati ſupplicij, nihil enim magnorũ virorum animis tenaciùs inhæret, quàm iniuria) literis ad ſagittam ligatis, hoſtium conſilia oppidanos docebat, & fugam in vrbẽ moliebatur. Sed inuidit fortuna incœpto nobis ſalutari, nã cũ in caſtris nunciata eſſet mors rectoris Syriæ, quem Barbari Caierbechum appellant, Muſtaphus ad leniendam minati ſupplicij iniuriam, cum ampliſsimo imperio, vt Syros in fide atq; officio contineret, ad Babylonem Memphiticam miſſus eſt. Verùm quando hiſtoriam ſcribentem non deceat, parum comperta pro veris narrare, Lectorem hic admoneo, quæ de Muſtapho hoc loco dixi, accepiſſe me ab hominibus magis opinionem ſuam, quàm rei certam cognitionem ſequutis. Quicunq; tamen proditor, & fugitiuus iſte fuerit,

Abraimus.

magnum

magnum eum virum secretorum cōsiliorum participem fuisse, liquidò constat. Tria millia Syrorum postea, & quingenti Mammaluchi, qui rectoris mortem attulerant, per triduum leui certamine, sed quo nullum nobis, nec molestius, nec nocentius, saxa ignesq; iaciendo, cum custodibus propugnaculi Athanasiani bellum gesserunt. Verùm leui certamine, nec iusto prælio, neq; bombardis, cuniculis, tormentísue clara Rhodos capi potuit. Iam quietis aliqua facies apparere, efferacior vis tormentorum continere paulisper ictus & boatus suos. In summa, obsidio magis quàm oppugnatio aliquot dies fuit. Hostis tamen dies & noctes in fossis excubans, dolū tentabat defensoribus mœnium, præmia modò, modò formidinem ostentans. Latinos tantum ad supplicium se cupere: Græcos verò Imperatorem Græciæ inuiolatos seruaturum dicebat. Sequuta est inde fœda imbribus hyems, tonitrua, fulgura, minæ cœlestes, non solùm corpora fessa labore, metu ac vulneribus, sedetiam animos Barbarorum frangebant. Præterea asperum mare naues in statione, qua haud facilè alia infestior classi esse potest, ita afflictabat, vt præfectus vbi nulla facultas administrandi aut adiuuandi daretur, cum vexata & lacera classe, dimissis funibus & anchoris continentem petere sit coactus: quam ob rem, magnam, quod necesse erat accidere, totius exercitus sui perturbationem Tyrannus sensit. Vnus postea quam Achimetus ei promiserat quòd ima murorum dolabris vectibusq; ferreis euerteret, tanti mali patiens, vocatosq; ante prætorium suum milites: quorum lubricæ ac rigentes manus vix arma tenere poterant, in hunc modum alloquutus est:

Achimetus.

Oratio ad milites.

Quanta pro dignitate atq; decore imperij mei feratis magnanimi Milites, haud ignoro. Continuus cœli fragor, immēsa imbrium vis, sonorum cœlum, algor, fames, sitis, cæteraq; longæ istius obsidionis mala, vt arma vos deponere, quietemq; necessariam sumere sinam, multum me hortantur. Sed videamus primùm, anne turpe sit viris fortibus victoriam, quæ in manu est, hosti tædio imbrium & tempestatis relinquere, vallum fossam, aggeres, non in vrbem modò, sed in cœlum etiam spectantes, munitiones, turres, & talium oppugnandarum vrbium apparatum deserere. Certè aut non suscipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate imperij Turcici oportet. Quod si æstate factum non est, hyeme vt faciamus, cogit me cùm publicum imperij decus, tum vestrum quenq; priuata sua vtilitas. Si enim hinc reducimus exercitum, quis est qui dubitet hostes, non cupiditate solùm vlciscendi, sed etiam necessitate imposita ex alieno prædandi cum sua amiserint, agros vestros, domos, fortunas vestras inuasuros? vos coniuges, liberos, necessariosq; in multo fœdiorem, quàm nunc est seruitutem redacturos. Vrgete igitur obsessos, nec antè abscedatis suadeo, quàm spei vestræ finem ceperitis. Si hercle nulla necessitas subesset, tamen ipsa dignitas, famaq; corporum & animorum vestrorum perseuerantiam imponere debet. Nam ora, oculi omnium gentium, omnium Christianorum in istud bellum, in vos conuersa sunt. Quos hyemem vnam durare in castris non posse intellexerint, meritò æstiuas aues appellabunt: qui statim nubilo cœlo, tecta ac recessum circunspicitis. Græcos ob vnam pellicem Troiam decem annos oppugnasse dicent: sed

Turcas cædibus, rapinis, excursionibus terra & mari factis, seruitute præterea ducentorum & quatuordecim annorum vexatos, oppressosq́; vnam hybernã obsidionem perferre non posse. terrorem nominis vestri hactenus vanum fuisse: famã illam (vt pleraq; alia quæ non visa magis timentur) auxisse apud homines ignaros in regionibus exteris. iã tutò sustinere quemque vos posse, qui impetu potius bella geritis, quàm perseuerantia quæ in omni genere militiæ maximè autẽ in obsidendis vrbibus necessaria est. quarum plerasq; munitionibus, ac naturali situ inexpugnabiles, fame sitiq́; tẽpus ipsum vincit atq; expugnat, sicut Rhodum expugnabit: in quam occultum telum paratum est charissimi commilitones. Verùm cunctis præsentibus res se tractare nõ patitur. tã nescire enim quædã multitudinem, quàm scire oportet. Pleriq; id callidè magis quàm verè dictum existimabant, & quanquã ingentia præmia, & placida ducis oratio mœstos & fatigatos militũ animos parũ reficerent, vicit tamen in gente obsequentissima Imperatoris amor, & magni secreti auida expectatio. Achimetus teli illius autor, Achimetus promurum occupat. *spõsorq; victoriæ, ad murorũ fundamẽta septæ haud alto promuro, post quẽ custodes nostri excubabãt, crebrò (licèt haud satis tuto loco) militem suum submittebat. qui cũ (nescio quo infelici fato nostro) promurũ illũ occupasset, factus voti cõpos, auxiliares inuocabat: hi intra locum se munierunt, donec dux murũ musculis testudine pluteis in cũ casum paratis subiret. Quod quidem facilimum illi factu fuit, per fossas iam complanatas, multa terra iniecta, cuius eminens supra modum altitudo vsum tormentorum è cauis propugnaculi Auerni latus hostium tentantium impediebat, neq; Rhodij è fastigio murorum immanibus bombardis illis dirutorum, cum nusquam in illis esset consistendi locus propter Chiriobardericos, intra aggeres suos tormentis paratis latitantes, quicquam deuoluere in subeuntes poterant. Itaque homines defunctos, vt videbatur, omnibus periculis, & in vmbra quodam modo quieta pacis existentes, recens atque inopinatum malum mirè perturbabat. Conspectus primùm pauorem, silentiúmque torpens iniecit, admiratio deinde ac commiseratio, suique aperta querimonia subijt. Preianus ad omnia impiger & audax, perforantes igne, oleo, pice ardenti, reliquáque materia incendiaria summouebat. Sed cũ fugientibus ignem, fustuarium, mórsque parata essent, & pro saucijs semper reponerentur integri, fatale opus septimo die Octobris incœptum, magno conatu miserrimorum seruorum procedebat. Serui enim sunt Turcæ omnes, etiam consilio, autoritate, armis præstantissimi, solus vnus Tyrannus in tam immenso imperio cuncta sibi possidet, cæteros omnes quenque pro dignitate & merito stipendijs alens: hi quo pleno discriminis opere ocyus se liberarent, excauatum circa fundamenta murum stipitib. fulciebant, quos adiectis malleolis, ignibúsque torrendo muri ruinam parabant. Verùm cum res ex sententia non procederet, eundem cathenis ferreis, funibúsque anchorarijs mirabili machinamento distrahere in terram conabantur. Sed tormenta per Auernum propugnaculum disposita, exiguo tempore insani & multorum dierum operis molem deiecerunt. Dux Achimetus postquam*

T omnem

omnem conatum suum ludibrio esse vidit, atq; obuiam sibi venire ab oppidanis intellexerat, anxius trahere cum animo suo, omitteretne incœptum, quoniã frustra videbatur, an fortunam operiretur, quæ sola promissiones suas Tyranno factas implere, & morte eum liberare poterat. Interea vt iussum fuit à Gabriele Martiningo Drachones fieri intra murum crassissimum, vt educta inde arma iuuentus operarios trucidaret, & minutorum tormentorum vtroq; latere positorum conglobatis ictibus muri faciem, ad quam hosti aditus erat, tueretur. Sed Martiningi mandatum specie satis tutum, euentu nobis & sibi infelix fuit. Nam oculo ictu Chiriboardæ inter opus ordinandum priuatus est, vt plerią; alij strenui Equites, inter quos haud immerito retulerim F. Ioannem Omendem Equitem Arragonensem, cui cura vestitus militaris distribuendi incumbit. Disposuerunt Barbari multitudinem horum tormentorum per rimas partis muri, quæ inter eos & nos media adhuc restabat. quem, cum ignari essent quantum hæ Chiriboardæ nobis nocerent, suspenso opere terebrandi, denuo bombardis maiori mole acriter feriebant: quarum vis iam solito erat efficacior erga murum tot modis debilitatum. Qui vbi indies magis magisq; tormentorum continuã violentia labaret, oppidani ad omnia tuenda obeundaq; multimoda arte destineri cœpti sunt, non nocte, non die cessauerunt ab opere, vt nouum murum, ab ea parte qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent. Hostibus & defensoribus par labor, similis animus: quem illinc spes, hinc desperatio fecerat. Cretenses, quorum operam atq; industriam scriptores in bello nauali commendant, etiã huic terrestri vtiles fuere, & locum difficillima custodia, cum supplemento sacrorum Equitũ adeò egregiè, fideliterq; obseruarunt, vt non sint veriti Castrophilacam ciuem Rhodium, opibus, & cognatorum atq; affinium celebri multitudine potentem, cuiusq; in extruendis operib. disponendis munitionibus, summa toto bello fuerat diligentia, quiq; ipsos sæpissimè pauit cibo ac potu largissimè administrato, in vincula publicitus conijcere, quòd tempore & loco suspecto, contra Magistri edictum per singulas stationes voce præconis diuulgatum, sagittam in hostes eiecisset. Quem vbi varijs & multis quæstionibus affecissem, nihil potui expectorare, adiutus etiam opera prudentissimi & nobilissimi Hispani equitis F. Ludouici Luel: cui cum quatuor tribunis militum iuris dicendi ac distribuendæ annonæ cura erat, quàm quòd inter amicas & fortuitas cum plerisq; ciuibus cõfabulationes hostis irã, si auxilia transmarina nõ venirent, aliqua tributi specie vel manumissione seruorum leniendã dixisset. Hanc grandi cum difficultate expressam à reo confessionem, vbi nocte ad magnum Magistrum retulissem, strato (cui indumento militari septus incumbebat) se attollens ac gemens ad vigilias perrexit, iussitq; nullo alio addito verbo vt reus seruaretur. Per hoc temporis Tyrannus foris comitia celebrare, cum ducibus de summa rerũ frequenter consilia inire. Omnium vnanimis sententia erat vrbem eo die capi posse. Cæterùm vt in multitudine semper alijs aliud placet, quidã sentiebant (sic enim mihi obsidi hostes ipsi retulerunt) Rhodiorũ animos prius colloquio tentandos, si forsan pacati quippiã responderent.

Ioannes Omendes Eques Arragonensis.

Cretenses propter belli naualis peritiã cõmendantur.

Ludouicus Luel.

Ad hunc modum victoriam minori sanguine imperatori futurã, & orbis totius imperium anhelanti utilem esse clementiæ famam, quam summis du cibus ad opes propagandas miro usui esse Caßius & Achmetus affirmabant. His magna animorum contentione desertorum fidei magister contristabat, qui sæuitia ingenti & cupiditate prædæ ad excidium ciuitatis trahebatur. Tyrannus placitorum Mahumetis studiosißimus, ingenio infido & supra naturam hominum ac feræ cuiusq. trucißimæ crudeli, quam tamen crudelitatem altitudine ingenij ubi expedit mirè dißimulat, in sententiam seueriorẽ magna totius corporis & animi alacritate acceßit, & per omnia castra urbis direptionem militibus concedens, eos in hanc sententiam alloquutus est. Tandem magnanimi viri Fortuna virtutem atq. constantiã vestrã egregiè experta, digna laboribus modo præmia affert. Victoria & opes hostiũ quæ tã diu cupiuistis in manibus vestris sunt: nunc tempus Græcolatinos istos, qui plures penè perierunt, quam supersint, non homines, sed effigies & umbras hominum, fame, vulnere, squalore, laboribus debiles, impotentesq. trucidandi, qui scio vobis resistent: non quia audent, sed quia necessitas perituros cogit. Sumite perfidiæ, crudelitatis & sceleris pœnas nũc à Cruciferis, & documentũ modò graue posteritati exhibete: ne quis unquã Turcã ulla in fortuna opportunũ iniuriæ ducat. Strata in urbem via est, patet oppidum immani ruina, quæ cõmodè alã triginta equitum amplecti potest. Ab hac exhortatione Imperatoris milites incitati, cum per aliquot dies inter stragem ac ruinas captæ urbis nihil superesse præter armatos hostes viderent, nec quicquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionem animos, ni vis adhiberetur, experiri ultima & impetum se facturos in urbem Tyranno promiserunt. Vtq. omnia eis opportuna magis ad vincendum forent, oppidanis palàm obscœnam necem & miserrimam seruitutem pridie diei quam pugnam inirent, minabantur, & lapides crebris tormentis excutiebant, quæ per hiatum disiecti muri in urbem volantes, multas uno die domos prosternebant. Interiorem autem recenter oppositum murum propter suam decliuitatem rarò attigerunt, quæ res magna nobis saluti fuit. Fragor ruentium tectorum, sonitus hostium, tonitru fulgorq. bõbardarum, magnam miserrimæ plebi perturbationem iniecit. ploratus mulierum puerorumq. undiq. audiebatur, omnia triste spectaculum erat, dira & feralis ubiq. rerum facies, diem tam fœdè exactam, turbulentior omnino nox excepit, noctem lux turbulentißima insecuta est. Albescenti enim cœlo fulgentia legionum signa in patentibus campis conspiciebantur. Barbari spe prædæ & victoriæ alacres, cum immenso strepitu armorum cantũ ululatuq. patrio ad diruta atq. disiecta mœnia properabant, maximam vexillorum multitudinem cinctã festa fronde ante portam Ambrosianam statuentes, quam Angelus eques multis fortibus factis atq. prudentia animi insignis, præfectus modo Aquilarius & Augustalis Thomas Chienfel custodiebat, nec segniter nec imprudenter. nã tria magnæ molis hostilia tormenta contrarijs suis tormentis, quo suo facto & opera Christophori Vualdenric, cuius suprà feci mentionem, ciuitas hac parte nõ admodũ firma ab

Tyrannus Turcicus suos alloquitur.

Turci urbem inuadunt.

excussionibus & vi vndecim immanium tormentorum liberata est. Regia classis portum locaq; maritima circumnauigans inuasionem simulauit, dixisses vrbem terra & mari inuadendam, expiratura respublica, casurum omnibus imperium meritò videbatur. Nihil tamen tot onerati atq; obruti malis flexerunt animos: sed tantùm arma ferrumq; in dextris velut solas reliquias spei intuentes, abalienatis à memoria periculi sensib. ad sonitum æris cāpani effusi vndiq; ex domibus, antris ac latebris, quas pleriq; contra imbrem ignium & immanium saxorum sibi parauerāt, densato agmine in rabiē versi ad pugnā cucurrerūt, pro nudata mœnibus patria corpora sua oppposituri. nihil ducum exhortationibus, nil imperio opus erat: sua quenq; conscientia recordatione malorū hosti illatorū ad defendendā impigrè vrbem hortabatur: & proponebat alius alteri hostile iugum, ludibria & victoris superbos vultus, vltima omnibus supplicia & fœda mors ob oculos erant. pugnabant inter ruinas collapsi disiectiq; muri velut cāpo patente Equites & ciues Rhodij: fœminæ viros suos ad cœlum manibus tensis, poscentes à Deo & numine tutelari victoriā, vt pro patria, pro libertate, pro domesticis opibus, pro religione Christiana fortiter pugnarent hortabātur, mortē clamabant timendā non esse, quæ nouā beatissimis animis vitā afferret. Mulier quædā corpore quæstum facere solens, hoc die S. Andreæ profectò, vt commissum sæpissimè scelus morte expiaret, multos Barbaros acuta cuspide transfodit. Quædam afflictæ matronæ in domibus suis patriæ occasum cum suo exitio expectabant: multæ mœstissimæ matres cum cœtu virginum in templis ante aras, ante imagines sanctorum prostratæ, funesto comploratu atq; vlulatu fœmineo inter se dissona, votis ac lachrymis delubra implebant, dubijs rebus diuinam opem implorabāt: & vt optimi cœlites nefandam vim à pudicis corporibus auerterent. F. Clemens Metropolita (cuius ante prælium in re diuina placandisq; superis, in prælio cohortandis excitandisq; & consilio & exemplo virtutis militibus opera singularis ac diuina extitit) homines Græcos manu sacrosanctam Crucem gestans, sancta spe & fortitudine bellādi implebat. Si more virorum pugnarent cuncti, inquit, multos victores superuicturos: contrà si ignaui remissiq;, in acie sibi parcerent, inuasa mox vrbe omnes ante ora captarum coniugum, liberorumq;, inter verbera & vincula, omnia fœda atq; indigna passuros. Antistes sacræ militiæ & fani Diui Ioannis Colossensis, Equites hominésque Latinos exhortabatur, ne vllum ante finem pugnæ quàm morientes facerent. F. Ludouicus Tentauillus iuuenis congestis omnibus à natura fortunaq; bonis splendens, nobilis, diues, forma, viribusq; corporis excellens, facundia pollens, bello quoque bonus, propius cum Liladamo magno Magistro & pernecessario suo vexillum Christi Crucifixi quod ferebat in hostes intulit. Pugnatum est circa illud vtrinque summa vi & vario Marte: Barbari cepisse iam se vrbem si paulùlum adnitantur, credebant. Itaq; quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus permiscebant. Rhodij verò eos pro victis habebant, quia non vicissent ipsi numero & robore corporum maiores. sunt enim Turcæ ferè omnes procero altoq; corpore, capitibus tonsis, &

Ludouicus Tentauillus.

sis & raso pleriq. vultu, excepto superiore labro, quod omnibus (cum tõdere inter eos aut nefas aut dedecus sit) pilis contortis atque reflexis vtrinque ad ambas aures hirtum horridumq. est: præterea loco ad pugnam & victoriam aptissimo. Accẽdebantur ergo animi & certamine laboris & periculi, atque ipso inter se conspectu, ita ferox natio bello orbem peruagata, si tamen Turcæ bella & non potius latrocinia agant, occasione semper, rarò vera virtute adiuti, ab vnius oppidi defensorib. longa obsidione propè enectis fœdè reiecta est. Oppidani pedem & terga vertentem Barbarum clamore incessebant. Turcæ genus hominum in iram & cæcam rabiem præceps, indignati quòd victores plurimi à paucis & victis, si incepto prælio perseuerantia adesset, irriderentur, versis in frontem cuneis Rhodios aliquanto atrocius, quàm antea adorti sunt: cecidissemus haud dubium omnes eo die & prælio cum patria, nisi commodum custodes qui summa extremáque murorum adhuc stantium tuebantur, è tabulatis atque ibi erectis operibus nubem sagittarum & machinalium globorum in dorsa per ruinas vrbem incurrentium, eiecissent: & quod maximum atque omnium vtilissimum fuit, tormenta dextra leuáque parte muri recenter in speciem quadratam extructi, Barbarorum latera fœdè cõfringebãt. magna strages edita, atrox spectaculum, gemitus & vlulatus non clamor amplius morientium erat, & plures omnino mortui fuissent, nisi imber Cheriboarderijs obstitisset. nam illorum puluis pluuia madefactus, haud facilè incendi potuit. Achimetus astutus vir & tenuis, boníque sensus, quamuis obeso & propenso sesquipede ventre, veritus ne suorum cæde nobis cresceret nimium animus, gnarus præterea maximarum rerum, cardinem momento temporis in bello verti, & quòd hostis contemtus, sæpe cruentum certamen daret, ingentesq. exercitus infelici hora, parua manu deleri posse, milites in castra reduxit: compertum ibi (si modo vera narrant) cecidisse eo die præter ingentem sauciatorum turbam, quinq. millia fortissimorum virorum. Duces omnes territi tanta suorum cæde (quanquam nemo ex eis victoriam desperaret) vnanimi sententia statuerunt vrbem haud amplius iusto congressu tentandam. Verùm inductis per medias ruinas in eam quinque fossis atq. incilibus, murum illum qui oppositus erat, & alterum opponendum ponè qua adhuc vallum ligneũ obieceimus, dolabris, terebrisq. subrui debere: obsessos interea in dies, inq. singulas horas leuibus, & tumultarijs pugnis lacessendos. Vnicum istud consilium magis quàm omnia alia prælia hostibus profuit: qui dum in dies, nouaq. pro dirutis opponebantur, opera ferro igneq. violarent, & oppidani præmio quadraginta millium ducatorum, quæ summa in sanctiore ærario ad vltimos casus, testamento Ambusoni relicta & seruata fuerat, remunerati, tuendo, diruendo domos, fossas transuersas vijs perducendo, minorem indies vrbem facerent: breui in tantam extremitatem sunt adducti, vt qua primùm aut potissimùm parte ferrent opem eum omnia longè lateq. hostium essent, satis scire non poterant. Nam altitudo areæ in vrbem ab hostibus occupatæ passuum erat ferè ducentorum, longitudo centum & quinquaginta. Tyrannus interea quãquam certus vincendi, animum ad

Quinq; millia vno die cadunt.

consilia Achimeti & Caßij applicat. Qui nuper frequenti ordine procerum dixerant, volentibus imperij fines propagare, vtilem esse clementiæ famam. Et Pyrrho mandauit, vt obsessorum animos colloquio tentaret, ille quendã Hieronymum Moniliam Ligurem ad mœnia misit, qui fidem & tutelam corporis à defensoribus impetrans, pauca quædam & vtilia desolatæ vrbi velle se exponere aiebat. Omnium animi arrecti erant, iussus est dicere: negat sibi palàm id licere, sed secretò cum Mattheo de Via Ligure, habitatore Rhodi, aut per epistolam loqui velle. F. Forouius Eques Auernus, qui fortè adstabat, cuius tota obsidione virtus atq; vigilantia singularißima extitit (ferunt enim hunc solum è turri diuo Georgio sacrã, quæ in mœnia & ruinam murorum spectabat, vltra quingentos Turcas, vi tormentorum neci tradidisse) indignatus mentione secreti colloquij, nuncium bombardis abegit. Multi quorum animi in spe vltima obstinati ad certandum fuerant, postea quàm victor obsidens colloquium tentauit, & spes vitæ adfulsit, magnũ Magistrum rogare, vt genti suæ optimæ meritæ prouideat, tot prælijs sese victos, vrbem dirutam, multos mortales ægros, occisosq;, rem bellicam comminutam esse, satis sæpe iam & virtutem militum & fortunam tentatam: caueat, ne se cunctante hostis maiorem indignationem concipiat, si videat postulata sua sperni. His atq; alijs talibus ad legationem Magistri animum impellunt. Mittuntur ad tyrannum legati F. Anthonius Groleus Eques Auernus, ingenio, & Græci sermonis cognitione commendatus, qui toto bello signifer sacri, militarisq; vexilli fuerat, Robertus Perusius, homo ætate grauis, & Græca facundia pollens accepti pro his obsides, cognatus vnus ducis Achimeti, Epirota quidam qui per patentem ruinam murorum à nobis ad hostes transfugerat, quòd quidam Græcæ gentis præfectus faciem illi depalmasset, homo cuius acre ingenium & linguæ Græcæ, Turcaicæ, ac Italicæ vsus apud nos in obscuro, magno nostro damno inter hostes illuxit: accessit deinde Tyranni ipsius interpres, neq; enim ille peregrinam aliquam linguam nouit, quemadmodum apud nos Imperator Germanus, Gallicã, aut Hispanam, ratus id contra decorem esse sermonis patrij, & Othomonicam maiestatem. Oratores ergo nostri prætentatis & excußis prius diligenter vestibus, si quod ferrum absconditum esset, Tyrannum rogant, quam ob causam colloquium expostulasset, ille similis nescienti cum ira & indignatione factum negabat, & castris quàm primũ excedere iussis, hanc epistolam ad magnum Magistrum & oppidanos dedit: Nisi misertum me foret humanæ infirmitatis, quæ multorum ambitiosas mentes plerunq; in maxima, & minimè necessaria mala præcipitat, profectò hasce literas direxissem minimè. Sed morte qua digni estis, & miserrima seruitute vos afficerem, quod quã mihi sit facile, ipsi cognoscitis: egregiè iam experti vim meam, si sapitis experiamini gratiam. satis indulsistis furori, satis demẽtiæ vestræ: redite ad cor, facite ocyus quam impero deditionem, do vitam, do opes, præterea optionẽ manendi & abeundi. nolite si quod omnib. votis petendum erat, vltro offeratur, fastidire: non quemadmodum hodie vtrunq; vobis licet, sic semper liciturum est. Reditu Oratorum in vrbem, magnus concursus hominum omnis

Hieronymus Monilia Ligur.

Forouius solus vi tormẽtorum vltra quingentos Turcas neci tradidisse fertur.

Legati ad Turcam mittuntur.

omnis generis eos ſequentium factus eſt ad domum, qua magnus Magiſter ſe tenebat, haud procul à muro vrbis diruto. ſummota cętera multitudine, ciues primores inducti ſunt. Recitatū cum eſſet frequenti ordine Equitum & ciuium Rhodienſium, minax imperioſi Tyranni mandatum, magnus Magiſter, cui ſatis honorum, ſatis ſuperq́, vitę erat honeſtę mori; ſic exorſus eſt: Audiuiſtis ſacri commilitones, vosq́, magnanimi mei Rhodij, feralem & triſtem epiſtolam: cui quomodo ſit reſpondendum, haud anceps deliberatio eſt. Vel parendum fortioribus, vel moriendum, victorię omnis ſpes deuolauit, niſi adueniant foris auxilia. Si meum igitur approbatis conſilium, fidem, nobilitatem à maioribus noſtris acceptam, bellicam laudem domi, militięq́ partam per tot annos, fortiter ferro, ac dextra ad extremum vsq; ſpiritum & ſanguinem tuebimur, ne viris ſit fortibus glorię, quàm vitę finis. Huiuſmodi ducis oratio amarior multis viſa eſt, quàm Tyranni imperium. diu mœſtum ſilentium aliorum alios intuentium fuit: multi occulta oris mutatione motuq́ corporis magis quàm voce, quid ipſi ſentirent, exprimebant. tandem ſacerdos quidam Gręcus, cum ſumma animi commiſeratione & lachrymis, in hęc verba prorupit: Tacerem ego quoq;, ſi priuatus eſſem, aut in vario turbulentoq; tumultu, non primus meam ſententiam dicerem. Verùm quando cura communis ſalutis vocem nemini exprimere poteſt, & omnes ſciunt dicendi, ac ſuadendi quod quiſq; velit, aut optimum putet occaſionem modò eſſe, quę nec ſemper, nec diu erit, eam pręterlabi non ſinam. Fingamus igitur potentiſſimi principis obſidētis nullum nobis mandatum factum, ſed veluti priuatus cum priuato, amiculus cum amiculo, ante focum & inter compotationes, ſine cura, ſine ſtudio immodico alterius partis, ſine libidine aut odio de rebus principum nihil ad ſe pertinentibus ſolet, nos differere: & tum neq; ingrata, neq; vt ſpero infructuoſa erit oratio mea. Sex iam menſes Gręci & Latini vnanimis armis, non ſolùm foris ante muros, ſed in viſcerib. vrbis infeſtum hoſtem ſuſtinuimus. ſine vllo auxilio, ſine vlla externa ope, quam vt diu omnes fruſtra ſperauimus, ita ſinguli nunc certò ſperamus: hoſtis autem vel occulta Dei benignitate motus, vel viriū & animorum noſtrorum ignarus, quę vulneribus, cęde, morbo, dies ac noctes continuato opere perierunt, id vltro offert, quod optandū nobis. ac ſumma ope petendum erat: aurum argentúmque omne publicum & priuatum, corpora veſtra, fœminarum, puerorum ſeruat inuiolata. vrbem tantùm, quam ex magna parte dirutam captamq́, ferè totam habet, adimit. Magne Magiſter, nobiliſſimiq́ Equites, cùm alijs multis naualibus prælijs, tum hoc terreſtri pręcipuè oppugnatione fortitudinem veſtram ſum expertus. cuius cum in re deſperata amplius nullus ſit vſus, prudentiam veſtram & clementiam appello. Cum iam omnia victoris ſint, quod vitam, opes relinquet, in lucro eſt, non in damno vrbis inſulęq́ deditio, quam victor hoſtis imperat: quę licet grauis, acerbaq́ nobilitati videantur, fortuna veſtra vobis ſuadet. deditionem ergo faciendā cenſeo potius, quàm trucidari corpora veſtra, rapi trahiq́ ante ora veſtra vos, cōiuges, liberos, belli iure, ſinatis, ſi vlla miſericordia flecti poteſtis. Si qua Chriſtiana pietas in militarib. āimis

Orao viri fortis.

eſt.

est, ne ad vltimum perditum eatis rogo, innocentem hunc populum, & vt
modestissimè dicam, non malè de vobis meritum quem Christus Iesus, quem
hostis infestus seruare vult. Pietatis caussa, nec vllius alterius loqui qua lo-
quor apud vos, vel ea si les sit, quòd neque dum vestris viribus restitistis,
neque dum auxilia à principibus sperastis, deditionis vnquam apud vos
mentionem feci. Posteaquam autem cernã omnia fatis in peius ruere, com-
munes fortunas nostras in extremo sitas, hostem infestum, spem ali nullam;
penuria rerum necessariarum bellum non posse trahi, deditionem suadeo, pa
cem quàm bellum malo, & gratiam potius quàm vim experiri. Cum hic
perorasset, nemini certare cum eo oratione necesse fuit, adeo propè omnis ci-
uium audientium cœtus sacerdotis erat, aliqui tamen conscientia iniuria-
rum quas Turcæ intulerant, & quia nec deditio tuta ad tam infestos hostes
videbatur, nec spes mœnibus aut armis tuendæ salutis erat, se ac cæteros pe-
riculis obiectare & more virorum cruentam luctuosamq́; victoriam hosti
relinquere cogitabant. E quorum numero quidam quem & iuuentus & ex
trema (vt credebat) hora non solùm liberum & loquacem, sed etiam iner-
mem inter armatos proceres & seniores viros ciuitatis, coramq́; ipso magno
Magistro audacem faciebat, sic eloquutus est: Nihil vnquam minus consue
ui quàm quod ipse sentirem, coram principibus viris aut in magna homi-
num frequentia dicere, adeò malui semper aliena verecundè audire, quàm
impudenter ingerere mea. Sed nunc cum extrema dicendi necessitas institu-
tum vitæ tenorem obseruare me vlterius non patiatur, quid nobis diro nun
cio & graui imperio perfidissimi tyranni commotis faciundum sentiam, li-
berrimè loquar. Deiecit immanissimus hostis murum, & ciuitatem nostrã
trecentos & amplius pedes ingressus est, molestissimus hospes sub eisdem te-
ctis nobiscum viuit ac versatur. Qui durum aduenam & grauem vicinum
perferre amplius nolunt turbatori tota possessione cedendum suadent. Mi-
hi longe alia mens est sacri Equites. nec enim tam leuiter fundum ducentos
& quatuordecim annos cultum relinquendum verendum sentio, sed mole-
sto inquietatori aliam molestiam inferendam, & cum prædatore continuo
præliandum: quem vbi armis animisq́; nostris inuitum & repugnantem
quinq; mẽses exclusum tenuissemus, irrupit tandem in ciuitatem nostram,
nulla sua virtute fretus. sed tempore quod omnia domat, hodieq́; agitur
ab introitu suò dies ferè quadragesimus, nec dum iter longum centum &
sexaginta integris passibus, quanquam mirè festinans, conficere potuit,
tardatus impedimentis quæ illi obiecimus, & obiectare non cessabimus, si
viri sumus, si sani, si pristinæ virtutis memores: me prius perdant cœlites,
quàm isto gemino obtutu cernam sacros Equites tradere clarã Rhodum,
antiquam propugnatricem Christianæ religionis, immanissimis hostibus,
contaminatis omni infamia Mahumetis, qui præter anhelam sitim nostri
sanguinis. quam sint infido malignoq́; ingenio. si nescimus. satis nobis exem-
plorum præbent ne queramus quo modo alijs exemplo simus, Constantino-
politana calamitas, posterior Eubœæ clades, recentior Metonensis, tum
Mamaluchorum Cayrensium contra fœdus, contra acceptam & datam ab
ipso

ipso imperatore fidem miserabilis trucidatio. Quid? nónne in mentem venit summorum ducum, qui Belgrado imperabant, dolo fraudéque hostium procurata mors? Eamus nunc sani homines & fidem adhibeamus insanissimis belluis, permittamus corporum nostrorum potestatem, quibus nō lex, non ratio, nihil sancti, nihil pensi est: quorum nescias maior sit auaritia an crudelitas, qui nihil aliud multos iā annos meditantur, agunt, quàm quomodo dolo, vi, nomen Rhodianum ipsis tantopere inuisum penitùs deleant. Sextum iam mensem circumuallatos inclusosq́; nos tenent, nobiscum vltima pericula grauissimos labores perpessi, ante propugnacula & muros sępe trucidati, postremò iniuria fulgurum, imbrium, tempestatis, hyeme, quę omnium bellorum terra ac mari quies est, hinc auerti non potuerunt, tanta auiditas supplicij expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. nec omnino iniuria, nos quoque illorum cruorem fudimus, & adhuc funderemus libenter, si per fortunam liceret. Verùm quando Deo immortali aliter visum est, & vltimam necessitatem effugere non possumus, cruciatus & contumelias quas hostis sperat dum liberi dum potentes nostri sumus. honesta velim morte inter arma inter vexilla S. Crucis euadamus, hoc pacto ęterna gloria quę pro Republica cadentibus inter superos & mortales parata est, perpetuò perfrueremur, quam virtuti & nomini tuo nobilissimo, Magne Magister, inuidere eos non conuenit, qui multorum annorum pacis commodo atq; fructu vsi, tum liberalitate etiā sacrosancti militaris Ordinis, extremum nunc belli onus ferre accusant. Quę verba excipiens quidam Gręca nobilitate atq; prudentia insignis vir, magno silentio gentis suę etiam multorum Latinorum assensu hunc in modum sententiam deditionis perorauit. Peroratio deditionis. *Quòd dolor & desperatio facundos homines facere possint magis quàm prudentes, cùm sępe aliàs tum hoc die cognoscere potuistis sacri Equites. nunquam enim prudens à modestia labitur ad maledicentiam: non commiscet vera falsis, non cupit cędem ciuium, non suadet furorem, non hortatur ad dementiam. Sed ita profectò multis ingenitum est, cum ipsi nec prudentia nec consilio malis suis explicare se possint, cęteros in eandem perniciem protrahere, adeò semper noxia & auida fuerunt societatis calamitas & malitia. Verùm si tu magne Magister, mihi quoq; dicendi potestatem facias, homini inter suos neq; potentia neq; autoritate vltimo, quod cùm pręsens calamitas, tum ipsa etiam necessitas impetrare abs te debet. differam quę acuti istius oratoris plura atq; magnifica verba, & rei agendę causa conquisita, non solùm refellant, sed etiā mentem tuam ad id quod vtile, honestum ac necessarium est. motis inde odio, metu, turbatione, diffidentia erigere possint. N. noster quem non solum vehementem oratorem esse, sed interdum etiam trucem scimus omnes, quum tamen ingenio sit mitis, atq; adeò mitis, vt neminem ex his quos appellat Barbaros, insanos, immanissimos, quorum detestatur perfidiam, accusat crudelitatem, quos sine lege, sine penso, sine ratione viuere exclamat, nedum occidere, sed ne modicè quidem vulnerare voluerit. Et nunc tempore indutiarum. dum sagittarum imber pluuia globorum cessat ferreorum, ignis, lapidum, prodiens*

de cauea sua miros excitat tumultus: omnia commiscet tragœdijs, & quanto in discrimine versetur ignarus, mortem quam hactenus factis se horrere manifestauit, nunc dictis inuocat, ne ludibria & contumelias hostium, inquit, ferre cogatur. superbia hac est, non fortitudo aut Christiana humilitas. Verùm ista nec minatur neq; parat hostis, nequaquam tã perfidus aut crudelis quam ipse videri vult, refricatis cædibus Cayri, Eubœæ, Metonis, Constantinopolis, vrbium vel vi vel ingenio militari expugnatorum: non obsidentis & obsessi conuentione permissarũ in fidem victoris: qui quia pepercisse nobis vult, committere cur pereatis non patitur. Sed vnde hæc noua clementia? Inusitata erga populum Rhodium pietas? Ego rerum arcanarum tyranni non sum conscius, nec vnquam alieni beneficij rationem inquisiui, cum opus est accipere gaudeo. Verùm quid ipse in re dubia sentiam, minimè diffitebor. Vult (existimo) Rhodiensi oppugnatione & victoria cæteris gentibus, quibus imminet, vim suam ostendere & gratiam, ne semper sæuiendo aut solitudinem eam facere, quibus imperaturus aduenit, aut animis mortalium perpetuò à se alienis cum omnibus ferro & flamma certare cogatur: quibus malis non tam hostium quàm suorum iacturam fecit. Hanc ob causam (vt reor) vitam nobis, & opes relinquit, nedum ipse eas vi auferre, & nos insano bello retinere velimus, ambo in maximam ruamus perniciem, victori propè tã luctuosam quàm victo. præterea si omnes hic trucidat, licebit tunc quidem nemine viuo hîc resistente per cæsorum cadauera Rhodum ruinis patentem ingredi. Sed clausa est Lerus, serata Petreia, munita Arangia, Lyndus situ inexpugnabilis, hic tela, hic enses, arma, viros esse credit, & nouus belli iterum apparet desudandus labor: nisi malit vestram militiam fatalem imperij sui pestem, in suos grassati: quæ loca sine cæde, sanguine (vt par est) habebit, si te magne Magister, si vos Equites, & nos miseros incolumes hinc cum leui suppellectili dimittat. hæc humana consilia nisi illum ad gratiam & miserationem nostri commouerunt, tum dubio procul numine agitur, & occulta erga nos Dei ac Domini nostri Christi Iesu crucifixi pia clementia. Cui vos si sani estis, si viri religiosi, si virtutis hominum verè Christianorum memores, obicem opponere non conuenit, & vestra ruina hanc miserabilem plebem extinguere. Quæ semestri obsidione ista vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset quieti dare potuit, pro vobis in acie stans, pro vestra gloria victoriaq; vulnera & mortem ferens. Cuius fideli opera & diligentia domi forisq; adiuti estis. Siue Turcam inuaderetis terrà Mytilene, Naupacto, Metone, Patris, totáque Peloponneso, siue eundem turbaretis possessione maris Ionij & Aegei, qua ex re vel cæco apparet, quàm sit iniurium & à veritate alienum, obijcere nobis quòd pacis fructus metientes, belli onera recusamus, imò bellum nunquam recusauimus. Nunc autem & si maximè gerere velimus, non possumus, robore iuuentutis occiso paucis reliquis quæ supersunt non tantum corpore vulneribus, morbo, vigilijs, labore irrequieto, sed etiam animo fractis, dum hosti secunda, aduersus nobis omnia sunt. Tum maxima eadémque optima parte æ nearum machinarum continuo vsu rupta: cuius

si hodie integra extaret, nullus vsus, nulla vtilitas esse potest, inopia tormentarij pulueris, qua non modò laborat hęc ciuitas, sed etiam Lerus, Lyndus, Halicarnassus, Arangia. Nunquam fui secretorum cuiuspiam aut cupidus, aut diligens explorator, multo minus militię vestrę, tamen hęc ita esse dissimulare non potes magne Magister, qui illinc palàm militem secretò machinalem puluerem importare huc fecisti, quo tua prudentia, sex menses externum sustinuisti hostem, & vnius atq; alterius domestici proditoris fefellisti impietatem. Sed sino libenter hęc omnia, desero veritatem, relinquo multitudinem, venio & loquor ad paucorum gratiã, & fingo armorum & animorum nobis esse satis. Sed hoc rogo, hisne ad custodiam, an perditionem vtendum suadeãt? Ad vtramq; fieri nequit, non magis quàm seruũ esse & liberum. Ad perditionem? Dementia hęc est, & vecors superbia exosa Deo atq; hominibus. Ad custodiã ergo: sed quomodò custodiemus vrbem (non dico quod res est) iã amissam, atq; ab hoste occupatam, in qua ille regnũ possidet, diruit, mutat, versat ima sursum, suprema deorsum? Sed mœnibus nudatam imani ruina ad stationem Hispanam patentem, qualis muro Italico non impendet modò, sed adest iam, atq; infertur. Quo pacto seruabimus infelix istud oppidum ad stationes Narbonensem, Britannicam, Auernam, & turrim D. Nicolai lacerum? Quod etsi tam lacerum, si tam egenum omnium rerum bellicarum non esset, sed integrum, & armis, & commeatu instructissimum, cogente sic necessitate, suadente prudentia, relinquere deberetis, quando omnis vlterior pugnandi facultas vobis ablata est. an non videtis, vt leui imò nullo negocio, hostis ex noua, quam supra montem Phileremum extruxit arce, tantùm duobus miliaribus hinc distante, omnem commeatum vobis intercipere potest, & insula & mari: pręterea omnem accessum & exitum prohibere. Profectò videtis viri armis & prudentia insignes, cuncta hęc diu melius pręuidistis, quàm ego armorum & bellandi prorsus rudis, tantùm mercibus venundandis, & alendę familię assuetus. Sinite me ergo dicere verum. Excessere omnes adytis, arisq; relictis, Dij, quibus imperium hoc steterat. Aduersus vim hostium, nulla ars, aut custodia humana reliqua est. Expectare autẽ exercitus angelicos, diuinas è cœlo acies, aliaq; id genus miracula: est meo iudicio iratum deum quanquã in ipsa ira adhuc miserantem magis ac magis irritare. Consulamus ergo destituti omni humano auxilio, saluti nostrę, noli te rogo magne Magister per has lachrymas, per innatam nobilitati tuę pietatem, istam miseram vrbem direptionibus hostium exponere, senes & mediam ętatem gladio, vxores & filias nostras stupro, pueros nostros infami, abominandęq; Veneri Barbarorum, tum insanis ęternisq; erroribus impij & virulentissimi dogmatis Mahumetei. Vtinam vidissetis Equites, quibus lachrymis, quanto gemitu, mœsta familia, & plorantes circum matres pueri, nos huc dimiserint, quibus precibus sint prosequuti. Vellem sciretis quali animo, quantáque cum spe incolumitatem suam à vestra clementia expectant. Potuisset hęc oratio vel lapidem commouere, verùm Magister, cui nobilis ille & ingentior spiritus, quàm pręsens fortuna postularet in vultu apparebat,

singulos ad vigilias, cum sermo in multã noctem protractus esset, ire iubens, nihil aliud respondit, quàm cogitaturum se de communi salute Et sequente luce peracto sacro viros rei militaris peritos, nominatim Preianum, Gabrielem Tadinum, quem suprà Martiningum appellauimus, de statu & salute vrbis diligentiùs percunctari cœpit, omnium concors sententia fuit, vrbem in quã hosti & fronte, & vtroq; latere expeditus ingressus esset, amplius nulla arte teneri posse. Prolata hac tristi suorum sententia, post longã sanctioris consilij, tandem omnium Equitum & ciuium, in quo diuini ac humani iuris peritißimi viri fuere, disputationem, vtrúmne despondere vitam, & ruere in perniciem Saguntinam, & fatum Abydenorum, an seruare tot miserabilium hominum corpora, signa, tabulas, ara, monumenta orthodoxiæ præstaret? Magister vnanimi omnium suffragio & instigatione deditionem faciendam pronunciauit. Dum hæc disceptarentur, quatriduana pax fuit, timoris tamen & periculorum plena. Violauit hanc Fornouus iniussu ducum. Indignatus enim homo nobilißimi & Gallici sanguinis Barbaros vrbem audentiùs inspectare, tormentarios globos in confertam multitudinẽ excußit. Venit ad hæc per idem tempus ex insula Creta, naue Hieronymi Carmanioli iussu, astuq;, qui vel cautißimos fefellit, & opera F. Ludouici Andugi à Morsia oppido regni Castellæ, Equitis splendore natalium, & animi corporisq; bonis ornatißimi, Alphonsus Hispanus summus triremium nostrarum nauarchus, vir ad omnia maris & armorum pericula summè audax & impiger, intulitq; in Rhodum vina & inconsulto senatu Veneto centum voluntarios Latinos milites, nullum Cretensem. Turcæ, & fractione fœderum, & quòd nauim receperamus, quam multo milite, & ipsi & nos refertam credideramus, meritò commoti, versi in rabiem & furorem, sine signis, sine ducum imperio, per disiecti stratique muri ruinas, in vrbem ad tabulatum vsque vice quarti muri oppositum incurrerunt. Magnus Magister, dimisso consilio & senatu procerum antesignanorum, ad tumultum accurrit. Pugnatum aliquandiu hinc inde est acri animorum contentione, Magister (quod quoties rem quispiam impigrè fortiterq; geßisset, tota oppugnatione fecit) ingenti eo die præmio remunerauit virtutem. Dalmatæ cuiusdam familiaris D. Marini Restij, ciuis Ragusini, quem insana plebs cùm more humani ingenij multa noscendi cupido de dispositis insidijs, & suffosso ad cremandos hostes puluere inquireret, quasi proditionis conuictum, non expectato iussu Magistri, in carceres coniecit. Parum à vi, tumultúque populari iniuriam accepit coquus Antistitis fani Colossensis, non tamen tam immeritò, quàm innocenter. Siquidem octauo Calendas Octobres, dum omnis Ordo & ætas circa mœnia propugnaret, magnanimus ipse miles in fastigium fani scandendo irrupit, inde bellantium vtrinque cædes & vulnera securè, minimè tamen ociose prospexit. Nam hostib. à quibus neque videri, neque audiri poterat, procul in aëre minabatur, defensoribus agitatione vexilli ibi reperti (vt videbatur) animũ addens. Et primùm ab hominibus religiosis diuus Ioannes æstimabatur, inde cognitus homo vocatur fustifer, verbero, sacrilega, proditor,

Fornouus.

proditor, fautor hostium, qui eis è specula signum faceret. Et quanquam crebrò missi nuncij ad descensionem illum hortarentur, nihilominus personam suã egit, donec iaculis & lapidibus funda excussis, impetitus descendisset. Ibi mox turba puerorum & mulierum circumfusus, rapitur, caditur, mulctatur miser: vnus barbam euellebat, alius depalmauit faciem, tertius conculcauit ventrem, quartus iugulo ensem intentauit. Accurri, & hominem ereptum è fati faucibus in publica vincula conieci. Hac pœna non contenta muliebris commotio opera puerorum carceres effregit. Et collo grandi fune nautico iniecto (quem manibus puerorum sors obtulerat) miserrimum inter verborum ludibria & contumelias ad crucem protraxerunt, pars sacrilegum, pars proditorem, multi recutitum appellabant: nonnulli constantiùs asserebant Turcam esse, & missum exploratorem. Perierat infelix manibus furientium, nisi commodum renunciatum & assertum fuisset, ab Antistite templi, esse culinarium suum, natum in Gallia ad Fossas Marianas, nec Turcaicæ, nec Græcæ linguæ peritum. Simili iniurioso spectaculo, subq; ipsum deditionis nostræ tempus, & post violatas indutias, Magister gladiatorum Turcensium crudelis, sanguinarius bellator, corpore vasto & rudi, quod conuenientes sequebantur mores, contemptus hominum, superbæ aures, contumeliosa dicta, libidines nouæ, inhumana crudelitas, affecit tres Christianos, quos Barbari incautos extra vrbem in hostilem campum lupis ferreis protraxerunt. Nam manus illis auresq; abscindebat, postea vulnere inhonesto nares truncauit, & in vrbem remisit cum huiusmodi literis: Nullam salutem magne Magister. Quem ego ante tres, quatuórue ad summum dies his manibus minutim conscindam, & milites mei populo tuo nulla habita consideratione ætatis, sexus, ordinis, vi, ferro, flamma miserabilem animam eripient, vt insigni exemplo posteritati innotescat iustitia Turcarum & Christianorum perfidia. Quos violatis indutijs externa auxilia recipere, & improuisos milites trucidare non pudet, quorum nemo (credas) amisit multam animam. Magister minaci epistola perlecta subridens. Ne modis omnibus (inquit) oppugnati non essemus, etiam minæ, & conuitia addita sunt. Verùm magis turbati sunt animo, Robertus Perusinus, Frater Raymundus Marchetus, de quo suprà primo lib. dixi, & Frater Raymundus Lupus à Pacis Eques vlterioris Hispaniæ ingenio acri, & summo iudicio Oratores in castris hostium, quos Achimetus incandens ira ob fœdus violatum & nauim vix mediocrem receptam, procul dubio omni tormentorum, & cruciatus genere affecisset, nisi in oppido nostro egissent obsides. Verùm cum Nicolaus Vergotus, & Georgius Sandriticus ciues Rhodij, vrbis tradendæ formulam attulissent, repentè lenita est omnis efferatorum hostium exasperata rabies. Tyrannus cinctus ingenti exercitu & proximiore cohorte prætoria, quæ ad pompam & terrorem auro, armisq; præfulgebat, singulas pacis ac deditionis leges testibus Deo & Mahumete fœderum inspectoribus, conceptis verbis pronunciauit. Conuenit inter cætera capita: Diuorum templa inuiolata manere, pueros non auellendos è parentum familia, neminem cogi debere, vt Mahumeti nomen daret,

Horrendum facinus.

mansuris quinquennalem tributorum immunitatem concedi. Abituris dari naues, & commeatum vsque in Cretam, tormentorum bellicorum quantum liberet tolli posse, diem deserendæ vrbis arbitrij Christianorum esse.

Vrbs expugnatur die natalis Christi.

Quæ perfidus Tyrannus Deorum ac hominum iuxtà contemptor vt seruaret, tantum abfuit, vt die natalis Christi, antequàm quisquam fugam adornasset, porta Cosquinij propugnaculi vi effracta vrbi infesta signa intulerit. Et sacra omnia profanans, primarium fanum numini tutelari sacrum in ædem Mahumetis conuertit. Euulsis è sedibus suis statuis, & beatorum imaginibus abrasis, sepulchra Magistrorũ, & quicquid sculptum scriptumq; Magistratus causa erat, dirui ac complanari iußit. Ornata eximiè sacra Basilica fuit, & copia vicini marmoris & ingenijs artificum. Nec diruere modò ipsa simulachra ac sepulchra euertere satis habuit, sed lapides quoq; ne integri cumularent ruinas, frangi iußit. Et pòsteaquam non tam ira satiata quàm iræ exercẽdæ materia deerat, templum omni composita effigie & simulacro vacans ingressus, veneratus est Mahumetem, qui secũdum illud summum & æternum neq; mutabile neq; interiturum numen, selectus maximusq́; in cœlo esse à Barbaris creditur. Postea hi qui spretis patriæ religionibus Mahumeti nomina dederunt, gens ad rapinam & immanitatem prona, Iudæis haud absimilis (nam genitalia circumcidere instituuntur, vt diuersitate noscantur) trãsgreßi in morem Turcarum idem vsurpãt, nec quicquam prius imbuuntur quàm contemnere Christum, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere, paßim tota vrbe templa conspurcare inceperunt, rapere quæ oculis ac manibus obuia essent, miserorum hominum sarcinas ad portum deportatas vt nauibus imponerentur, diripuerũt. Sacrum Xenodochium omni ornatu cultuq́; & suppellectile argentea planè maximi valoris spoliarunt. nullum tormentum nauibus imponi patiebantur, triremibus tamen sua remanserunt magis casu quàm illorum vel fide vel gratia. Christianis cæsis fustibus & colaphis vice iumentorum ad ferendum onus vtebantur. Iudæos vel quadraginta annos retro renatos ad Mosem redire compellebant: vernas, seruos tinctos aqua lustrali, Mahumeti sacra facere. Christi crucifixi statuas luto cœnóque conspersas per strata eiecerunt: Christianis tollere volentibus, statim fustuarium paratum erat. In foro aut loco publico nemo expers iniuriæ aut contumeliæ esse poterat. Nec is quidem qui imperatam pecuniam exoluebat. Nam ego cũ vno Soldato Gallico & aliquot Marcellis Venetis à pluribus Barbaris vexationem meam redemissem, neq; possem omnium auaritiam inopia nummorum explere, miser ad necem vsque v.apulaui. Magnus Magister consilio siue iussu Achimeti assumpta humili veste, qualis supplici, victo, & victoris maiestatem veneraturo conueniebat, foris in castra hostium ad prætorium tyranni iuit, paucis comitibus ex illo infelici ordine Equitum. Qui cum die ac noctu semestri oppugnatione vltima ausi passique essent, & iam post vniuersa vita & victoria amissa atque desperata subsidia, affecti continuis vigilijs, longo diuturnoque morbo, cæde, opere irrequieto exhausti viribus, arma sustinere nequirent, neceßitatibus

Miseranda Christianorum strages.

bus humanis magis quàm vi in ignominiosam superbissimorum hostium potestatem deuenerunt. Magister cum à summa luce in maximam vsq; diei partem impotus impraususq; sub densissima etiam pluuia & grandinum turbine diu ante prætorium expectasset, tandem lato clauo à Barbaris indutus, ad conspectum tyranni inductus est. Ambo alter alterius intuitu & admiratione mutua attonitus, inuicem sese paulisper contemplati sunt. Tum salutatus primùm à Magistro, & manum suam passus osculari, sic loquutus perhibetur. Etsi merito iuréque optimo deditionis leges quas præscripsi, irritas facere possim scelestissimis tuis Cruciferis, ac populo Rhodio, tibique in primis hosti tam infenso. à cuius merita pœna iustissimum victorem nec fides, nec sacramentum flectere deberet: decreui tamen in sontem & nouissima exempla promeritum, non tantùm pius esse & clemens, sed etiam liberalissimus: cui si grauissimos vitæ anteactæ errores bene agendo emendare velit, honestissimos ordines, summos magistratus, suprema imperia in bello, in exercitu, in toga, in pace polliceor. Hæc ne recuses, & præsens fortuna tibi suadet, & Christiani quorum causam meliore incepto quàm exitu aduersus me tuendam cepisti, hanc talionem merentur. Quid enim prohibet quin à tuis omnibus desertus & proditus, victus, in perpetuam fidem & vltrò oblatam gratiam, potentissimi & benigni victoris venias? Ad hæc Liladamus: Maxime clementissime Imperator, inquit, oblatam conditionem ego præ tantis ducibus tuis minimè mereor: sors autem & merita de te mea haud talia sunt, vt refutare illam vel ausim vel debeam. Liberè tamen dicam inter arma victricia, victus ante victorem, cuius summam clementiam nunquam desperaui, cuius fidem haud sum veritus, malo aut statim amisso imperio priuatam & infelicem hanc vitam amittere, aut semper ingloriam eam viuere, quàm à meis transfuga potius quàm victus appellari. Vinci enim fortuitum est, & à tanto victore etiam ipsi victo non prorsus pudendum: sed suos deserere & militiam mutare ignauiæ & perfidiæ plenum duco. Solymanus admiratus cani principis in tanta difficultate animum & modestiam, iussit dimissum à colloquio cum summa fide & satellitio Turcaico in vrbem reduci ad augustale. Singuli etiam Equites qui magnum Magistrum suum comitati fuerant, veste coccinea donati sunt. Neque hoc officio satis se fecisse Solymanus prudentiæ & fortitudini magni Magistri credidit. Die ergo quadam improuiso vrbem ingressus, salutato Mahumete, magnum Magistrum reculis suis componendis intentum inuisit. Hic cum se submittere ingenua, & victoris maiestatem adorare vellet, ille nullo modo id passus est. Imò motis paulisper à fronte manu dextera infulis imperialib. quod reuerentiæ genus Turcarum reges Deo tantùm, & Mahumeti exhibere solent, magnum Magistrum Babba, hoc est, patrem amantissimum & reuerendissimum appellauit. Et infrà scripta alter alteri per interpretem loquutus est. Prior magnus Magister modestia, prudentia, magnanimitate, non minus inermis in vrbe capta, quàm armatus in acie esse solebat admirabilis, sic exorsus est: Si quanta audacia mihi fuit, tāta fortuna rerumq; prosperarū accessio fuisset, victor

Magnus Magister [illegible] Turcico T[illegible] rānum ad[illegible]

Oratio magni Magistri.

potius

potius in hac vrbe quàm victus essem. Verùm posteaquam claram Rhodū euertere fata voluerunt, lætor te mihi forte potissimum datum esse, à quo vim acciperem & gratiam: tibi quoq; inter alia multa egregia non in vltimis laudum hoc est, vicisse Rhodum & pepercisse. adiecisti hoc modo potentiæ tuæ clementiæ famā, quæ neq; summis mortaliū spernenda est: nam per hanc solam æquales Deo æstimamur. Seruabis igitur nihil dubito pacis leges, quas dare clementia tibi suasit, mihi accipere necessitas. Aeternum nunc exemplar clementiæ & virtutis Turcicæ ero, magis quàm si statim deditionē fecissem. Pertinacia modò mea, gloria & pietas tua per orbem terrarum inclaruit. Adhæc, Mihi inquit Tyrannus, etiam magna lætitia est, quòd te Deus monuerit, vt aliquando pacem quàm bellum malles, atq; hoc vtinam tibi à principio placuisset: profectò à summa potentissimaq; maiestate mea ad hoc tempus plura bona accepisses, quàm mala perpessus es. Quæ quòd nullo odio tibi intulerim, sed sola dominandi libidine, vel hinc colligere potes, quòd te tuosq; inuiolatis corporibus, intactis fortunis hinc dimittam. Haud enim bellum gero vt diuitias, vt opes comparem, sed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem imperij tendo. Est enim regis sanguine regum orti proprium, rapere atque inuadere aliena, non quidem auaritia, sed gloriosa cupidine dominandi, cui quum obstat vicinus, armis & vi eum tollere satis habeo. Verùm tyrannus ficta omnia loquebatur, & longè aliter, quàm animo agitabat. Priusquam enim hūc amicum sermonem meditatus esset, ducibus delegauerat, vt maximam onerariam nauim triremesq; militiæ, et in eis Magistrum cum equitum cœtu Constantinopolim veherent. Cuius rei non modò occultus inter duces rumor, sed etiam inter milites publica vox erat. Quam vbi percepit Liladamus, cum proceribus Turcarum egit, vt Imperatorem suum fidei sacramentiq; admonerent. Interea ipse sub noctem Christianæ circuncisionis enauigauit, vrbem suam infelicissimam perfido Tyranno relinquens: cui quantum vno ab aspectu curuatis more patrio, antrorsum poplitibus equo insidentem iudicare possum, nec autoritas, nec dignitas formæ deest: statura est recta, oculis nigris paululumq; trucioribus. cæterùm vultu gratioso & subfusco. Antè ambulabant pedites sagittarij, ore, circa suprema labra effero, pilis intortis, quos Mistacas appellant. A tergo sequebantur equis insidentes molles pueri ministri libidinum, forma tamen non satis venusta, & incompto nigróque capillitio ad humeros promisso. Sinistrum Tyranni latus obequitabat Farraus præfectus ripæ Euphratis, qua minor Armenia Ciliciæ coniungitur, & etiam vltra Amanum montem in Comagenæ finibus, quibus Mesopotamia prima Hismaëlis Sophi prouincia à vetere Sultanorum ditione disterminatur. Adduxerat iste nocte natalis Dominici XX. *millia integrorum militum, qui cum decem alijs millibus ripam memoratam aduersus eruptiones Persarum custodierunt, dum Rhodus oppugnaretur. Quæ cùm sæpe aliàs obsessa oppugnatáque & fortissimè defensa fuerit, maiore vi vincente causam meliorem, vt dixi in oratione mea ad Adrianum* VI. *Tandem anno à nato Christo* XXIII. *supra sesquimillesimum, sub iusto clypeo miserabiliter occubuit*

Liladamus hostium manibus elabitur.

Farraus.

cubuit Christiani imperij antiqua propugnatrix: &, vt inquit eloquentissimus vir F. Thomas Guichardus, in oratione sua pro Rhodijs, ærumnosæ Græciæ protectio, peregrinantium diuersorium, naufragorum portus, miserorum Asylum, languidorum Xenodochium. Vrbs anno à nato Christo 23. supra sesquimillesimū occubuit.

DE BELLO RHODIO, LIBER TERTIVS.

COMPERTVM *semper habui operis præsentis materiam vires meas excedere, & feliciore stylo posteris tradendam esse. Verùm vt palàm & in vrbe Roma hominum doctissimorum theatro ineptus essem, coëgit me primùm obseruantia sacrorum & nobilissimorum Equitum, coëgerunt deinde mala mea: nam hæc pectori altiùs inhærent, quàm vt eorundem nulla à me mentio fiat. Difficile quidem est silere, cum ames & doleas. Et monebit fortè absonus atque incompositus hic planctus meus talium animos, qui quæ sunt eruditione, bellum omnium maximum, maxima cum eloquentia posteris commendabunt. Quod cum multi in Germania, Italia, Hispanijs, Gallijs, & in alma vrbe Roma præstare possent, cumulatissimè vt speramus, præstabit Paulus Iouius, artis medendi, & literaturæ cultioris antistes, tum historicus in primis celeber & verus.* Paulus Iouius. *Deus immortalis, quanta fide, quàm graui iudicio, quo rerum ordine, quali proprietate verborum, qua orationis facilitate, describit ille, aut veriùs ante oculos ponit omnium Regum, principum, populorum, tam in Oriente, quàm in Occidente, acta, gestáque? atque vtinam facundis omnibus ingenijs placeret, quod instituerunt doctissimus humanissimúsque Iouius noster, & Petrus Alcyonius iuuenis, ingenio, eloquentia, & multiplici rerum scientia præstantissimus, quod præclarissima & nunquam peritura ingenij sui monimenta testantur, Aristoteles & Galenus versi.* Petrus Alcyonius. *Legatus Medices de exilio, oratio elegantissima de nece Christi ad Quirites, funebris item laudatio defensorum Rhodi, quæ fortiter scilicet fecerunt aut dixerunt prudenter alij quàm quæ ipsi sentiant vulgò tradere, profectò res humanæ melius se haberent. Sed hic est temporum præsentium status, & optima magis optari quàm fieri possunt. Verùm ne Prologus sit prolixior fabula, Tertium librum aggredior belli Rhodij. Bellum enim potius quàm oppugnationem vocare libuit, quando non tantùm circa vrbis nostræ mœnia, sed omnes arces Rhodi, & aliarum insularum, quæ Rhodiorum sunt, terra, mariq; acriter pugnatum sit. Narrabo hic igitur paucis multa, quæ toto itinere ad almam vsq; vrbem Equitibus & populo Rhodio contigerunt, insularum, regionum, vrbium, locorum descriptione exactiori omissa. Hanc enim in appendice magis quàm libro, tum historia non topographia facere mihi, nec ocium, nec animus est.*

Expulsi patria, laribus antiquis, affecti humanis omnibus incōmodis, classi lacera hyberno tempore impositi, decem dies aspero mari & tēpestuoso errauimus. Appulit tandem ad Scythiam, Cretæ insulæ vicū & promontorium maxima nauis nostra, quæ in ipso portu dum sub noctem anchoras

iaceret, prope impegit, nauis castellata Hieronymi Carmanioli, quem ordo equestris, quòd tempore difficili Rhodo succurrisset, iure aureorum calcarium donauit, vento pomeridiano vehementius flante in ipsius stationis cautes acta fœdè periјt. Ibi vnda maris Turca inclementior, cuncta quæ miseri homines secum attulerant, absorbuit. Reliqua classis alto & ignoto mari iactabatur. Ioannis Bouladij nauis, postquam Cortugoli classem euasisset, vndis per laxas compages incurrentibus ferè submersa fuit. Nihilo secundiori fortuna triremes, quæ magnum Magistrum portabant in mari Carpatio vsæ sunt. nam naufragium propè fecerunt: sed Deo Opt. Max. rebus præter spem succurrente, cum duodecim alijs leuioribus Cretensium nauigijs in portum Candiæ actæ sunt. Ea est hodie prima Cretensium ciuitas in plano sita, duodecimo fortè ab antro Minois miliario, verum proximior monti Idæ, qui Iouis incunabulis, & poëtarum carminibus famatus apprimè est. In hac Veneti ius dicunt & imperant, vt reliquis omnibus insulæ vrbibus. nam Creta Venetorum colonia est. Magnus Magister, omni ordine ciuitatis obuiam procedente, lachrymanteq́, summa cum veneratione à Dominico Treuisano grauissimo & sapientissimo consule exceptus est. Miserat hunc senatus Venetus, dum Rhodus obsideretur in Cretam cum summo imperio & classe sexaginta triremium viris armisque egregiè instructarum. mansit hic sacer Equitum ordo ad inchoatam vsq; Quadragesimam, summa cum cura & diligentia mœsta negotia sua componens, classem laceram reficiens, nauibus nautas imponens. nam flos horum bello periјt, inter quos sedulò industrieq́ omnia quæ vis hostium diruerat, reficiendo, enituerunt Petrus quidam faber nauticus Rhodiensis, & Georgius quidã Ligur, classe nostra, quæ tormentorum ictibus Rhodi acceptis, tum nautarum negligentia circa vrbis defensionem occupatorum, & multa vnda maris lacera ruptaq; fuerat, vtcunq; refecta & necessario commeatu accepto, Februario exeunte à Creta insula soluimus, iussu magni Magistri, & nobilissimi Equitis Angli, F. Gulielmi Austoni, viri integritate vitæ, & facilitate morum excultissimi: quem proceres antesignani maximæ imò vniuersæ classi nauium castellatarum præfecerunt, quas ventus & parum propitia aura, postquam vela nautæ expandissent, diu in conspectu insulæ aspero mari hinc inde vagas retinuerunt. Tandem post longã cũ vnda & ventis conflictationem, neq; vllã in insulam, nisi parum soli niueo marmore splendentis, cœliq́; amœnissimi descensione facta, superatis Naxo vino suo nobili, in qua etiã hodie Bacchi vetustissimum templum cernitur, Zacyntho, Cephalenia, Strophadibus insulis, ad altum pelagus in sinum Adriaticum æstuans peruenimus, magno Magistro procul è conspectu, & à tergo relicto: qui cum triremibus, quæ nunquam altum pelagus tranant, & nauigijs minoris formæ semper secundum oram maritimam nauigauit, omni in loco ad quem descendisset, cunctorum lachrymis, studio, officio, & humanitate, honoreq́; exceptus. In Corcyra verò & Gallipoli quantus sit ei publicè priuatimq́; à Magistratu, à popularibus exhibitus honor, haud facilè dixerim. Sed cum omnium officiosa obsequia, atq; præterea commoditatem,

Magnus Magister Candiam peruenit.

Dominicus Treuisanus.

*ditatem, & commeatus recentis frequentiam, cætera mala, quæ nauigan-
tes pati necesse est superarent, ingens morbus remiges, classiarios, sacrosque
Equites inuasit, cuius vis nequaquam tamen tam efferata erat, quàm illi-* Nulla calamitas sola.
*us qui inuectos nauibus onerarijs, & affectos omnibus humanis incõmodis,
squalore, vomitu, fame, siti grassabatur. Hac rerum incõmoditate, cibi po-
tusq́ defectu factum est seminarium magnarum ægritudinum, quæ postea
in Messana ciuitate regni Siculi nobilissima in ora post. Pelorũ sita, modico
interiecto freto, à regio Calabriæ oppido distanti, enascentes sæuè & atroci-
ter omnes molestarũt: plurimos quibus nec hostes, nec maris tempestates no-
cuerunt, in aliud seculum retrusere: mihi etiam ne animam morbi vis eripe
ret, magis diuina clementia quàm humana res effecit. Et dum infelices exu
les patria & sedibus maiorum nostrorum expulsi, has calamitates & miseri
as in terra ignota pateremur, penè cunctis malis grauior omnibus erat
mora magni Magistri. cum enim grauiora nauigia tertio Idus Apriles ad
Siciliam appulissent, neq́ de se nuncium mitteret, nec veniret ille tertia aut
quarta hebdomada pòst, meritò omnes plurimùm timere, ne cum triremi-
bus malè ad bellum paratis in Afrorum potestatem venisset, qui pyraticis
nauigijs mare Siculum apprimè infestum reddunt: quidam naufragium
fecisse credebant, alius classem suam pestilenti aliquo morbo infectam, non
audere procedere vaticinabatur: omnia vario tumultu strepere, & vt in re
bus tristibus ac dubijs fieri solet, suo quisq́ metu pericula sibi fingebat. Tan
dem ineunte mense Maio, Rhodijs etiam Messanæ inhabitatoribus omni-* Magnus Magister Messanam venit.
*bus lux pergrata aduentu magni Magistri orta est. Gratior tamen fuisset
dies illa mortalibus, si principem militiæ Rhodiæ triumphatorẽ in classe vi-
ctrice & spolia hostiũ præferenti conspexissent. In lacero autem & morbido
nauigio, vixq́ vt à prædatoribus tolleretur digno, vbi viderunt, nemo la-
chrymas continere potuit. Dici vix potest, qualis gemitus, quantusq́ plora
tus circumfusæ vndiq́ turbæ fuerit: nemo suspiria, nemo lachrymas sponte
vbertimq́ profluentes reprimere potuit nisi quem dolor mutũ effecerat. Et
vltra promiscuæ multitudinis optimi erga Rhodios animi ista signa, am-
plissimus etiã honor & fauor Magistro Rhodiorum exhibitus est à primori
bus regni Siculi, & ipsò Prorege Hectore Penitagello comite montis Leonis,
heroe natalibus, literis, virtute præclarissimo: qui obuius cum Ioanne Li-
gnano archiepiscopo Messanensi reuerendissimo, & fratre suo Fabricio Pe-
nitagello Priore Baruli, eum inter vlnas humanissimè exceptum & oscula
tum splendido comitatu multorũ nobilium virorũ in vrbem induxit. Vene
rat Fabricius hic Messanã cum bis mille expeditis peditibus in agro & ex
iuuentute regni Neapolitani selectis, vt Rhodum suã subleuaret. Est enim
vnus ex equestri ordine sacrorum Equitũ, idq́ fecit sola animi sui magni-
tudine & pietatis affectu, nullo maiorum suorũ imperio coactus. Mandatũ
enim receperat tantùm de commeatu & nauibus parandis, qua in re diligẽ
ter industrieq́ se habuit cum collega suo Carolo Iosuualdo Priore sancti Ste
phani, qui non semel tantùm Rhodianorum animos ad spem fidemq́ ventu
ri auxilij erexit, literis missis per F. Ioannem Bressolum Equitem Italicum:* Ioannes Bressolus.

qui cum pralij naualis peritia etiam literas & historiæ cognitionem coniunxit. Quinetiam nepotem charissimum Ioannem Iosuualdum, qui Rhodi fortiter dimicando occubuit, nauicula præmisit exploratoria ad obsessos consolandos, socio F. Michaële Peralto Equite Nauarro, cuius admiranda parandi salis petrarum ars, & tormentarij pulueris faciendi dexteritas, operumq; ignotorũ industria Rhodijs in tempore difficillimo, magno & necessario vsui fuit. Saluti autẽ esse nõ potuit rebus fessis nemine succurrẽte. Et his qui succurrere voluerunt, obstitit fatum. Ne culpam reijciam in Adrianum VI. & Maximum Pontificem & mortuum, aut in viuentem quempiam regem vel principem. Nam reges & principes omnes iam cõstat Rhodo obsessæ bene voluisse, optasse defensoribus victoriam & triumphum, quibus vt potirentur, Carolus quintus Imperator, inter homines Opt. Max. è regnis suis Neapoli, Sicilia, militem, arma, commeatum decem millium ducatorum & gratis & liberè tollere permisit. E portubus sociorum, & confœderatarum gentium in Italia, naues maximas onerarias abducere. Adrianus etiam summus Pontifex quanquam summa rei numariæ inopia premeretur, & iam legatum cum ingenti pecunia in Vngariam misisset, vt regnum illud in fide atque officio Christianæ religionis contineret, procurante nobilissimo & prudentissimo Equite Iuliano à Rodolphis antesignano Crucigerorum Capuanorum, in auxilium vrbis obsessæ sex millia ducatorum erogauit: quorum loco vtinam sex triremes vel vacuas equestri ordini concedere potuisset & voluisset. Nam arma, viros, commeatum, & cætera bello necessaria inuenisset hic, & iam fortè victrix Rhodus de hoste suo triumpharet, imò hostium summum principem (credo) in vinculis contineret. Quod vt fieret, maxime optasse nõ dubito Franciscũ Galliarum Regem, & nomine & re ipsa Christianissimum, qui vel summis regni proceribus factum haud satis probantibus, & re sub ipsum tempus in Insubribus parum feliciter gesta, etiam à Cæsare, & socio populo confœderatisq; regibus vim expectans, sex naues & inter eas Tremoliam à portu suo Massiliensi, vt his Rhodo auxiliarentur Franci Hierosolymitani Equites, soluere passus est. Quos vbi magnus Magister Messanæ reperisset simul cum Equitibus Hispanis & Italis auxiliaribus, seuero grauiq; cõsilio indicto, causam publicè in cœtu omnium Equitum dicere, & moram expurgare iussit. fuit oratio omnium & diserta & vera. Sed nobilissimi Auerni Equitis F. Ioannis Lidserami longè omnium disertissima & apertissima, Ioannes Lidseramus. *adeo vt singuli veritatem manibus pedibusq; palpare (vt prouerbio dicitur) potuerant. Missus fuerat à Magistro Lidseramus hic tres propè menses ante obsidionem, cùm ob alia negotia, tũ vt increbrescente fama belli in nos Turcaici, copias auxiliares quãto ocyus posset expediret. Sed neq; ipse, nec Daucenuillus & Andugus, quorum supra feci mentionem in secundo libro, quicquam profecere, imò nec Nicolaus Hussonus Secretarius magni* Nicolaus Hussonus Secretarius. *Magistri, & quarta vice missus cum literis à Bartholomæo Politiano, viro doctissimo prudentissimoq;, scriptis F. Antonius Boysius accensus Equitum Italorũ, vir rebus gerẽdis longè accommodatissimus: qui cùm Fabricio*

Carecta-

Carectano optimo & laudatissimo Principi ob fidem industriam, diligentiamq́; suam semper fuerit charus, etiam ob virtutes suas huic Magistro acceptissimus est. Postremò denique cum totius rei nostræ summa grauiter periclitari inciperet, exijt vt suprà dixi F. Emericus Reaux ad transmarina auxilia acceleranda. Sed cum horum omniũ nec diligẽtia nec industria pro fuerit, in durum atq; ineluctabile fatum, cladem nostram sine cuiusquam offensione reijcere possum, & merito (vt puto) & prudenter. An non fato potius quàm hominum nauticorum vel perfidiæ vel ignorantiæ ascribã? quod nauis Ianuensis maxima, quam Faraam vocant, commeatu, armis, viris refertissima, trãquillo mari atq; in ipso oræ Ligusticæ portu Monecho Herculi sacro fœdè perierit? Etiam Thomas Nuport Prior Aquilarius legionis Anglicæ delectam manum sagittariorum Britannicorum & auxilium viæ ignotum argenti pondus & auri Rhodum ferens, cum in ventum contrarium incidisset, vi tempestatis iterum in insula desertum quoddam promontorium repulsus, vnda maris cum omni gente sua submersus est. Et ne in omni loco fortuna, vt Iuno Troianis, Rhodiorũ nauigationi non aduersaretur, fratrem Antonium à S. Martino Priorem citerioris Hispaniæ, senem in armis à puero exercitatum, & Homerico Nestori simillimũ in piraticam classem Afrorum inIecit, à quorũ tormentariorum saxorum ictibus tantam vim rostrata nauis sua passa est, vt penè fluctibus depressa fuerit. Similem etiam vim ab hostibus accepit nauis oneraria Prioris Castellæ Didaci Toletani illustrissimi ducis Albæ filij, digni profectò tanto patre: nam præter egregias corporis dotes, animi quoq; bonis, iustitiæ, prudentia, fortitudine egregie excultus est. Cum ergo Messanæ sacer Equitum ordo subsisteret, & pestis futuræ suspicio hominum mentes iam praeoccupasset, ne tanto malo miserrimi Rhodij exules post tot tantasque ærumnas suas contaminarentur, visum est patribus, locum, aëráque salubriorem inquirere Indicto igitur hanc ob rem sacro magnoq; concilio, omnium suffragijs ager Neapolitanus & amœnitate cœli & fertilitate glebæ, rerumq; omnium quibus vita sustinetur copia alijs prouincijs præstare iudicabatur. Placuit igitur eo cursum dirigere. Sed Puteolani, cùm post Idus Iulias classis nostra eo peruenisset, mandante magistratu Neapolitano, timore contagiosæ pestis, terra nos prohibuerunt. In ruinis igitur Baiarum & specubus circumuicinis aliquandiu nos continuimus, vitam trahentes. Missa è Neapoli & Puteolis annonia, quam distribuit industrius Eques Narbonensis F. Ioannes Bonifacius, qui hostili obsidione tribunatum militarem & diligentissimè & sapientissimè gessit. Verùm cum suspicionem hanc vanam fuisse compertum et, laxior annona ab vrbe ad nos redit, & honor magno Magistro à proceribus regni exhibere cœptus. Carolus Lanoius rei militaris, & regni vtilè sapienterq́; administrati laude illustris, munera cerealia ad magnũ Magistrum misit. postea etiam in æde sacra diuæ Virgini ad fauces cripta Neapolitanæ eũ honorificè excepit, cinctus ipse splẽdidissima & nobilissima corona procerum regni, atq; custodibus corporis hastas praacutas gestãtibus, quorũ tunicis ante & retrò, aquilæ imperiales intextæ erant. Verùm cum

Thomas Nuport Prior Aquilarius.

Ioannes Bonifacius.

 sulphurea

sulphurea Puteolorum graui insuetoq; odore suo multorũ capita & sanitatem læderet, & alia multa causæ recessũ suaderent, nec haberet mœstus senex regno eiectus, patria extorris, quò & salubrius & decentius confugeret, quàm ad sacrosanctã Romanã ecclesiam, vt eius sanctissimo tunc antistiti Adriano VI. casus suos exponeret, vnanimi suorum decreto petijt Ciuitatem veterem, quæ in ora est maris inferi, distans ab vrbe Roma trigesimo miliario. Estq; ibi à reuerendissimo Episcopo Conquensi Hispano, summi pontificis nomine, mira & ingenti gratulatione exceptus: admonitus etiam, vt quàm primum Pont. Max. inuiseret, cùm sacra militia non nisi Diuum nomine è tam rabidis hostium, & perfidiæ Turcaicæ faucibus erepta. Cupere sanctissimum senem & pontificem ante vitæ exitum dare sacratissimo & nobilissimo Ordini equitũ, & vago miserrimóque populo Rhodio, quietas sedes, vrbemq; mansuram. Magnus igitur Magister non diu cunctatus, Romam profectus est, sacræ militiæ summo imperio delegato nobilissimo Equiti F. Bernardino Araschæ præfecto maris, & olim arcis D. Petri in Caria, in qua contra vim & insidias Barbarorum (dum Rhodus obsideretur) custodienda & prudenter & fortiter se habuit. Quomodo autem magnus Magister quantoq; cum splendore & ornamento Romam ad ædes ipsas Pontificis inductus sit, haud satis eleganter explicare possim homo tenuis facundiæ, in bello ad hæc angusto. Processerat obuiam, vel extra muros vrbis Pontificis Maximi ea domestica familia, induta pallijs rubris, patres purpurati, quos summa secundum Pontificem Maximum dignitas atq; autoritas rarò in publicum prodire sinit: familiares misit honorarios, qui ante magnum Magistrum vecti, mulis coopertis stragulo coccineo ad terram demisso dominorum galeros gestabant. Hos sequebatur archiepiscoporum, Episcoporum aliorumq; Prælatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & virorum quos aut insignis eruditio, aut vitæ autoritas commendaret, magnus numerus sanè maiestate, & grauitate morum conspicuus. Ipsum autem magnum Magistrum cingebat vtrinq; pedestre agmen Heluetiorum custodum corporis Pontificij, ambulans passu militari, compositoq; ad sonitum tympanorum, fistulæq; Germanicæ, manu longa hastilia gestans, quibus ferox illa natio hostes suos in prælijs cõfodere solet. Adfuit etiam prætoria cohors Equitum. Item præfectus vrbis cum satellitio suo, & vigilum ministrorumq; iustitiæ equestris pedestrisq; turma. Hac pompa comitatuq; omnium Ordinum & Magistratuum vrbis Romæ, dùm per medias turbas hominum omnis ætatis sexus atq; ordinis, qui passim ad spectaculum è vicis, domibusq; sese effuderant, ille ad Vaticanum veheretur, moles Hadriani, eademq; diui Angeli arx honoris & lætitiæ signum, immanes frequentissimosq; bombos tormentarijs machinis expressit. Postea locatus in honoratiore parte ædium, cùm sacrosancti antistitis maximã in terris potestatem adoratum supplex de more veniret, processit ei obuiam aliquot passibus Adrianus VI quanquam senex & æger & summus Pontifex. Qua in re ostendit egregiè Adrianus diuinus homo, humanus Deus innatam sibi cum cæteris virtutibus à puero humilitatem. Equidem si historiã liceret in panegyricum vertere, optarem hic mihi

Adrianus VI.

Magnus Magister Romã peruenit.

hic mihi ad Adriani laudes describendas eloquentiam (non dico Ciceronis) quam assequi nullo modo possumus, sed F. Hyppoliti Aemilij à Pennabilorũ Augustiniani declamatoris diuini verbi facundissimi: qui dum defensores Rhodios vehementia orationis in praelium animaret, ipse lapide ictus exanimatus est. Persuasi enim mihi, si iustus Deus vicario suo longiores annos tribuisset, restituturum fuisse in integrum (vt verbo Iurisconsultorum vtar) sacrum Hierosolymitanorum Equitum ordinem. Quod vnicè apud illum procurabat popularis suus, idemq; militiae Hierosolymitanae nobilissimus Eques F. Petrus dux. Spes tamen est, imò fides certissima facta equestri ordini, quòd omnia quae Adrianus ante diem vita ereptus omisit, Clemens VII. *Pontifex optimus, laudatissimus, vel supra vota resarciet. Qui cùm omni cura, industria, vigilantia, semper apud Leonem* X. *Pontificem Maximum eius germanum fratrem, & Adrianum* VI. *militiam Rhodiam protexerit, fouerit, amplificauerit, iam meritis suis, & diuina prouidentia adiutrice orbis & vrbis imperium assequutus, eadem omni studio iuuat, fauore prosequitur, beneficijs accumulat. Gratias, priuilegia, indulta Romanorum pontificum antecessorum suorum, non solùm nouo diplomate firmauit, verumetiam sua sponte quàm locupletissimè auxit. Quod vt semper faciat, & inter principes Christianos acerbissimis inter se odijs dissentientes, aeternam pacem clementia prudentiaq; sua componat, longam & felicem vitam sanctitati suae optemus. Philippo quoq; Vilerio Liladamo de communi hoste Solymanno Turcarum tyranno, victoriam tam felicem, quàm olim de Gaurio Syriae, Arabiae atq; Aegypti rege tulit, cum ei duas classes in sinu Isico caperet, vnam factam quidem, alterã ferè fabricatam, & in Regem Lusitaniae principesq; occidentis destinatam. Quod cum sanctissimus & prudentissimus Pontifex compertissimum habeat, nec non alias innumeras virtutes, quibus Romae inter Põtificatum singularis Liladamus extitit, nã praefectus à collegio patrum purpuratorum custodiae sacrorum penetralium, quibus comitia includebantur, prudentissimè mandatum sibi munus gerens, sacro ordini fidem & diligentiam suam approbauit. Cum collegis omnibus modestè & familiariter vixit, nemini se praeponens, omnes obseruans nullarum partium studiosus: vnde facilè summam laudem sine inuidia inuenit. Et merito suo summo Pontifici factus est charissimus, qui in eo ornando omnia studia sua, omnem operam, curam, industriam, cogitationem mentem denique omnem fixit, & locauit. Viterbium ecclesiasticae ditionis, vel primariam vrbem inhabitandam concessit. Ad quam Magister dum haec scriberem, vt sibi venturo cũcta praepararet, F. Carolum Pipam misit praefectum agentium in rebus suis, virum ingenio, morúmque facilitate & industria animi ad res omnes gerendas longè aptissimum. Quod cum saepe aliàs, tum optimè in obsidione Rhodia perspexi.*

Clemẽs VII. Pontifex.

BELLI PANNONICI PER ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC D. D. FRIDERICVM, COMITEM PALATINVM, ETC. CONtra Solymanum Turcarum Tyrannum gesti,

Liber I.

Melchiore Soitero à Vinda Iureconsulto auctore.

SI quis varios Principum Regumq; casus & diuersa fortunæ ludibria, quibus vbique gentium rerumq; Dominos miserè exercuit, fallax nimium & inconstans Dea, animo secum exactius perpendat, mirabitur hanc ausam & in terræ numina, tanta cum insolentia & fastu, vtranq; sibi vendicare paginam. quia & si Iulius Cæsar, quum olim ad hoc culmen & fastigium rerum euectus, maris inter procellas periclitaretur, illam in se tanquam supra humanã sortem positum, nihil posse existimarit: atque syderalis scientiæ Matheseosq; illi periti notores, nullum in capita hæc sacra, stellarum configurationes habere potestatem iudicarint: Noxiam tamen & ijs in præsens Deorum cœlestium nutu cognouimus esse vim, quæ tam breui momento, tot præclaros Principes, vel rupto vitæ filo, humano potuerit eximere consortio, vel sedibus suis eiectos, à dijs patrijs laribusq; procul alienum vertere solum compellere. Defuncto namq; Maximiliano Augusto, mox & Leonis Decimi Pontificis Maximi, insequuta est ruina, crederes ijs veluti orbis luminibus extinctis, naturam quoq; omnes suas immutare
voluisse vices. Quandoquidem Dux Vuirtenbergius, audita Maximiliani morte, iustis vix dum rectè Christiano ritu persolutis, ius humanæ societatis violare ausus, auitis sedibus à Sueuiæ confœderatis pellitur, quem se-
Dux Vuirtenbergius.
quutus Daniæ Rex Christiernus, nam dum imperium eius grauius ferunt subditi, regno suo quod æquo iure iam diu possederat, excutitur. Pari sorte & Gallorum Rex Franciscus vsus, dum imperij fasces Cæsareumq; diadema Carolo inuidet, collatamq; illi à Septemuiris adimere conatur Maiestatem Ticinensi in agro, Germanis Hispanisq; militibus congressus, à Nicolao de Salmen Germano Comite capitur, amissis etiam ex Regulis, proceribus, & principibus suis quàm plurimis. Quæ tempestas & in mundi caput vrbem Romam, Pontificemq; Maximum Clementem septimum, & sacrum quoque & purpuratum Cardinalium ordinem, non minori quàm olim sub Heinrico in Pascalem desæuit immanitate. Quare cum Christiani Principes, nunquam antea mutuis armis, & versa in semetipsos rabie, acriùs conflictarentur, nouáque religio, & noui ritus, qui tunc per mystas quosdam liberius forsitan quàm decebat, passim tradebantur, priuatorum mentes adeò peruertissent, vt ij nefaria quæq; quasi furia quadam infernali & sæua exagitati Erynni, in Templa, in Deos, & homines, patrare auderent: atq; Rusticorum manus, tum temporis maximè, per Germaniam motus ingentes, nec Spartaci illius, Euni, aut Viriati, minores, atque bella plusquã ciuilia commouisset, Solymannus Turca Caspiam concitauit gentem: quæ
Christiernus Daniæ rex.

olim

olim ab Alexādro magno, Macedonum Rege longo hinc semota recessu, ferreisq; repagulis Caucasias conclusa intra rupes, Christianum sanguinem iampridem, & ab eo tempore quo portas illi Hyrcanorum reserauit Rex, haurire assueta, atq; noua tum quoq; & recenti de Soldano Aegypti victoria, sua sponte & a natura satis insolens, efferatior facta, voluntariā hinc odio in nos ducta Vatiniano, & liberam præstabat operam. Aggressus itaque Belgradum fortissimum Germaniæ nostræ propugnaculum properè subigit, & Rhodum, ipsum religionis Christianæ scutum hucusq; & antemurale, non multum diu post expugnatam, suam redegit in potestatem. Dein nostro malo perpetuò vincere edoctus, Ludouicum Hungariæ Bohemiæq; Regem, spei optimæ adolescentem, inter Drauum Istrumq; flumina cum paucis & incautius occurrentem, dolo magis & perfidia suorum, quàm virtute propria trucidat circumuentum: quo victo Hungariam ipsam veluti spe omni destitutam celeri itinere percurrens, ignis flamma depopulatur: & præda ditatus ingenti, præsidijs munit firma quæq;, infirma verò demolitur. Nec diu multùmue cunctatus, ne Germanorum qui Pannonijs vicinitate sunt proximiores, irritaret animos, Thraciam exercitus cum parte citato gradu repetit, quo per hyemem quæ tunc instabat maioribus contractis copijs, futura æstate totam subigeret prouinciam. Sed inter hæc post hunc infelicem Ludouici Regis casum, maximum inter Austriæ Archiducem Ferdinandum, quem nunc Cæsarem agnoscimus, & Ioannem Capusiensem Comitem Iazigum Transyluaniæq; Præsidem, de regno Hungariæ oritur dissidium. Ferdinandus enim id dotalibus ex pactis ad se pertinere existimabat: alter verò Ioannes scilicet comes, illud electionis iure ad se spectare contendebat. Vnde tandem quum vterque sua in sententia persisteret immotus, nec alter alteri cedere vellet, ad arma peruentum est, & bellum planè perniciosum & exitiabile ortum. Quoniam autem potentia, Ferdinando, Ioannes se intelligebat imparem, proprijs viribus diffisus, externa confugit ad auxilia. Nam & interea temporis dum hæc agebantur, veteris Marcomanniæ populi, antiquo fœdere, quod olim priscos inter Bohemiæ Reges, & Austriæ Principes percussum fuit, Ferdinandum sibi creauere Regem. Veritus itaq; Ioannes ne regno solùm cui inhiabat excideret, verumetiam ne & comitatu, quem à maioribus suis habebat hæreditarium, pelleretur, Turcarum tyranni implorabat opem: qui occasione noua, qua sibi ad regnum parari intelligebat aditum, apprimè lætatus, lubens hunc in suum accipit patrocinium. nouerat enim callidus latro ille, quàm multa regna maiores sui, per similes huiusmodi occasiones Christianorū principū è manibus, à Paleologi ipsius atq; Cantacuzeni temporibus vsq;, iāpridem antea eripuissent. Ferdinandus verò Rex quum incendium illud non suam in perniciem tantùm, verùmetiā & totius Reipub. Christianæ euersionem exarsurum præsentiret sibi quoq; & communibus rebus in tempore duxit prospiciendum. Et quoniam tunc fortè Germani principes, Septemuirique illi sacrosancti, Panegyrim Spiræ veterem Nemetum apud vrbem celebrātes conuenerant, commodum visum huic, & hos deferendo auxilio compellare

Belgradum. Rhodus. Ludouicus Rex. Iohannes Vaiuoda. Ferdinandus Rex creatur. Panegyris Spiræ celebrata.

pellare. Profectus itaq; celeriter illuc, rem eis huiusmodi propè verbis exposuit: Non vos fugit principes magnanimi, Diuum Maximilianum Augustum parentem nostrum, has nobis olim parauisse nuptias, hunc matrimonij illius sanctissimi, inter nos & Annam coniugem, Reginam nobilissimam, sponsorem fuisse & Paranymphum. Qui inter cæteras cõuentiones & hanc dotalem nobis præscripsit legem, vt si Ludouicum Regem quem tunc vnicum Vladislaus habebat filium, sine hærede legitimo decedere è vita contingeret, superstite Anna sorore coniuge nostra, & ipsa prole fœcunda, vel nos ipsi loco illius & iure maritali succederemus in regnum. Non displicuit id seni Vladislao, & idem quoque appositis Diplomati sigillis, regni proceres comprobarunt. Migrauit ex hac vita communi fatorum ordine Vladislaus. Nec diu pòst & Ludouicus dira morte (heu horret animus dicere aut meminisse) à bestia illa Turciaca fuit peremptus, patuit nobis existente conditione, & ex pacto conuento, ad regnum aditus. Sed dum huc iuris suffragio fulti admitimur, solus Ioannes Vaiuoda, nos hinc contra omnem rationis æquitatem amoliri conatur: & nec hominum fidem, nec Deûm religionem respiciens, Solymannum Turcam sola inuidiæ præpotentiæ & dominandi libidine ductus, orbis in ruinam & aduersum nos solicitare est ausus. Qui occupatis iam pridẽ antea firmissimis quibusque certum nunc miseris Hungariæ populis minitatur exitium. Nisi igitur ijs vestra ope, vestro auxilio, celerius succurreritis, actũ erit dubio procul de tam nobili regno: sed ne vos tum quidem, & Germania vestra, à periculo & interitu longè aberitis. Nã statim ac insigni præsidio illo latus vestrũ nudatum fuerit, & fortuna quoq; vestra, tanquam in præcipitio posita, nutare incipiet. Nostis enim & vos ipsi exemplis multis admoniti, quàm pertinax sit hostis ille truculentissimus. serpit namq; ignis more, vt plurimum vicina quæq; deuastans. Quare si vos sociorũ miseria & infœlicitas, qui hucusq; non secus ac fideles Limenarchæ quidã pro Imperij Romani & Reipub. Christianæ incolumitate, tam diligenter euigilarunt, nihil mouet: at moueat vos saltem, patriæ vestræ, atq; religionis cõmunis pietas, & salus: atq; arma iam tandem non pro socijs his solùm, qui sanguinem suum toties pro vobis, & rebus vestris, veluti largo imbre quodã profuderunt, sed etiã pro vobis ipsis, pro liberis & coniugibus vestris, pro focis & aris, spiritu magno & germano corripite. Neq; enim nunc diutius, & donec hostis intra limites receptus fuerit, expectandum. nã tutius longè est, si Scipioni Africano credimus, bellum foris & procul à patria, & in solo alieno gerere, quàm hostem proprios intra terminos receptũ, gnauiter sustinere. Dictis his. Principes Germani, & si magnis quibusdam alijs curis detinerentur, nihilominus tamen nec & hanc negligendam duxerunt esse rem. Decretæ itaq; sunt extemplò hunc aduersus hostem, auxiliares copiæ, & qui ab incursionibus limites tutarentur conscripti milites. Præfectus est his illustrissimus princeps, Comes Palatinus Rheni Bauariæq; Dux Fridericus. Nam & huic communi principum suffragio, populiq; fauore & clamore, Imperium cum rerum summa oblatum primùm, & demum etiam id iustis rationibus & argu-

Fridericus Comes Palatinus Præfectus exercitus contra Turcam designatur.

argumentis recusanti, ob merita & virtutes, quibus nec priscis cedebat ducibus, demandatum est, & esse iussum. Qui quum quale onus humeris suis foret impositum, qualemq; prouinciam subijsset, iam sua pro prudentia secum cogitaret, consilia prius quàm facto opus esse intelligebat: nam tumultuarijs in rebus consilium capere rarò vel temporis ratio patitur, vel loci admittit opportunitas. Ratisponam igitur, vbi quondam Noricorum Regum fuisse sedem commemorant, Principes qui rei gerendæ, quasi Apocleti quidam, consultores adiuncti erant, euocat. Bis illuc conuentum fuit, & bis illinc re infecta discessum. Nam peractum tunc penitùs nihil, nisi quòd posterioris conuentus die, duo qui Turcæ in Hungariã obseruarent expeditionem, constituti sunt speculatores, Sebastianus Schilling Iureconsultus insignis & Eques auratus, atq; Christophorus Besnicer Brunduni Bauarici præfectus, Barbaræ Hunicæq; linguæ haud ignarus, munia strenuè exequuturi, Budam vsq;, quam Sycambriam olim dictam quidam existimant, progressi, Turcarum Tyrannum, ingenti collecto exercitu, Adrianopoli egressum, & aciem Hungariã versus dirigere comperiuntur, & principi Palatino celerius reuersi denunciant. Qui cunctatus nihil, transuectionem parare, Lustrumq; condere, Magistros equitum, Tribunosq; peditũ, ocyus iubet. & quia verò hæc tanta cum celeritate, vt rei exigebat necessitas fieri non poterant, ne hostis dilato longius negotio, pro more suo deprædandi inde arriperet occasionem, vt in rem fore visum, Philippũ principẽ ex fratre nepotem, bello acrem adolescentem parua equitum peditumq; manu, ad retardandum hostilis furoris impetum, præmittit: quem & ipse mox recognitione peracta, militumq; nominib. intra pyctatia receptis, toto insequutus est cum exercitu. Egressus itaq; Neomarckt è regia sua, Ratisponã celeriter contendit, & nauibus illic quas diu antea parare iusserat, properè conscensis, vnà cum tribus fratribus germanis. Honorico Traiectensi Episcopo, Ioanne Ratisponensi Ecclesiæ præsule, & Guelphone quẽ veteres, nos nunc Vuofgangũ dicimus, natu minimo Palatino, Danubij per fluenta delapsus, tertia die Lyntium Austriacũ appulit: vbi à Rege Ferdinando (nã is illic tum erat) perbenignè exceptus, atq; ad cœnam omni magnificentia & splendore regali exornatam, honorificè deductus est. Multa coràm inter conuiuandum de belli rebus commentati sunt, serijs tamen his, delectantia quædam, & [illegible] nonnunquam comiter intermiscentes. Post conuiuium à Rege discessum precatus Princeps Palatinus, postera die & sub diluculo abire paratus, quoniam moras nectere diuturniores, nec commodum videbatur nec vtile: negatum tamen à Rege, inconsulta. & indiscussa re discedere. consumpta est igitur tota ea dies consultationibus, & strategematum ratiocinationibus, & sequenti primùm vtrinq; discessum. Comitatus est Rex vnà cum Reginis duabus Anna coniuge & Maria sorore, ad naues vsque perhumaniter deducens abeuntem. donauit tamen huic antea in signũ amoris equos duos Argolicos: quorũ alter auro, alter ostro tectus erat purpureo. Equestre sanè hoc & huiusmodi Principe non indignum præmium, actis gratijs, pro morum ciuilitate sese commendans Princeps, classem Grein

Comitia Ratisponæ bis celebrata.

Comes Palatinus cũ tribus fratribus Lyntiũ Austriacum appulit.

versus, Scylleą rabie famosum oppidū & velis & remis impulit, vbi vix egressus nauem Melchiorem de Harstal, quē iāpridem antea, ne quicquā interim dum morā apud Regem traheret, negligeretur, ad Principem Philippum, vt Austrię caput vrbem Viennam pręsidio muniret, belliq; consultores atq; Apocletos istos Chremsium, vt Closternumburgij Cetium iuxta montem, aduentum eius pręstolarentur, dimiserat, anhelum & properantem obuium habuit, qui Turcam Solymannum vrbi Viennę exercitu ingenti & innumerabili imminere, hancq; obsidione arctissima vndiq; premere nunciabat: quem & mox cornicen quidam, eadem indicans, & ne latiùs progrederetur admonens, à consultoribus belli missus, est insequutus. Quibus omnibus territus is nihil, classem parare, arma capere, aciem instruere, bellicaq; instrumenta ex ordine disponere, & Chremsium ipsum ocyus iubet appellere, miscebat in diuersa fluminis ripa, perfidissima Mahumeti gens, omnia cęde, igne, ferro, flamma. Fugiebat misera Christi plebecula, incerta quò se conderet tandem, aut quò euaderet. Exanimes penè omnes, viri, & fœminę, infœlicia pignora, charos liberos, dulcesq; penates tanquam medio igne raptos trahebant. Motus hoc miserando spectaculo pientissimus princeps Palatinus, & quos re ipsa militis ob paucitatem, quum vix sexcentos ex omni exercitu secum retinuisset, iuuare non poterat, verborum tamen benignitate, innata pro clementia sua fouere, & lenire conatus, se horum & Deum aliquando fore vltorem in pręsentiarum adijciens. Et tunc tertium quoq; à Sigismundo de Vueyxelberg, Equite aurato, & Vagitio Paulo Constantinopolitano, leuis armaturę ductoribus: quibus & pontis Danubiani tutela commissa fuerat, acceptum est nuncium, quod mox aliud & iterum aliud est insequutum. Quę licet omnia, ne latius progrederetur, admonere debebant Principem, nihilominus tamen sub auroraipsa vela ventis, se suosq; Deo & Fortunę committere statuit. parauerat iam omnia, & mens erat medios penetrare per hostes: sed quia longè aliter dijs superis visum, nebula repente & cœlo sereno orta, lucis, & remigij vsum nautis ademit. Nam nec tunc Danubij per fluenta ob infames scopulos, nauigare tutum. Inter hęc belli consultores, iuncto Bauarico equitatu peditatuque omni adueniunt, indicantes hostem in vrbem omnem occlusisse aditum. Hanc neque terra, neque aqua tutò posse adiri, se omni conatu nisos, si quo modo penetrare possent, irrita tamen spe, se penitùs effecisse nihil, intercepisse namq; Tyrannum classe pontes Danubianos, hosq; iniecto igne Gręco incendisse, & alia exercitus parte totam circumuallasse vrbem. habere hunc suis in castris, vltra trecenta millia militum, quibus circumquaq; oppleuisset omnia, se nunc eo retrocedendi cepisse consiliū, quo maturius quid in re tam ardua facto esset opus, vnà secum deliberarent. Commouebant hęc Principem ipsum non parum multum, angebat animū consanguineus, & ex fratre nepos Philippus, cruciabat commilitonum infelicitas, & plebis ipsius quę vndiq; cędibus & rapinis exposita erat, miseria & calamitas: infractus tamen, si qua arte, modo, aut ingenio obsessis subuenire posset, vsq; cogitabat. Et firma adhuc erat sententia, vel mortem

Melchior de Harstal.

Sigismundus de Vueyxelberg.

forti-

*fortiter oppetere, vel interturbatis saltem hostium cuneis, in vrbē prorum-
pere. Belli autem consultores quum hunc impossibilia cœptare intelligerent,
diuersum sentientes, ne se tanto huic periculo committere vellet admo-
nebant. Non enim hic vrbis vnius de præsidio tantum, sed totius orbis
potius de imperio, nunc concertandum: ex suo capite tam non vnius ho-
minis aut exiguæ gentis alicuius felicitatem, sed Christianæ Reipub. at-* Diuersorum
que Germanæ nationis, salutem veluti sacra ex anchora dependere: impos- consiliorum
sibile esse, quòd mente concepisset, tam exigua manu hostium castra penetra- agitatio.
*re, nec id si absque noxa & periculo fieri possit omni, vsq; adeò profuturū.
nam si & ipse quoque vrbis intra septa concludatur, neminem fore, qui tan-
ta cum fide Regi Ferdinando, Septemuiris electoribus, cæterisq́; Germaniæ
Principibus & Dynastis, quanto in periculo Respub. versetur, queat signifi-
care: neminem qui obsessis interim donec maiores ex Germania contrahan-
tur vires, consilio, ope, aut opera possit subuenire: singulari Deorum proui-
dentia factum, vt serius & post obsessam primùm vrbem aduenerit, non
spernendum cœleste consilium: melius esse in loco aliquo non intuto residere,
& eo quasi munimento quodam se tenere, maiorésque copias operiri, atque
hosti nonnunquam fortiùs incumbenti, data opportunitate à tergo insul-
tare, sic impios illius conatus facilè reprimi, atque obsessos socios egregiè pos-
se tutari. His & alijs rationibus persuasus, vix tandem quieuit Princeps,
atque apud Chremsium, Stain & Mauteren tria hæc oppida, nisi quòd ea
Danubius intermedius disiungit, vnum visa, donec spes melior refulgeret,
residere constituit. Et omnia hæc Regi Ferdinando & Principibus imperij
quo celerius fieri possit indicare. Missis igitur vndiq; literis & nuncijs, rem
quo in statu sit properè significat, admonetq́; vt si saluam velint Rempub.
Christianam, patriam liberam, incolumes liberos & parentes, omni collecto
iuuentutis robore, reseratisq́; Martis penetralibus, & Argiletei Iani aper-
tis templi foribus, impij hostis illius tyrānidi se opponant pro tempore. Nam
rem Christianā vix vllo vnquam antea tempore vel Caroli Martelli, vel
sub Heinrici primi imperio, Hunica etiam sæuiente gente, magis acriusq́;
fuisse afflictam: omnia nunc stare in præcipiti, breui, nisi nouis viribus fulci-
antur, ruitura: Et quoniā idem incendium, Bohæmis & Morauis cæteris-
que Marcomannicæ nationis gentibus, qui omnes olim Marobodui Regis
fortissimi agnoscebant sceptrum, vicinitate erat proximū: eosdem quam &
iam antea in armis esse audiuisset, in auxilium accersire non videbatur im-
portunum. Praerat his tum Regis Ferdinandi loco Ioannes de Berenstain* Ioānes de Be-
Baro. Scripsit itaq; huic vt & celeriter aduersus hostem cōmunem, commu- rēstain Baro.
*ne ferat auxiliū, quod & cæteros quoq; Pānoniæ superioris admonuit proce-
res, subijciens ne patiantur metu conterritos incolas diutius palare, sed ani-
mis consternatos potius verbis quibuscunq; in spem meliorem studeāt erige-
re. Memores, longè magis timidè fugientibus, quàm fortiter pugnantibus
mortem pallidam imminere. Decretum erat tum cōparato exercitu, Tur-
carū classem, quæ vtrūq; pontē occupauerat, ex improuisò intercipere, aut
obruere, obsidionis fortunam in eo verti ratus; si Danubiana præsidia,*

 prius

prius interclusisset. statuit igitur viam ferro in vrbem aperire, atq; inde obsessos, commeatu, & alijs ad munitionem necessarijs rebus iuuare. Aperuit id clam misso nuncio Principi Philippo, quo is commilitones suos ad obsidionem atq; res alias arduas constanter perferendas animaret: fore enim breui vt ij eo tempore quo Turcarum castra esset aggressurus, ad eruptionem parati omnibus portis effunderentur, atq; victores quidem, & durissima obsidione liberati tandem, hostium cuneis commiscerentur. Dum hæc per Principem Palatinum parabantur, non quieuit è diuerso Turcarum tyrannus, more suo circumiacentia quæq; deuastare. missis nanq; leuis armaturæ equitibus quibusdam, nec non classiarijs & peditibus expeditis, veteris Iuliobonæ per agros Marhafeldiam versus, acie directa profectus, infirma aggressus, solo æquat cuncta: caduntur senes, rapiuntur iuuenes, mulieres turpia maritorum sub oculis passæ, vnà cum liberis intereunt, infantes vel vtero secti, vel qui matrum adhuc hærebant vberibus, parentum auxilio penitus destituti, stipitibus per vicos passim suspensi, dulcem quam nuper acceperant, exhalabant animam. Hæc & alia multa quæ nec scribere, nec fari fas sine pietate, discrimine, & misericordia, ab hostibus crudelissimis sunt perpetrata: quibus haud immeritò misera Christi conterrita plebecula, sine duce, absq; rectore, & magistro, errabunda vagabatur: quò confugeret, aut quem inuocaret nescia. Principis tandem, quem primum Chremsium, pauco cum milite aduenisse compererat, auxilium implorat & opem. Venerunt eodem die trium Prælatorum, de Closternumburgo, Cetuagio, & Melck (quæ & antea veteribus sub Dynastis, & priusquã ad sacros fuit deputata vsus, arx ferrea dicebatur) legati, precatũ idem, indicantes, nisi cœnobia & oppida ipsorum firmo quodã muniantur præsidio, actum iam esse de se rebusq; suis omnibus: eò namq; Ferentariam Turcarũ excurrisse turmam, & huic nisi celerius militũ nonnullorum occurratur subsidijs, ipsi ãquã imbelles & armorũ inscij, nõ possint resistere. Collegerat interea temporis Principis iussu, Gulielmus à Buechaim, fuga elapsos mille indigenas, quibus dũ rectore carerent, ducẽ tribunosq; precabatur. Adiunxit igitur his opportunè quidẽ, & Dijs ita volentibus, oblatos veteranos quosdam, & Bauarorum ex cohorte lectos nonnullos nobiles, qui vnà cum illis prædicta ad loca profecti, ea ab hostium impugnatione fortiter sunt tutati. eadem industria & Axpachium, nobile non procul à Spitz oppidulo situatum monasterium, ab incursionibus hostium tutũ, per loci illius præfectum & illæsum fuit conseruatum. Tutabantur iuxta Stockorauiam Diui Colomani mortè insignem vicum, cum indigenis lociq; incolis Danubij transitum Chenringi fratres germani duo, gloria insignes. Haymburgum verò pedites sexcenti, qui quũ tantæ hostium multitudini resistere diffiderent, summa rerũ trepidatione, deserta arce, Chorneoburgum se conferunt. Vbi quum multa militariter per sæuitiam, in ciues perpetrassent, à principe in ordinẽ redire, hisq; desistere iussi, minus obtemperãtes, ademptis signis & armis, prouincia secedere grauioris pœnæ sub cõminatione iubentur. Ortum est proxima nocte & sequenti Chremsij incendium ingens, quo auctore incertum, multi

Turcorum sæuitia.

Gulielmus à Buechaim.

Incendium Chremsij ingens.

id mi:iti-

id militibus ob ignominiam missis, multi id hostibus in proximo locatis putabant ascribendum. perierunt eo Conrado Gotzmanno peditum ductore, equi nonnulli & ministri non ignobiles. Dum hæc foris agebantur, Ferentarij Turcæ bellico ritu vrbi obequitando, integrum per triduum cuncta perlustrabāt: nostri verò è diuerso mœnium intra munimenta infracta delitescentes virtute, omnia quæ ad defensionem erant necessaria præparabant. Suburbana igitur quia ampla & immunita, ne damno nostris forent, & præsidio Turcis, diruta sunt & incensa, machinæ & bellica instrumenta, per turres & eminentiora quæq;, vnde in hostium castra facilius posset eiaculari, ordine recto disposita. Naues quæ in anchoris iam diu perstiterant, atque Italicum frustra expectauerant militem, submersæ: fossæ post muros ductæ, & aggeres erecti: vrbis custodia per stationes diuisa, & valida vndique elocata præsidia: portæ penè omnes præter eas per quas egredi nōnunquā in hostes liceret, latere cocto obductæ, & sic compositis rebus non diu manibus & armis temperatum. Nam mox occupatum castrorum munitione hostem, aggressi exigua manu nostri, collatis vltra vallū & munitiones signis, pepulere. Tentatum est idem sæpius, & plerunque feliciter peractum. nam cæso hoste plurimo, sine sanguine nostro in vrbem reditum. postremò etiam & Hybrahim Bassa, secretorum Tyranni omnium cōscius, dum gratia speculandi Viennæ situm incautius processerat, penè fuit deprehensus. Actum fuisset procul dubio belli de mole, capto hoc, tanquam vnico rerum & omnis fortunæ arbitro, quia verò hunc seruare ad peiora & Dijs quoque ipsis placuit, nostratium manus, & is tunc quoque effugit. Bis quidem in huiusmodi eruptionibus à nostris militibus malè pugnatum est, semel quum cohortis Ductor Vuolfgangus Hagen, noctu vrbem infelici egressus auspicio, vt suos tutò reduceret & incolumes, inter primores impigrè dimicans, gregariorum suorū qui ordines turbauerāt, inertia potius, quàm fortitudine hostium victus, ad arcis portā cum veteranis quibusdam & Hispanis fortiter occubuit. Et iterum semel quum Christophorus Zetlitz, Vexillifer quingentorum equitum turma, hostium vsque procurrisset ad castra, & captus denuò nimia multitudine circumuentus, cum sex commilitonibus suis, qui & in acie cæsorum commilitonum suorum, atq; leprosorum quatuor, quos per summum scelus trucidauerāt Turcæ, capita contis præfixa gestare sunt coacti, in Tyranni perductus est conspectum: à quo multum de Regis Ferdinandi absentia & rebus, multum etiam de principum animis & instituto, quibus vrbis tutela commissa erat, hàncne contra tātam potentiam ipsius seruare sperarent? interrogatus, aptè & prudenter respondit: Ferdinādum Regem non admodum procul hinc abesse: Nam iustum expectantem exercitum in Lyntio oppido residere. Decretum enim huic, per Germaniam, Bohemiam, & Marcomanniam, communi omnium consensu, auxilium maximū. aliquantisper igitur si vter bello plus valeat experiri libeat, & donec conueniatur, expectandum. Regem neq; abfuturum diutius, neq; sæuam Martis aleā detrectaturum, maturare enim & hunc rem, & has nationes omnes iamdudum ad arma conspirasse. De principum verò animis & instituto

Vuolfgangus Hagen.

Christophorus Zetlitz capitur.

& instituto scire quod vellet, sibi parum liquere: sed hoc vnum constare, Principes hos & reliquos commilitones omnes, summos & imos, conceptis iuramenti verbis, iam pridem nouisse, vel vrbem tueri magnanimiter, vel suprema quæq, perpeti, & dirã mortis necessitatem fortiter & Saguntino more obire. Frustra itaque eum tot bellicosissimis illic præsidentibus viris, (quod venia sua dictum velit) prædæ huic inhiare, quum illis spes omnis, veluti quondam Spartiadis ipsis non in mœnibus & muris, sed in armis & virtute posita sit. Adesse enim illic intra vrbis mœnia cum Principe Philippo Nicolaum de Salmen Comitem, Gulielmum de Rogendorff, Leonhardum à Fels, & Eckhardum de Ryscha, bello omnes inuictos heroas, & magnificentia rerum gestarum insignes & claros bellatores, qui non facilè ad quemuis leuis auræ ventum soleant concitari. Ad quæ & si commouebatur aliquantulum Tyrannus, dissimulato tamen calore, pauca hæc tantum intulit: Se hucusque multis cum gentibus congressum, victorem fuisse semper, nec labores suos antea vnquam frustratos, quare ne & nunc quidem de victoria & belli fortuna, quamuis sæpius sit anceps & dubius Martis exitus, desperare. Caterùm nosse hunc & alios vnà secum captos, se vitæ illorum iam & necis liberam habere potestatem, & vitam si velit nunc eis posse auferre: hanc autem ijs, quoniam & victis hostibus ignoscere sciat, iam vltro donare, vrbis verò defensoribus, illuc reuersos verbis suis iubet nuntiare, vrbem illam quam tamen aduersus tantã potẽtiam cui nec Taurinum nuper, nec Rhodos clara restitisset, tueri aut defendere esset impossibile, ipsi traderent: certasq, pacis conditiones & leges, quas ipse dicturus esset suscipe rent, tractaturum se de ijs extra vrbis mœnia, ne militum vulgus impium quid interim aut crudele admittat. difficile enim esse id à sceleribus & impietate cohibere, curaturumq, se inter cætera in primis, vt illis saluis corporib. & rebus hinc liceat abire. cõfidant itaque clemẽtiæ suæ & omnia candida futura, sic eos sibiipsis & rebus suis rectè consulere, si pro tempore, & priusquam Martis sæuitia latiùs euagetur, ad benignitatem suam confugiant: serò nimis hæc post exitum victoriæ expectari, vbi nil, nisi mors atra, cædes certa & exitium miserabile soleat imminere. Quare perpendãt secum exacta trutina rem diligenter, ne id quod eis per indulgentiam nunc vltrò offeratur, posthac precibus nequeant impetrare. Decreuisse se omninò hinc non nisi expugnata vrbe discedere, & subacto toto terrarum orbe, in patriam regiamq, Constantinopolim redire. Quemadmodum enim duobus solibus, Alexandro Macedone teste, legitimè regi non possit mundus, ita duobus regibus non queat rectè gubernari. Vnum esse omnium in cœlis Dominum, se vnum in terris Gentium omnium Principem futurum. Dixerat hæc, & continuò retento vnico Vexillifero, cæteros omnes & aureis tribus Hungarici ponderis singulos donatos dimittere iussit. Reuersi in vrbem summo gaudio excepti, grauia hæc & imperiosa Tyranni mandata referentes, Principibus exponunt: qui surdis auribus excipientes, ad hæc respondere quippiam iudicabant indignum. Quare quum se ampullosaq, & magnifica verba illa sua contemptum iri, sibiq, à nostris nihil responderi intelligeret

Homo proponit: Deus autem dispo nit.

Turcici Tyrãni astutia.

Longè erras Tyranne.

telligeret, animo & ira æstuans diu noctuq́, volutabat, quomodo vrbe potitus, contemptam suam vlcisceretur Maiestatem. Visum itaq; hanc summa vi & conatu omni oppugnare. Sita est autem Vienna quinque millia passuum à Cetio monte, ima in planitie, Flauia à gente quondam, dum Pannoniæ terminos Romani, Barbarorum aduersus incursiones tutabantur, condita, & ob memoriam nominis tanquam positum monumentum Flauianum, olim ab aris Herculis, Alexandri aut Bacchi ritu ibi conditis, appellatum: nunc verò Vianna prima syllaba omissa, vel à torrente qui eam à meridie imbribus auctus præter labitur, sic dicta. Quæ licet Septentrionem versus Danubij fluminis obiectu firmior aliquãtulũ reddatur, reliquis tamen ex oris neq; arte neq; natura vsq; adeò est munita. Nã fossæ ante mœnia si quæ sunt, siccæ, & nullius laticis liquore perfusæ, facilem oppugnantib. præbent ascensum, & mœnia ipsa, quamuis coctili laterculo sint constructa, turrium tamen propugnaculis hostilem aduersus vim & iniuriam non satis sunt firmata: quia & hæc nec lata nec alta, veram adhuc referre videntur antiquitatem. Adortus igitur hanc quindecim è regionibus vineis admotis, cuniculisq́, & subterraneis meatibus actis, muri nitebatur subuertere fundamenta: quos fomentis, sulphure, bitumine & puluere tormentario farserat, vt igne admoto militem suum, quem vndiq; in aciem eduxerat, tanquã fumi nebula tectum, vrbis intra munitiones ingenti ruina patefactas, facto impetu deduceret. Sed præsides Dij atque tutelares loci, auctore Christo, suorũ miserti, crudele illud & impium Tyranni detexerunt consilium. Capti enim peropportunè & secreto quodam fatorum ordine transfugæ tres, verum profari tormentis coacti, proditionis præmio accepto, vrbis ædificia incendere se pollicitos fatebantur, vt dum intus ad arcendum concurreretur incendium, ipse interim foris, nudata suo præsidio occuparet mœnia: indicabant idem & Turcæ à nostris militib. deprehensi, & idem Fridericus Princeps misso clàm nuntio admonebat: Vnde facti alacriores nostri, nihil laboris aut curæ vlla ex parte remittebant, atq; longè maiori quàm antea diligentia intra vrbem stationes, ante portas custodias, & post muros peragebant vigilias. Et tum demum quæ ex parte murum suffodere niteretur animaduersum: doli detecti, atq; fodientium elusa opera. Quicquid enim ab hostib. illuc vnquam congestum, id totum à militib. nostris contrarijs & transuersis cuniculis aut meatibus actis, vi raptum, aut solertia quadam & astu ablatum, & hostes etiam ipsi nonnunquam, qui se tentandæ fortunæ gratia illic condiderant, grauiter afflicti, inania cœpta Tyranno & vanos labores referebant: qui vt & hoc sibi parum feliciter procedere sensit, quadrifariam diuisum exercitum, & senas sibi ipsi succedenti ẽ in horas, continuato die ac nocte prælio, vrbẽ iubet oppugnare, & fossores interim in auersissima munitionũ parte, cuniculos numero plures agere, vt sic vel perpetuis laboribus exhausti, atq; paucitate milites nostri victi, loca deserere cogerentur: vt operis à sensu, armorum strepitu & dimicatione auersi, actos cuniculos non sentirent. Non fuit vana spes Tyranni. nã statim ac signum inuadendi Turcis datum, & à nostris inter

Descriptio situs Viennæ.

Quindecim è regionibus Turca vrbem adoritur.

Proditores tres capti.

Vrbem iterũ oppugnat.

mœnia ad arma concursum, suffossus & crebra vi pulueris impetitus murus, tribus ex oris ampla patefacta fenestra, corruit. Vnde ingenti sublato clamore connixi primò Turcæ, & agmine densato patentes muri aditus, per ruinas magno molimine gradientes, oppugnare inceperunt, atque nostros omni glandium ac telorum genere impetere & vrgere, nostri verò è diuerso primo in limine immoti, & animo infracto stantes, insultantium impetum sustinere, atq; hostes ipsos lancearum contis tormentorumq; globulis, fortiter excipere conabantur & arcere. Illi Germanorum ac Hispanorũ militum ardorem, micantemq; ira vultum, non maiori constantia ac Samnites olim furentia Romanorũ ora ferre, sed mox impulsa à fronte tantùm acie, omnes retroire, Germani Hispaniq; milites erumpere, trepidantes à tergo cadere, & si quos maior solito audacia ad altiora vrbis mœnia euexerat, ad ima præcipitare: Tyrannus fortes pristinæ virtutis & gloriæ admonere, labore & vulneribus fessos reficere, atque subsidijs nouis fulcire, ignauos increpare, & demum omissum prælium redintegrare: hi verò rem non alia virtute quàm antea gerere. Nam accepta clade maxima etiam Turci ex acie aufugiunt. *postremò imperij & ordinum immemores, ex acie aufugere. Pudebat ignominiæ, quam non ad vrbis vnius modò expugnationem, sed ad vniuersi belli summam pertinere existimabat, Tyrannum. Et iam si quo modo gloriam recuperare, cladem q; acceptam memorabili quadam re, & facinore aliquo insigni, abolere posset, anxius & furibundus cogitabat. Indignum videbatur tot consumptis & exantlatis laboribus, cœptum opus deserere, econtrà verò periculosum tot præstantes & bellicosos viros, temeraria vrbis vnius in oppugnatione deperdere. Placuit tandem paucis diebus interiectis, & donec animos & vires resumerent milites, armis temperare, & denuo reparatis primùm & compositis omni studio rebus, summa vi & omnib. copijs circumuallatam corona vrbem iterum inuadere. Eductus itaq; in aciem & in stationes, vnde tutius prorumpere posset miles, qui & iam ad signa elocatus consistebat: vt nostras cohortes tanta alacritate, pro muris & mœnibus excubare conspexit, totus animo frangi cœpit, & trem[illegible] genubus collabi. Sonabant iam vtrinq; classicum æneatores, & ad belli munia fortium animos incitabant, sed Turcæ metu exanimes, non secus ac conspecto Persei quodam spectro, in saxa mutari, persistebant immobiles. Compertum tunc, vt sæpius antea illud Catilinæ dictũ quàm verissimum: Verba virtutem non addere, & Imperatoris orationem ex ignauo strenuum & timido fortem non facere. Quoniam & si hos ad omne imperiũ surdos iam & pertinaces, non verbis tantùm & lenta vite, vt quondam apud Romanos moris fuit in ordinem cogere, verumetiam & strictis gladijs & acynacibus nudatis Tyrãni iussu, verbera multa intentantes, vrbis in oppugnationem adigere niterentur, Zumbaßi ipsi & tribuni militares, ab inuitis tamen & à superioris certaminis memoria pauidis adhuc, nec oppugnationem nec operam aliquam aut obsequium militare extorquere potuerunt. Totum sic exactum est triduum, vt hi ante castra, & extra vallum, sæpius educti, sæpius in agmina & aciem coacti, stupidi penitus, & absque omni aculeo,*

Verba virtutem non addere.

aculeo, & tanquam primo insultu totum virus semel profudissent, sua in pertinacia perdurarent. Quum igitur tyrannus Gyngisheros illos suos, in quibus omnis belli & victoriæ spes non secus ac Triarijs olim situata & reposita erat, æquè ac gregarios milites & mercede conductos, quos Asapides vocare solent, animo consternatos, & diuturna obsidione & longa profectione pertæsos animaduerteret: Regemq́; Ferdinandum iam & Principem Palatinum, ingenti Germanorum & Bohæmorum robore ceruici suæ, suo tergori audiret imminere, timore perculsus, fugam cœpit meditari, & obsidionem, hyemis ante aduentum, quam nec sui tanquam Asiatici molles & frigoris impatientes ferre poterant, dissoluere. Aduocatis itaque in concionem Visiheris, Beglerbegis, Baßis, Sansachis & Zumbaßis, atque alijs tribunitiæ aut alterius cuiuscunque militaris potestâtis hominibus, habita oratione, hunc propè in modum dißeruit: Audimus commilitones, Ferdinandum Regem atque Fridericum illum Palatij Rheniq́; Principem, conscriptis atque veteri sacrata Samnitum lege initiatis, per Germaniam Bohæmiam & Marcomanniam, aduentare exercitibus, vtranque Danubij fluminis secundùm ripam, nos contra infestis signis contendere. Quod quidem summis votis optabamus antea, id nobis iam serò nimis, post tantam militum nostratium pertinaciam videmus vltrò obuenire. Nam si iusta acie cum ijs nunc fuerit decertandum, vix æquo Marte in tanta militum pertinacia depugnabimus. Quàm enim periculosum & difficile sit, inuitis ac repugnantibus militibus prælium inire, atq; ancipiti belli fortunæ se committere, vos ipsi longa experientia rerum edocti iampridem nostis. Quare quum non minor sit virtus adempta opportunitate, armis nonnunquam temperare, quàm oblata occasione hosti magnanimiter occurrere, decreuimus tandem obsidionem hanc, quam & vestro consilio nuper suscepimus dissoluere, militemq́; ipsum pro tẽpore & priusquã frigoris & hyemis intemperies abeundi facultatem adimat, in portum & hyberna reducere. Vestrum autem erit hæc omnia, ne vel miles animaduertat, aut hostis præsentiscat, summo silentio, Minotauri symbolo moniti, contegere, atq; educto iterũ in aciẽ stationesq́; milite, oppugnationem vestra de industria fingere, vt hac simulatione tuti nos interim cum sarcinis cum impedimentis & grauioris armaturæ militibus sensim hinc subducere, & vos deinde tanquam velocitate corporum ac leuitate armorũ, ad accelerandum iter expeditiores, facilius subsequi poßitis. Ita enim fiet vt metu dubius hostis mœnibus egredi non audeat, & exercitus noster incolumis ad tutiora euadere queat. Gnauiter exequuturi mandata duces illi & tribuni, corpora milites veteri Græcorum more curare iubent, & arma expedire, atq; dein quumprimum claßicum intonuerit paratos adesse. Cessatum est vtrinq; ab omni opere bellico biduum. & ad noctem demum tertiã sequentem, dato prodeundi signo in aciem reditum, ordines instructi, agmina in stationes deducta, atque omnia quæcunque ad oppugnandum necessaria, magno apparatu expedita. Stabant extra vallum Turcæ, vix arma manibus retinentes tremuli, cuncta quæ simulabantur ex vero agi existimantes. Nostri autẽ intra muros

Gyngisheri.

Oratio Turcici Tyranni ad suos milites.

quamuis consiliorum tyranni penitus ignari, nihil remissum aut humile cogitantes, actis diligenter pro tuitione mœnium custodijs, atque muri ruinis sedulò refectis, hostis aduentum expectabant: decantantes etiam læti interim, non veterem illum Germanorum baritum, sed hymnos sacrosanctos & Christo suo dignos versiculos, præsagientibus forsitan animis finem nunc adesse laborum. Fit enim sæpius vt & nescia mens humana, quasi Numine quodam tacta, diuinitus futura prænunciet. Collato propè pede & ex propinquo posthac pugnatum nunquam, sed omnia bombardis & machinarum tormentis eminus acta. Tegebatur cœlum densa glandium & missilium nube: tremebat tellus & ingenti edito mugitu mouebatur: vulnerati multi, cæsi, aut fœdè lacerati, tormentorum vi & impetu tanquam turbine rapti, mediam aëris per regionem ferebantur. Cecidit eo in tumultu dum incautius progreditur, Natoliæ præses, summo tyranni atque suorum omnium luctu, fulmine caranthiaca è turre misso lethaliter ictus. Motus hoc infortunio tyrannus, incensis statim prima sub vigilia castris, institutam antea accelerat abitionem, quod tamen ne foret inultū miseros prius Christicolas, quos sors iniqua captiuitate inuoluerat, contra ius gentium & fas omne, crudelitate summa coràm mactare iubet omnes. Auditus est morientiū eiulatus & clamor, nostris à militibus, intra vrbis mœnia, nescientibus tamē quid ageretur, donec postera die exorta, hostis fugā animaduertēre, cæsorūq; corpora passim castrorum per planiciem dispersa reperierunt. Miserandum hoc quidem & triste spectaculum. Iacebant mixtim sanguine vulneribus & cruore fœdati, viri, senes, iuuenes, pueri, matres (neque enim sexui vel ætati pepercerat, ferina belluæ illius rabies) sederit hoc spero non impune. Deus enim faciet vt iuxta Ezechielis Prophetæ vaticinium, Martialis Germanorum manus, de patrato tam iniquo facinore, condignum aliquando sumat supplicium: tyrannumque illum nō secus quàm Tamberlanes Scytha, Bazaitem olim cauea inclusum aureisq; cathenis vinctum, orbi exhibebat deridendum spectaculum: quod propè fore Carolo Imperatore, & duce Cæsare Ferdinando, veterum oraculis admoniti iampridem auguramur. Nam & hoc his deberi palmarium, multa ante sæcula nec gentium quidem tacuerunt Dij. Si enim candidissimo rerum Augustalium scriptori Suetonio Tranquillo credimus, ducentis annis Galbæ ante tempora à fatidica quadam puella, Cluniacique Iouis sacerdote pronunciatum fuit: Oriturum quandoque ex Hispania Principem, dominumq; rerum: quod licet tunc temporis quidam ad Galbam ipsum, quoniam maiores eius hac in prouincia præturam, & ipse quoque proconsulare gesserat imperium, referre voluerint, ego tamen id ad inuictissimos pientissimosq; Principes hos iudico referendum: Schiltbergij illius nobili ductus Historia, qua indicat se quondam ad Nicopolim vna cum cæteris Christianis militibus profectum, illicq; affecto Sigismundo Imperatore insigni illa clade, ab immanissimis Turcis fuisse captum, & belli iure serui loco habitū per triginta captiuitatis suæ annos diuersa loca peragratum, peruenisse tandem ad Abrahami Patriarchæ ilicem, in valle Mabra Ammor-

Si non datur prima nauigatione vti, licet secunda.

Turca turpiter aufugit.

Ammorrai, iuxta curiam suam, vbi & supremum mortalibus expectandum iudicium, mundi sub origine deplantatam: quæ à Gentilibus sacrosancta ideo habeatur, & solenni quodammodo consecratione veneretur, quòd particula de hac quantumuis minima collo suspensa, regio siue Herculano medeatur morbo. vnde & factum, vt & hæc à Sarracenis & Mahumetanis muri ambitu circumsepta, peruigili custodiatur cura: & Turcarum tyranni huius titulo se hucusque voluerint præsigniri, exaruisse hanc Christo Deo & saluatore nostro, crucis in lignum elato, & eam antea priusquam Victor ille gentium, missus ab Occidente imperator, virtute & armis illuc profectus, rei diuinæ mysteria cæremoniásque, & omnem purioris Christianismi cultum ex integro restituat, reflorere non posse. Et id non tam nostrorum assertionibus, quàm etiam Gentilium & Sarracenorum comprobatum prædictionibus: quod & verum esse Diui Hieronymi, beati Isidori, Egesippi & Iosephi Iudæi credere inducimur testimonijs. quibus & sacræ quoque astipulantur literæ, quæ & Ilicis illius siue Therebinti, ad quam tres Angeli Domini Abrahamo quondam âpparuerint, meminere, cum quo & Flauij quoq; Vopisci in Floriani Imperatoris vita adductum conuenit vaticinium, palàm & omni verborum absque inuolucro confirmans, nasciturum aliquando ex Pannonia Principem, & Iudices Parthis, & Persis, qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat, qui per omnem Africam Barbarum non relinquat, qui Taprobanæ præsidem imponat, qui ad Romanam insulam proconsulem mittat, qui Sarmatis omnibus Iudices, qui terram omnem quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat: postea tamen Senatui reddat imperium, & antiquis legibus viuat, ipse victurus annis centum viginti. Taceo interim ac lubens prætereo Mothodij, Cyrilli, Rupacissæ, Merlini, Brigittæ, Ioachimi, Alsanfredi & Torquati, atque aliorum multa non è Druidum quercubus, aut Corthinæ Cynthij elicita responsa, sed pijs mentibus spiritus instinctu cœlitus enunciata oracula: quæ omnia tanquam ore vno prolata, ijs Principibus Orbis deberi imperium profitentur. Sed de his satis, redeat igitur nostra vnde digressa est oratio. Soluta itaque vrbis nobilissimæ per Tyrannum crudelissimum obsidione, Hybraim Bassa consiliarius intimus & secretorum omnium vnicus arbiter (nemo enim in admonẽdo hoc vno ius maius, aut libertatis plus habebat) collectis leuioris atque expeditioris armaturæ equitibus, compositisque ex arte & industria subsidijs, præcedentem à tergo integrum per diem suum tutabatur tyrannum, qui correptis repentè signis, tanta cum acceleratione illis hinc profectus est, vt & vrbes & oppida omnia, quæ improuiso metu & tanto rerum tumultu perculsa, imperium acceperant, & seditionis velamenta oleæ ramos scilicet, & portarum claues obtulerant, nullo vel stipendio vel præsidio imposito, intacta reliquerit: & quinta post abitionem die Budam Hungariæ triginta duo milliaribus Germanicis à Vienna distantem, omnibus cum copijs perueniret: non minori cum dedecore & turpitudine ex Germania tunc (quam triennio, quum tamen Romani hanc ducentis & decem annis vix triumpharint,

Vaticinia veterum.

Fugam subsecuta.

 subigere

subigere certò sibi persuaserat) qua quondam Xerxes Persarum Rex cum tam numeroso exercitu è nobili Græcia aufugiens, amisit tam celeri ex profectione suorum quàm plurimos. Quorum cadauera vnà cum ingenti Camelorum & bestiarum numero strata passim per itinera fuerunt reperta, vi frigoris, hyemis sæuitia, & famis diuturnæ tolerantia iamdudum antea emacerata. Petierunt nostri, antiquam legum contra constitutionem, qua (Triphonio teste) cautum fuit, ne captiuorum ratio haberetur aliqua, aut cum hoste de ijs ageretur quicquam, captiuorum permutationem, inducti ad id, nō tam suorum misericordia, quàm captorum Turcarum perpetua precum instantia. Misso nuncio à Bassa Hybraimo tyranni loco contra morem respon superbenignè, posse si velint, absq; omni periculi metu, de ijs qui agant, trāsmittere. Se enim neq; ad prædam neq; ad vrbium venisse euersionem, sed vt Regem Ferdinandum tamdiu expectatum, & nusquam comparentem ferri virga inuiserent: concessisse iampridem nostratibus nonnullis absq; omni redemptionis precio liberam redeundi postliminio facultatem, quod vt & ipsi faciant vicißim, rogare. Nam Martis aleam eò nunc progressam, vt hoc cōmercij genus inter ipsos futurum sit quotidianum. Nuncium ipsum Baptoserica, & Zetlitium Vexilliferum, quem in eruptione captum iam suprà diximus, aurea veste donatos dimisit, & suis nunciare iussit, se omnia posthac, quoniam & hosti fides seruanda, bona & Attica tractaturum fide. nam quòd præsidijs Budam elocatis, pacta conuenta nuper non sint seruata, id non Turcis ipsis, qui fidem semel datam fallere non norint, sed Germanis ipsis potiùs qui perierint imputandum: veritatis tamen sine ratione hæc. Certum enim est hos, contra ius & fas, fidem præstitam & pacta manu subscripta tyranni, vnà cum Ducibus duobus Christophoro Besserer & Iohanne Traubinger, inermes iam & deditos, à Gyngisheris fuisse trucidatos. At quis in Cyiice fraudem, in Thrace commentum, & in Turca huiusmodi miretur mendacium, quum ij & ridendo & per ludibrium fidem fallere soleant? Præclara tunc maximè per omne obsidionis tempus, Principum Palatinorum Friderici & Philippi virtus illuxit: qui inter cæteros quamuis multi illic egregij, insignibusq; facinoribus & rebus gestis præstātes adfuerint bellatores, velut inter ignes Luna minores emicuerūt. Nemo enim ijs vnis vigilantior, nemo laboris & periculi tolerantior: neq; enim vllis molestijs exhauriri poterant, aut curis vinci, sed omnia circumeuntes, omnia perlustrantes, nunc boni militis, nunc optimi ducis aut imperatoris munere fungebātur: strenuos comiter compellabant, saucios & ægrotos fomētis & pecunijs mirè confouebant & iuuabant, vt planè auitam maiestatē in ijs cognoscere potueris, & Palatinum ingeniū perspicere. Quare quum alter foris, alter intus, vrbem tanta conseruasset industria & vigilantia, conuersi in eos omnes, hos Seruatores patriæ, hos σωτῆρας *& parastatas appellabant. Vnis his omne quicquid vnquā magnificū gestum erat tribuentes & acceptum referentes. Nam & crebræ inter hæc vrbis ante liberationem à Turcis factæ excursiones, tantæ nostris à militibus Principis Friderici auspicio repressæ sunt felicitate, vt nisi cœlestiū id tribuatur benignitati,*

De captiuorū permutatione cum Turca agitur.

Christophorus Besserer. Iohan. Traubinger.

tati, veri fidem, atq; credulitatẽ superare videatur omnẽ. vicit mille Turcas triginta nauibus Danubiũ transgressos, Marafeldiæ per agros rapientes & incẽdentes õnia, ad Stockorauiã, Iulius de Hardeck Comes, ducentis cum equitibus missus. in quos quia tum primũ sub oculis ipsius arcẽ & vicũ Schmidæ incẽderant, iusto animi dolore cõmotus, equites tãta cõcitauit vehemẽtia, vt hos propè prius ad internecionẽ ceciderit omnes, quàm hũc ipsi adesse præsẽserint. Amisit tumultuaria hac pugna, præter vnũ cui Coborle nomen, suorũ penitus neminẽ, & hunc tamen morietẽ non inglorium. Nam is vt primùm mutuum peruentum fuit in conspectum, equum tam acri impetu, calcarium stimulo in hostes adegit, vt per medios & fuga iam effusos, ad naues vsque præter omne negotium proruperit, & vnam ex his secum, in quam hostibus grauem & repletam desilijerat, ad fluminis ima demerserit, sponte moriens: & non secus ac si veteri Decij alicuius, aut Codri ritu, super telum pedibus subiectum consistens, præfante pontifice solennia voti verba, patria pro salute caput suũ deuouisset. Occidit partim fudit & cepit, Caspar Erlebeck à Trausintz ad Treselmauri pistrinũ, quod direptũ incendere moliebantur, trecentos vltra Turcas, decem cum equitibus tãtùm & peditibus prætorianis sex, inopinantes adortus. Leonidæ Spartiadum duci haud absimilis, nisi quòd is medios inter hostes concidit, ille verò trophæa ad suos lætus & viuus reportauit. Multi hostes à leuis armaturæ equitibus, quos Hußaros barbaro appellãt vocabulo, confossi sunt, multi capti, & ad Principem Fridericum viui perducti. Multi etiam quum aliquando ad templi cuiusdam turrim nefasti ex sacro, vitæ quæritantes præsidium, confugissent, à Georgio de Leuchtenberg prouinciæ præside, Sigismundo à Vuolfgango de Vueyx, Bauaricorum equitum præfecto, Corneomburgum iuxta, vbi Principis iussu præsidebant, Tyranni sub oculis, & toto propemodum Danubij ex ripis spectante exercitu, cæsi sunt & ignis fumo, non aliter ac quondam Alexandri Seueri Imperatoris iussu, fumi venditores enecati. Liberata autem sic, vt iam dictum est, obsidione Vienna, & rebus his ita insigniter gestis, Princeps Fridericus, illuc quàm maximis potuit itineribus contendit, eo animo atque instituto, vt iunctis vtrinque copijs cum hoste, si is pugnam non detrectaret, acie confligeret, vel saltem postremum agmen præcursoribus, si fugientem consequi non quiret, incesseret aliquantulum & carperet. Quare mox vt Viennam venit, milites conuocare iubet, atque numerum eorum tribunos inire. sed vix cœpto lustro, Gregarij statim tumultuari, stipendiũ quintuplex ob egregiè defensam vrbem poscere cœperunt: commeatuumq; omnium quos per obsidionis tempus insumpsissent. gratuitam remißionem exigere Princeps eos primùm leniter & innata pro clementia sua admonere conabatur, ne partam tanto cum decore nuper gloriam, tam atra nota vellent defœdari: demum etiam adhortari & precari ab hoc rerum tumultu desisterent, nec egregium illud & nobile quod ipse instituisset opus iam præpedirent. Fateri quidem se eos omnes ob nauatam in defensanda vrbe fortem operam, præmio & obsidionali corona dignos: importunum tamen esse his

Iulius de Hardeck Comes.

Caspar Erlebeck à Trausintz.

Hussari.

Georgius de Leuchtẽberg.

Vienna obsidione liberata.

friuolis

friuolis contentionibus, tempus nunc terere. Nunquam enim antea magis quum hostis interim elabatur, nocuisse differre paratis. Sibi igitur credat, se namque sedulò & diligentia summa curaturum, ne insignis eorum virtus maneat indonata, modò in præsentiarum pareant & obsequantur. Mouit hos nihil Principis benignitas, sed maiori cum importunitate æra militaria & stipendij auctarium flagitare instabant, & quum ad molliendam illorum pertinaciã, Ductores quosdam his longa per militiæ tempora notos demisisset, accensi acrius ira, magis sæuire, postremò quoque proiectis sarißis atque lanceis suis Ductoribus circũuallatis, ni ocyus æra dentur, lymphati & furibundi mortem minitare. Protracta est huiusmodi concertationibus vsque in serum tota dies, & tunc primùm discessum: sed mox postera luce vix dum rectè exorta, eò iterum reditum, & tum quoque perniciosum diripiendæ vrbis consilium per eos ferebatur initum. Quare quum nec imperium apud hos valere vllum perspiceret, atque se & socios omnes & vrbem ipsam in summo periculo, in summo discrimine versari intelligeret, festinandum duxit, & insano illorum furori antequam maiorem erumperet in sæuitiam occurrere. Ad compescendum itaque eorum tumultũ, triplex his pactus est stipendium: sed serò nimis id tum erat, quia hostis interim ad tuta, & vnde eum consequi haud erat poßibile, euaserat. Laxauerat animos forsitan nimia idem sub tempus indulgentia, nec non & rei militaris, dum hostis foris acriter vrgeret, satis licenter habita disciplina. Non mansit tamen id impunitum, quoniam & si facinus illud non eadem sæueritate, qua olim huiusmodi mala expiari solitum fuit, decimatione vel crate sit vindicatum, in capita tamen seditionis, atque auctores nonnullos tanti criminis vltore gladio grauiter fuit animaduersum. Fœdæ multæ ea ante tempora exortæ sunt tempestates; morbi varij præsertim per Germaniam incogniti, pestilentia ingens, necnõ per multos annos continua propè rerum omnium ad vitæ humanæ vsum pertinentium inaudita caritudo: quibus prodigia multa, Deorum in nos iram significantia, accedebant. Nam Viennæ diu antea, tres soles vnico arcu inclusi, integrum per diem in cœlo splendere visi. Luna sanguinea maculata cruce per nox constitit, trabs ingens & trecentorum passuum longitudine, diui Stephani Protomartyris, atque vrbis illius numinis tutelaris, per templum ducta, prima post meridiem hora comparuit: humanas hæc territa verè mentes ad Deum igitur concursum delubra, & obsecrationes insigni animorum factæ deuotione: id saltem impetrauere, vt certum, quod paßim imminere ferebatur, ab vrbe & Orbe, Friderico & Philippo Principibus Palatinis auctoribus, veluti Dioscuris quibusdam, pelleretur exitium.

Morbi incogniti per Germaniam exorti.

DE

DE BELLO PANNONICO, LIBER SECVNDVS.

INTEREA *dum hæc in Germania Pannoniáque agebantur, Imperator Augustus citeriori aberat in Hispania. qui statim ac de his certior factus est, compositis domi rebus in Italiam, quæ bellorum adhuc fluctuabat tumultibus, magnis itineribus contendit: & pacata hac, militem qui illic ab eo, quo Rex Gallorum captus est, præsederat tempore, secum arripit, & transcensis Alpibus, qui Rhetos Vindelicosq; veteri à Germania disterminant, in Pannoniam progredi sæuientiq; hosti occurrere statuit, sed Alpium fauces nondum ingressus, hostis abitionem turpemq; fugam & reliqua omnia vt acta erant, comperit. Quoniam verò hostem hunc quasi dulci illecebra quadam inescatum futura æstate rediturum certò sibi persuadebat, animo secum, quomodo impijs illius conatibus posset resistere, cogitabat. Impossibile videbatur dissidentibus inter se atque mutuis armis contendentibus Principibus Christianis, egregium quippiam aut magnificum perficere: nam discordia ipsa, vt plerunque alias ita hoc tempore exitialis maximè iudicabatur & perniciosa. Placuit itaq; ante omnia nouum illud dogma, veluti certum quoddam discordiæ seminarium mentibus hominum euellere, atque discordantes Principes, qui ab inani verborum pugna ad armorum peruenerant insaniam, tanquam reparato veteri Atheniensium fœdere & άμνηστία ipsa renouata, in vnitatem concordiamq; reducere, atq; edicto publico conuentu, Augustam Vindelicorum, antiquissimam quondam Romanorum coloniam Principes imperij euocare: quo vt veris sub initium septemuiri electores, alijq; Principes, Dynastæ ac proceres vna cum ciuitatum legationibus, Maiestatis imperio obtemperantes conuenere. Curiam ingressi & habito senatu in primis noui dogmatis de religione rem ordiri cœpere, & ipse Imperator Augustus tum Saxonum Principem cum suis adhærentibus monere iussit: Dogma illud nouum quod ipsi sectarentur à lege diuina planè esse alienum. pugnare enim id veluti ex diametro honestiori veterum doctorum cum disciplina, nec cum bonis moribus aut sacrosanctis Ecclesiæ traditionibus aut institutis conuenire. Desisterent igitur, nec tam friuolè à Christiana vnitate discederent, quam cœleste Numen veritatis spiritu tam egregiè & prudenter à mundi initio confirmasset, Prophetæ sancti & Patriarchæ diuinitus & eiusdem numinis instinctu afflati docuissent, martyres & beati Christi confessores felici sanguinis sui profluuio comprobassent, & quam tandem etiam piarum mentium, Patrum quoque & maiorum nostrorum vna nimis consensus per tot secula & annorum reuolutiones laudassent piissimè & adorassent. Ne igitur his omnibus plus, sed ad sobrietatem tantum quod & satis esset, saperent: & si hæc eos parum forsitan commouerent, cogitarent saltem quàm ingens malum esset, statum publicum, otium commune Christianaque rei tranquillitatem perturbare, præsertim hoc tempore iniquo, quo hostis Turca iugulo nostro intentus, nos tam acriter armis

Discordia res magnæ dilabuntur.

mis nunc vndique impeteret & vrgeret. At hi in eadem perseuerantia, in proposito & animi sententia immobiles perstitere, indicantes etiam se à Christi doctrina Euangeliiq́ veritate recessisse nunquam, & doctorum suorum dogma cum Apostolorum traditionibus in nullo penitus discrepare: propterea nec pudere eorum omnium, quæ hi in hunc vsque diem palàm docuissent, ipsiq́ credidissent, Imperatoria Maiestate & Principibus omnibus coram professionem publicā facere, certamq́ & indubitatam rationē reddere. Composuisse namq́ suos iampridem antea quos euulgauerint in lucemq́ ediderint libellos multos, sanæ doctrinæ atq́ purioris Christianismi testes & indices synceros, nunc se hos quibus totius dogmatis atque fidei ipsorum contineretur summa, humiliter offerre: paratos etiam de iis cum doctis, si quomodo pacari posset res, amicè conferre. Non displicuit Carolo Imperatori reliquisq́ Germaniæ Principibus ac Dynastis, proposita mutuo conferendi conditio. Lecti sunt igitur ad id ex omni cœtu vtraque à parte viri septem omni eruditionis genere atque prudentia singulari præstantes: qui collatis vtrinq́ sententiis atq́ nodosis argumentationum Meandris resecatis, controuersiæ de capitibus acri iudicio & diligentia summa multum disseruere. Et à multis creditum eos tum sublata concertationis atq́ dissidii materia, rem componere potuisse omnem, si illi qui sparsis per prouincias ac territoria sua monasteriis bona, quæ adimere ausi fuerant, tunc restituere voluissent. Nam quūm hæc contra ciuilium legum constitutiones fieri viderentur, iussit Imperator, redditis ablatis, manibus posthac temperare. Quā quā autem illi mandatis forsitan obtemperassent libenter, quia tamen ablata ministris suis beneficii atq́ donatiui loco concesserant iam, parere huic sacræ iussioni non poterant. Moti itaq́ hac atq́ alia de qua hîc differere longū foret ratione, imperata facere recusabant. Imperator igitur mandata ingeminare ac repetere cœpit, hi verò tanquā iure licuisset id se defendere. Discessum fuisset tunc procul dubio infecto omni negotio, nisi Fridericus Princeps Palatinus, cuius opera & consilio tunc maximè vtebatur Augustus, rem illam sua pro prudentia alium ad conuentus diem, qui Ratisponam indictus est, distulisset, & spe finiendæ illic controuersiæ facta, commune aduersus Turcas Principum consensu impetrasset auxilium. Sed idem tunc Ratisponæ penè contigit, quod antea Augustæ. Nam si Ludouicus Princeps Elector, Palatinæ domus natu maximus, vnà cum Archipræsule Moguntino eodemq́ Principe Electore, partes suas non interposuisset, & illinc quoque eodem modo, quo antea priore in conuentu infecta pace fuisset discessum: quod vt hi duo Principes bonorum perquam optimi sensere, atque dissidium illud iam nihil aliud, nisi bellum ciuile & intestinū spirare intellexerunt, Suenisfordiam Franconiæ oppidum secesserunt, & assumpto arbitratoris officio, rem inter Imperatorem ipsum atque vtriusque partis Principes dictis legibus, hunc in modum composuere, vt rebus eo in statu quo tunc essent sic permanentibus, nihil à quoquam siue veteri is adhæreret disciplinæ, siue is nouum sectaretur dogma, innouaretur: sed omnes quasi factis induciis donec coacto concilio generali, res ex integro decideretur,

Disputatio Augustæ Vindelicorum habita.

Comitia Ratisponam transferūtur.

mani-

manibus ac iniurijs hinc inde temperarent, præstitis tamen nihilominus cõmunem aduersus hostem interim communibus auxilijs & promissis, & Imperator Augustus apud Pontificem Maximum institutum maturaret concilium: vel si id tam mature Maiestas sua impetrare nõ posset, aliũ saltẽ ad componenda reliqua conueniendi diẽ indiceret. Grata fuere Maiestati Augustæ proposita Leges hæ, & à partibus vtrinq; animis lætis accepta pacis cõditiones, & Principibus Electoribus; quòd tumultum quem hucusq; per tot annorũ curricula cõponere potuisset nemo, soli ipsi prudentia sua & opera indefessa sedauissent, gratiæ ingentes actæ, & non immeritò: nam nemo antea in labantem Rempublicam, plus opis aut operæ contulit, quàm hi duo Principes in hanc tũ temporis dissidijs & tumultibus fluctuãtem industria sua contulere. Non abierant adhuc Ratispona Principes, nec consilium omnino erat peractũ, crebri nuncij Solymannum Turcã nouam & priori longè maiorem in Pannoniam parare expeditionem, referebant. Imperator igitur & Principes non diutius cunctandum rati, soluto conuentu, rem quoq; duxere maturandam: ne dum lento quodam vt anteriori in profectione ad arma procederetur gradu, hostis interim pro celeritate sua præoccupata prouincia, damnum daret ingens: aut vulnus, quod omnem superaret artẽ inferret improuisus, & rectè quidem & prudenter. Nam cunctatio nisi certo quodam & Fabij illius Romani iuxta institutum reguletur modo, noxia est plerunque bello, inutilis & damnosa, præsertim hunc aduersus hostem, qui ocyor Euro ire solet acredire, atq; hic vel illic, vnde minus speres insultare. Constitit ob rem priori bello prudenter beneq; gestam, iterum Augusti Cæsarisq; & communi omnium Principum suffragio, penes Fridericum Principẽ Imperij summa. additi sunt huic Apocleti & belli consultores, Guilelmus de Rennenberg, & Georgius de Haydeck, antiqua & heroica apud Germanos prognati familia, Rinhardus de Neyneck à Glatt, Sigismundus de Hesperg, Vuolfgangus de Affenstain, & Vlricus de Schellenberg, Equites aurati omnes, nisi quòd & posteriores duo iuris Diuini & humani non fuere imprudentes. Atque soluto sic conuentu Principes vt primùm domum rediêre, habito vndique per prouincias delectu, auxilia promissa ad locum & tempus constitutum ordinauêre. Quare & Princeps Fridericus profectionem suam duxit accelerandam, iniquum ratus si [illegible] ipse serius, quàm cæteri adueniret. Ordinatis igitur sua in prouincia sedulò rebus, diebus paucis interiectis, Abudiacum Danubianum Thermis & veterum scriptorum monumentis celebratum, atq; sex milibus passuum supra Ratisponã existentem vicum reuersus est, & Carolum Augustum fratremq; eius germanum, quem is inter hæc vnanimi Principum electorum consensu, rarò fraterna concordiæ & antiquitatis exemplo consortem Imperij & Cæsarem asciuerat, ibidem conuenit: cum quibus de belli rebus pauca, nam plura nec res nec tempus patiebatur, colloquutus, castrorum locum in Lupi cãpo, qui Danubij fluminis secundam ripam è regione vrbis Viennæ & pontem propè expositus est capere iussus; quòd vel is situ & natura ad pontis fluminisq; custodiam, & ad conseruandum liberum in vrbem aditum commodior,

Rumor de Solymanni copijs.

Semper nocuit differre paratis.

Sigismundus de Hesperg, Eques auratus.

vel quòd Martij animalis ab nomine, cuius fœmina olim geminis fratribus Imperij conditoribus fœlicia vbera præbuisse feratur, auspicatior indicatus. Additum tamen, in rem præsentem quum venisset, de his Apocletorum atque Petri de la Quoua, qui & castrametationum maximè esset gnarus, consilio commodius tractaturum multa: tunc quæ iam non cogitentur animo occurrere, se quoque ambos cum exercitu quem peculiariter spopondissent, & qui nunc in Hispania Italiaq; conscribatur breui affuturos, id saltem caueret, ne capta semel in Lupi campo castra, ipsorum ante aduentum & se inscijs hinc amoueret aut transmutaret: sed ea potius interim vel ducto vallo & fossa, veteri Romanorum more, cōmuniret: vel antiquo Germanorum instituto, carrorum multitudine circumsepiret: militemq; rudē adhuc, atq; varijs ex gentibus congregatum & collectum, arte quadam & disciplina militari, aduersus callidum ac dolosum hostem hunc præliari erudiret. Multum enim verteranum & exercitatum à nouo & tyrone differre: & hac ratione fieri, vt hi quasi phratria quadam & amicitia mutuo contracta, firmiùs inter se cohærerent: & cum necessitas ingrueret, fortiùs præliarentur. Finito colloquio, acceptoq; hoc mandato, Fridericus princeps celeri cursu Botodurum ad Ernestum Bauariæ ducem, lociq; illius præsulem deuehitur: & quoniam sitocomiæ munus atq; omnis annonæ militaris cura huic erat demandata: hunc vt commissum sibi officium gnauiter exequeretur, compellans familiariter, est adhortatus. Nosse enim quantum periculi immineret, si annonæ penuria in castris oriatur, vel si ea minus iusto vel maiori quàm par sit precio venundaretur. Nec diu moratus illic Chornumburgum appellit, militemq; ipsum in radicibus montis Peysenbergi, iuxta arcem Greitzenstain, castra prima interim capere iubet, atque mox Labacensi episcopo Ioanni Cantio, atque Petro de la Quoua, aduentum suum in vrbem Viennam, vbi hi præsidebant significat: admonétque vt postera die Imperatoris Caroli, Cæsarísque Ferdinandi mandata de belli rebus audituri, apud eum Chornumburgi conuenirent. Sequenti die exorta, hi vt iussi erant comparuerunt, & exposita Augustali sententia, castrorum dimetatione & loco diligenter & omni ratione excussa, diu consultauere: & exquisitis animorum sententijs multi erant, qui castra Stubæ ad portam inter vrbis Viennæ mœnia, & secundum torrentis nominis eiusdem ripam iudicarent collocanda, multi (& quorum pars obtinuit quoque) qui principali à decreto ne latum quidem vnguem existimarent discedendum, inducti etiam noua ratione, quòd nec milites numero plures, nec qui eos recenserent adhuc conuenissent. Nunciatum eo tempore Turcarum Tyrannum Constantinopoli sexcentis militum millibus iam antea pridem egressum, Gunzam exiguum oppidulum, nulla arte, opere aut natura munitum obsidere idq; non die aut nocte intermissa oppugnatione, omnium copiarum vi premere & vrgere. Præsidebat autem illic centum cum militibus tantùm, Nicolaus Iureschitz, vir pietate quidem erga Deum & patriam insignis, qui quamuis rerum omnium, quæ ad obsidionem tolerandam erant necessaria, planè foret inops, neque enim has Turca tum celeri-

Turca sexcētis militum millibus Gūzam obsidione cingit.

tate præuentus comparare potuerat, belli tamen machinam in se vnum conuersã tanta fortitudine animi diebus vigintiquinque sustinuit, vt eum omni ope humana destitutũ, tanto hostium à furore, solo auxilio diuino intelligeres conseruatum. Excitauerunt Turcæ circa oppidi muros in planicie, nam & hoc in plano situm est, qui mœnium altitudinem superarent, aggeres duos, vnde semper defensorum terga in opugnationibus tormentorum globulis & ictibus crebris pulsabãt. Actum fuisset semel de nostris, nisi Deus suorum misertus, malum hoc auertisset dubio procul. nam Turcæ illatis vltra vallum & mœnia supra vexillis octo, eos omnes tunc inde depulerãt, & erant iam sine defensore mœnia, & sine propugnatore oppidum, quoniam omnes tunc saucij & fessi testudinis sub munimento delitescebant, & nemo erat qui iã posset vel auderet resistere, sed ecce imbellis ætas, senes, pueri, matres, quæ hucusque adhuc intra parietes se cõtinere iussa, alta voce & pectore imo, Dei auxilium, fidem & misericordiam implorans, mirificè fuit exaudita, eiulantium enim clamore hostes animis perculsi, oppidulum milite oppletum existimantes, oppugnatione obmissa à mœnibus victores resiliunt, numinisq; præsentia perterriti, persequente etiam nemine, eadem penè turpitudine aufugere illinc compulsi sunt, qua olim Hercules abiecto clypeo aureo, ab Oxidrochis Iouis fulminibus, & rubente dextera cœlitus defensis, tentatum, si Nicolai animus ad deditionem compelli potuisset, sed frustra. Frendebat igitur cœlestium consiliorum ignarus Tyrannus, dentibus atque animo & ira æstuans, oppidum illud inducto aratri sarculo, funditus cogitabat euertere. Quia vero Deus Optimus Maximus, cuius nutu regũtur vniuersa, occulta & immensa benignitate sua, qua se piè colentes fouere semper solet, sæuientis aliò auertere voluit institutum. Ibrahimus enim Bassa (cui in admonendo ius summum fuisse suprà diximus) statim ac Tyrãni mentem eò tendere intellexit, captato peropportunè, & donec animi æstus aliquantulum resedisset, expectato tempore intercessit, inquiens: Hunc rem nec nomine nec magnitudine sua dignam parare, si tot virium, tot operarum in oppidi vnius tam inualidi & imminuti expugnatione prodigere conaretur, vnde tamen vix vel præmij vel gloriæ quippiam foret expectandum. nullam enim inde si etiam id expugnari detur, apud quenquam oriri admirationem. Nemini enim mirum videri, magnis copijs & tantis, oppidum natura & præsidio inualidum, expugnare: præsertim perseuerantia tanta, qua etiam inuicta aliàs sæpe debellarẽtur. E diuerso autem si belli fortuna, cuius vicissitudines plerunque incerta contingere solerent, necessitate in diuersum cessisset, magnum sui inde apud omnes generari contemptum. Quare consultius esse militum laboribus, in re tam exigua, & vbi honoris nihil sperandum, parcere, & eosdem ad opus maius, quod restare non ignoraret, reseruare, quàm virtutem & fortitudinem vbi ostendi non queant, in tam ignobilis vici illius oppugnatione, frustra & inutiliter consumere. Nam licere iam minori cum dedecore hinc abire, quàm post vltimos conatus, viribus attritis demùm & infecto negotio, discedere. Magnificentius itaque esse, obsidionem illam soluere nunc, atque Nicolaum euocatum

Consiliũ Bassæ.

oppido donare, quàm tanto cum militum discrimine suprema quæq; experiri. Dictis his atque huiusmodi similibus rationibus adductis ægrè tandem obtinuit, vt Tyrannus ipse Nicolaum, quem armis vincere non potuerat, misso caduceatore in castra ad Ibrahimū vocari atque hunc in modum oppido quamuis alieno donari pateretur. Vocatus autem Nicolaus, quanquā lethaliter vulneratus esset, spemq; iam nullā reliquā haberet, venire tamē ad Ibrahimum etiam tum constanter pernegabat, nisi diplomate & obsidibus præstitis factus securior, ne quid ab eo, quod vel à dignitate sua, vel à religione Christiana & fide foret indignum, exigeretur. Laudabilius esse ratus, vnà cum suis fortiter interire, quàm se suosq; ludibrio, atque fluxæ hostium fidei credere aut offerre: & quia ob magnanimum viri responsum creditum res ipsius non vsque adeò accisas, nec vires adeò attritas aut labefactatas quin insultātium ac impugnantiū vim aliquandiu adhuc sustinere potuisset, id quod petebat non fuit negatum. Nam Turcarum ex nobilioribus obsides duo dati sunt properè, & diploma vt petitum fuit præstitum & oblatum. Egressus itaq; Nicolaus acceptis his oppidum, Ibrahimi in conspectum postquam peruenit, honorificè exceptus & considere iussus, de tribus tātùm præcipuè fuit interrogatus. Primò, an ex veteri morbo, de quo in Thracia nuper quum legationis munere apud Solymānum Imperatorem fungeretur laborasset, iterum reconualuisset. Secundò, an vulnera quæ proxima in oppugnatione excepisset, forent lethalia. Tertiò, qua fiducia ductus Imperatori Solymanno, cui cæteri omnes vicinia iuncti colla sua submisissent, solus ipse hucusque tanta animi pertinacia restitisset. Mirari enim se si vllam spem in Rege Ferdinando, Calypede modo, & nimium tardo existimaret reponendam. Inferebat ad id Nicolaus, primùm gratias ingentes se agere, quòd de ægritudine sua præterita & vulneribus in propugnatione proxima acceptis, tā humaniter fuisset percunctatus, liberatū se Christi Saluatoris sui gratia morbo iam pridē, nec vulnera esse lethifera. Ad tertium autem quod attineret, nosse eum pro prudētia sua, boni bellatoris esse, aduersarijs & hostibus magnanimiter resistere, nec rebus asperis facilè perturbari: aut grauibus fortunæ insultibus, gradu & animo leuiter deijci aut dimoueri. Se humana ope destitutū, diuinū confugisse ad auxiliū, quo conseruatus hucusq; perstiterit inuictus: quod & sibi posthac nunquam defuturum speraret. Regem autem Ferdinandum quem nunc Cæsarem, & Augustæ Maiestatis hæredem omnes Christiani orbis Principes legissent & agnoscerent, tam procul non abesse, quin & breui magno cum exercitu esset affuturus. Quare si sibi in hunc vsque diem non sit subuentum se nihil mirari, multas namque causas & rationes, quibus institutum præpediri potuerit opus, interuenire potuisse, quū fortuna instabilis alias à natura quia sine pedibus nusquam minus quàm in bellicis rebus Martijsq; negocijs sibi ipsi constare soleat. Admiratus igitur Ibrahimus magis ac magis excelsū & inuictum Nicolai animum, quum illum non solùm oppido, quod per tot dierum spatia tam insigni cum virtute aduersus tot hostiū millia defendisset, sed quouis etiam ingentissimo præmio dignum tacitè apud se iudicaret, do-

nare

nare se Imperatoris sui Solymanni nomine eum hoc oppido inquiebat, ob virtutem suam nobilem & in defensando oppido egregiè operam nauatam. posse enim nunc si velit id omni sine dubio vnà cum præsidijs & defensoribus suis perdere penitùs & euertere: quia verò natura sua mitis sit ac clemēs Imperator Soleymānus, virtutumq́; ac fortium virorū maximus amator & spectator, iussisse ei & oppidum illud vnà cum commilitonibus & præsidijs suis in præmium virtutis conferre rei alienæ satis munificus Donator, nunquam forsitan donaturus, si hoc insigni absq; iactura & clade militum suorum sperasset expugnare. Accepit munus hoc gratijs actis & animo quidem læto Nicolaus, deprecans vt & munificentia illa liberius atque militū absq; iniuria frui liceret, violentas manus illorum cohibere pollicitus est id securaturum Ibrahimus, dummodo & ipse vicißim in ægrotantes & saucios Turcas qui exercitum consequi non valerent, suos quoque sæuire non patiatur: & sic cœpta obsidione postera die soluta hinc perrectum. Certiores itaq; facti de obsidione oppidi (nam reliqua adhuc ignorabāt) Princeps Palatinus proceresq́; Germani, quonam pacto subueniri posset obseßis, inter se collatis sententijs iterum consultauere. Et quoniam nondum tantæ militum confluxerant copiæ, nec tantū exercitui inerat robur, vt cum hoste aperto Marte contendere liceret, tutiùs iudicatum hos subsidijs quibusdam atq; annonæ prouentibus, elusis per noctem hostium vigilijs, donec Imperator Augustus, Cæsarq́; Ferdinandus maioribus cū copijs aduenirēt, munire & adiuuare. Inspectæ tunc tormentorū machinæ atq; annonæ & prouentuum inita ratio, & vbiq; negligentia quadam & incuria reperta. mandatū itaque his, quibus id negotium publicè iniunctum fuerat, sarcire neglecta, & prospicere in tempore, quæ inde euenire possent incommoda. Soluto concilio, vrbem versus ad conuiuium, quod Labacensis Episcopus opulentia & apparatu magnificum Principi Friderico cæterisq́; Heroibus parare iusserat properatum: & quum ad pontes illos Danubianos qui numero tres sunt fuisset peruentum, milites omnes per stationes custodiasq́; diuisi, armorum strepitu bombardarumq́; boatu prætereuntis excipiebant: non minus honorificum etiam tum, quàm olim armis laudare existimantes. Primi pontis munimenta Caspar Rurzan prouincialium cohortiū ductor obtinebat. Secundi, Sigismundus de Brandis Claßiariorum nec non Manipulorum quorundam Nauarcha. Tertij, cum vrbis mœnibus Lotroniæ comes, structæ acies atque inter se concurrentes naumachiæ atque terrestris prælij speciem exhibebant, spectatu quidem iucundißimam. Inde in vrbem ad conuiuium maxima congratulatione & lætitia omnium peruentum: id non diu protractum. nam mox ad consilium rebus sic exigētibus reditum, & decretū Imperatori Carolo Cæsariq́; Ferdinando omnia hæc de Gunzæ obsidione, de commeatu, de machinarum tormentorúmque refectione, de castrorum metatione, atque de Ducum Tribunorúmque militarium absentia, per quæ omnia, quibus instituto & excursionibus Turcarum obuiari posset præpedirentur, ocyus misso cursorio nuntio significare, precarique Maiestates, aduentum institutámque profectionem iam tandem velint maturare.

Germaniæ proceres quà ratione obsessis subueniendum deliberant.

Sigismundus à Brandis.

Et post hæc vrbis mœnia refecta, muri solidati, addita propugnacula, aucta turres. Sylua Viennensis (nam & hæc ab vrbe ipsa nomen retinet) arborum struibus ne receptaculi loco hostibus foret, occlusa. Consumpta huiusmodi sedulitate sic tota die eáque iam in vesperam inclinante, digressus à reliquis Heroibus Princeps, Vagitium Paulum cuius suprà libro priori sæpè meminimus. ægrotãtem ex itinere inuisit humaniter & alloquitur. Dein Loysium de la Quoua, mille quingẽtorum Hispanorum præfectum comiter compellans, & militibus illius quos is statim ac Principis aduentum præsenserat, in aciem coire atq; eodem modo quo priores in vrbe pugnæ simulachrũ fingere iusserat, summa animi delectatione spectatis ac pro innata comitate sua lingua vernacula laudatis & salutatis clementer, nam illius eam à puero, & eo tempore quo cum Philippo Rege Caroli Ferdinandíque parente, in Hispaniam profectus est edoctus, apprimè gnarus erat. Vt primum autem & multam sub noctem Chornuiburgum rediit, Imperatori ac Cæsari hæc omnia de quibus anteà in consilio tractatum fuerat gnauiter, notarios ac exceptores illos perscribere iussit: & quamuis ita summis laboribus omnem penè consumpsisset noctem, sub aurora tamen sequentis diei Principum Imperii auxilia, quæ hucusque varia per loca fuerant dispersa, colligere imperat: atque recognita, castrorum locum in Lupi campo, vt cum Augusto Carolo Cæsaréque Ferdinando conuenerat, capere. Paritum Principis mandato sedulò. nam statim conuentum, & castra sine mora vt iussum constituta, & quia tunc nõnullorum fraudes, qui priuatam vtilitatem publica facerent potiorem, patuere: atque indicatum Hispanicum præsidium, effracto Chremsii publico horreo, annonam diripuisse, nec Viennam magna copia rerum abundare, quare commeatuum ratio per Palatinum Principem & Apocletos ipsos iterum inita, & iussum publicam quandam venalium facere licitationem, vt miles ea quibus indigeret, iusto Agricolæ tamen absque detrimento comparare posset pretio. Erant tunc in castris neque machinæ neque tormenta, quibus ea quouis saltem modo munire liceret. Rescriptum itaque de his Cæsari Ferdinando, qui horum sumptum atque curam Augustæ susceperat, vt hæc iuberet ordinanda. Commissum id à Maiestate sua consiliariis Viennæ præsidentibus, qui Bombardulas Carrathas (vt vocant nostri) viginti duas situ, rubigine & diuturna incuria satis neglectas, cum fossatoribus iumentis & bestiis iugalibus centum miserunt. Tyrannus autem dum hæc tanta diligentia parari vidit, tot tãtásque nostrorum copias vndique confluere, diffisus iterum Mahumeto suo Acynaci & Diis patriis omnibus,

Turca iterũ fugam adornat.

fugam eodem modo quo priori profectione fecerat, maturare cœpit, atque Croatina claustra versus summa celeritate contendere. quod vt animaduertit Princeps, indecorum duxit planè & à dignitate sua penitus alienum, hostem hunc è Germania, iam tam insigniter & secundò afflicta, impultum discedere: vias omnes præsidiis munire iubet, effugia occludere, & fluminum transitus reiectis pontibus adimere, atque Imperatori interim Carolo Cæsariq; Ferdinando properè indicare, si ipsi negotiorum molibus præ-

pediti

pediti ad pugnam venire non possent iam, militem saltem quem huc vsque apud se retinuissent ad exercitus incrementũ sine mora dignarentur transmittere: eique cum hoste pugnandi tribuere potestatem, ne & is nunc quoq; post tot & tanta scelera in Germania perpetrata: post tot cædes, excursiones & depopulationes commissas, impunitus iterum elaberetur. Inter hæc literæ Nicolai ipsius atque Longini de Buchaim (nam & is vnà illic in præsidio erat) quibus opem & auxilium precabantur, Viennam allatæ sunt, quas ad Principem perferendas præsidij præfecti, Equitibus auratis Helfrido de Meckau, & Feliciano à Petschau, eo cum mandato dederunt, vt & nuntiarent, se his quamuis planè desperatus puluerem tormentarium iam, frumentum & annonam submisisse, oppida reliqua Neapolim, Eisenstadiũ, & Edenborgum tanquam belli turbinibus proximiora, validis Equitum præsidijs firmasse, vt ij si qua vis maior aut hostilis tempestas ingrueret, ea aduersus hanc tuerentur, obseruarentque si hostem ipsum frequentibus incursionibus à Gunzæ obsidione possent depellere: ob id & eis adhuc primum iuxta consilium commodum videri exercitum ocyus transportare, atque hunc positis castris ad Stubæ portam, secundum torrentis ripam vrbi Viennæ propius admouere: ita enim abeuntem hostem faciliùs insequi licere, atque fugientem impedire, multa tempora, donec pontium per angustias tantus transportetur exercitus, præterire: melius hæc nunc dum commodè fieri queant, præparari. Legatis post acceptas literas, expositáque mandata, à Principe responsum, quæ cum Gunzensibus ac reliquis oppidis acta forent, atque de remoranda Turcæ abitione consultata, sibi non displicere. Laudare igitur se Præfectorum industriam & sedulitatem, castrorum autem ad mutationem quod attineret, graue sibi videri, ea Maiestatis contra decreta præscriptóque loco mouere. Quàm seuere namque olim in contemptores imperij vel etiamsi feliciter cessisset res fuerit animaduersum, ipsi nossent, nec filijs, nec victoribus parsum. Rectiùs iam Imperatoris Cæsarisque rescriptum ad literas proximas, quibus hæc omnia significassent expectari. Reuersi erant interea Turcarum ex castris Leonhardus Nogaroli comes & Iosephus à Lomberg eques auratus, ab Augustis Principibus in Thraciam ad Solymannum missi legati, referentes hunc ad pugnam dimicationemq; properare, & relicta Gunza Viennam versus cum toto exercitu contendere. Scripserat hæc Principi Palatino Cantius, se decreuisse aduentantem structis vndique & elocatis syluarum per abdita insidijs excipere, ad hoc Equitibus nonnullis celeribus & expeditis sibi opus esse: precari itaque quosdam Germana è iuuentute corporis robore & animi virtute insignes, atque institutam ad rem idoneos legere, sibique in subsidium submittere. Non abnuendem id ratus Princeps, mox iuuenes septingentos omni ex nobilitate lectos, vnà cum Ernesto de Gleychen comite, qui ducta Græcorum antiquo more sorte his præfectus erat, noctis sub conticinium, Viennam misit, sed eadem nocte illud à Cantio, quod Turcarum Tyrannum institutam mutasse sententiam, indicabat nuntium, ad Principem remissum. quare dilato in aliud tempus negotio, &

Ernestus Comes de Gleychen.

ab Equitibus in castra reditum. Quoniam autem omnia iam Germanica Principum auxilia conuenerant, necessarium duxit ac vtile ductores illorum, Tribunos & Centuriones omnes à militum vulgo seuocatos, paucis his de magistratibus caeterisq; rebus militaribus maturè ordinandis commonefacere: Diu multumq; expectati duces cōmilitonesq; fortissimi peropportunè iam tandem aduenistis, & eo tempore quo Soleymannum Turcam omissa Gunza oppido ad Lytæ fluminis ripam subsistere ferunt, cunctabundum transitumq; eo animo & instituto occultè parare, vt solita celeritate fretus, nos opprimat inopinantes: quod factu haud admodum difficile illi esse, nemo est cui rerum nostrarum status saltem aliquantulum notus, qui non perspiciat. Apud nos omnia quæ ad conflictum durumq; Martis certamen sunt necessaria, in hunc vsque diem permansere imparata: vacant munera militaria adhuc omnia, præfectus his nemo, quod sola absentia vestra factum. Quamuis enim ad hac Heroes nonnulli, viriq; alij haud ignobiles iampridem antea, tum ob ætatem multam, tum ob rerum cognitionem insignem nobis summè placuissent, neminem tamen absentibus ac inscijs vobis, ad ea ipsa euehere voluimus. Sed in hoc vestrum omnium commune, quum inde communis omnium dependeat salus, iudicium expectare, iniquum rati, contra morem Maiorum honorem hunc & liberam legendi militarium magistratuum facultatem vobis præripere. Quum verò res ipsa ob vicinitatem hostis, qui admotis castris, tam propè nunc ferox & minitabundus consistit, moram aut dilationem longiorem non admittat aut patiatur, sed festinationem summam exigat potius & desideret: decreuimus vt electionis negotium illud citius & feliciori auspicio queat expediri, hos vobis veluti candidatos quosdam proponere. Guilielmus comes de Rennenberg. *Guilielmum namque de Rennenberg comitem, prudentia Nestorem, magnanimitate verò & vincendi arte Achillem aut Aiacem, equitum magisterio dignum iudicamus: Theodoricum Spettium, pectoris robore Martem quendam aut Diomedem, campi præfectura & Marscalliæ munere: Vlricum à Schellenberg, fortitudine Mutium, scientia iuris Scæuolam, recognitione militum & censura: Ioannem Hilliche vigilantia Draconem Hesperidum, aut Argum oculatum, cum vicarijs duobus Melchiore de Harstal, &* Vuolgangus ab Hesperg. *Vuolgango ab Hesperg, vigilarium cura: Ioannem à Stadio, vafritia & industria Ithacensem Vlyssem, Sitocomiæ annonæq; militaris officio. Vestrum tamen erit ex hoc tam insigni procerum cœtu vel vos vel alios quoscunque, qui vobis ad munera hæc visi fuerint habiliores legere, vt hi pro tempore, & hostis ante aduentum sic constituti reliqua in exercitu rectè ordinari possint, & quæ huc vsque neglecta fuere, resarcire. Dixerat hæc & continuò ab his, præstito tamen prius militari sacramento, se Principis mandato semper & diligenter parituros. ad suffragia discessum, nec ibi de his diu concertatum, sed mox reditum, Principiq; hos quos & ipsi ad munia hæc placere intellexissent, eis quoque non displicere responsum. Boihæmi quoque quia ex Luna sylua millibus octo progressi, Henricho Trayssch Hesso & Ernesto de Brandenstain ductoribus, per Marcomannorum*

norum fines transierant, atque castra à nostris longius quàm è re fore visum posuerant, ea vt viribus vnitis hostiles insultus facilius sustineri possent, propius coniungere, & admouere iussi sunt. Redierat sub idem ferme tempus ab Augusto nuntius cum literis, quibus Maiestas ipsius Principi Friderico cum hoste agendi, atque ex Lupi campo castra mouendi facultatem pernegabat, significans se breui reliqua exercitus cum parte adfuturam, commeatuumq; ac aliarum rerum omniũ rationem diligentem tunc habituram: subijciens etiam his, quoniam superioris Saxoniæ militibus, Ioachimum iuniorem senioris Ioachimi Marchionis eiusdemq; Principis electoris filium Ducem præposuisset, illis in præsens alium præponere non oportere. Lectis his ingens lætitia in castris orta, quia tum quod de interitu regni Turcarum in fatis esse passim ferebatur, impletum iri ab omnib. iam sperabatur. Et quoniam constans fama erat, quæ linguis mille rerum fidem exaggerare solet plerumque, Imperatorem Augustum Reginoburgo egressum, itineribus magnis, coactoq; gradu Viẽnam versus pergere, ire placuit quo eius sub aduentum parata forent omnia, & reliquum quoq; e militum vulgus, Principis in verba iuramento adigere, & armis inspectis recognitum verbis breuibus, quum longiora tempus ipsum non pateretur, vnitatis concordiæq; admonere: quòd intellexisset hostium animos nihil æquè in spem victoriæ ac ciuiles intestinasq; dissensiones, quas aliquando ob diuersas de caremoniarum ritu opiniones, inter eos orituras certò sibi persuadebant, extulisse. Et tantum adhortatione illa tam breui & perexigua valuit, vt totum hoc militiæ tempus, sine quouis tumultu aut dissensionis strepitu sit transactum. Iactatum tunc vulgò Hannibalem olim exercitum suum varijs ex gentibus congregatum, seueritatis disciplina habuisse concordem: Principem verò Palatinum diuersis ex nationib. collectum æterni nunuminis benignitate, ac clementia sua singulari, qua etiam Cæsarem Iulium superarit vnanimem. Scripsit eadem die Cantius Principi iterum, se ex Turcis septem qui Neopolim transfugerint compertum habere, Soleyman num Tyrannum incensis ad Lyte flumen castris, Valerianos Croatinosq; versus aufugere, atq; transmisso Sauo amne, Thraciam repetere, quare Equitibus sibi antea in subsidium decretis, nunc maximè opus esse. Abeunti enim hosti, flumina tria magnitudine iusta obstare, Drauum, Rabam, & Rabunzam, quæ quoniam fugam acceleranti, vno die, cum tam ingenti exercitu traijcere foret impossibile, futurum, vt transmissa exercitus parte vna, reliquã in diuersa fluminis ripa ad insidias & occasiones omnes opportunã, trepidus post se cogeretur relinquere. Statuisse itaq; hanc vel illic sub silentio noctis, vel ad Croatina claustra, quæ spatij ob angustiã ad vnius hominis tãtum vestigiũ paterent, impetere. Princeps verò quia hostis calliditatẽ non ignorabat, verebatur, ne quũ istã exiguã se insequi intelligeret manum, reuerteretur ex improuiso, nostrosq; priusquã succurreretur inopinãtes opprimeret, Præsidũ sententiã in hoc duxit expectandã: & quoniã Legati illorum qui non diu post vnà cũ Cãtio ipso aduenerant, eadem petebãt & referebant, Cantiusq; pro maturãdo subsidio præsens iterũ instabat, maiores

illi copiæ quã antea sunt decretæ. missi sunt enim cũ præfectis duobus Vuolfgango à Montfort comite, & Gregorio à Losenstain Barone, Equites mille sexcenti, qui postera die vt primum illuxit Viennam profecti, postea Neapolim, regijs equitibus, quos Cantius illuc præmiserat, se coniunxere, & campi planitiem quæ perpetuo tractu ad XXVI *milliaria Germanica extenditur, ingressi, continuato cursu hostium vestigia legentes, Muræ pontes & Grazã Valeriæ, quam à Diocletiani filia sic dictam Amianus refert, Metropolim sunt præteruecti, omnib. curr ib. sine impedimentis, nisi quòd Vngarica quædam vehicula Cotia à patria dicta, quibus commeatuum nonnihil vectabatur, eos à longè sunt insequuta. Nouus tunc & incognitus antè Germanis equitib. accelerandi itineris modus adinuentus est. quis enim credat equites Germanos ferramento & armatura graues, tam breui temporis spacio & non intermisso cursu tot milliaria potuisse emetiri? sed vincit omnia labor: nam nec die nec nocte ab equis discessum, non castris locus datus, non somno aut quieti tempus, donec hostis quæsitus, tandem est repertus. Turca namque Soleymannus, & si Caroli Imperatoris Cæsarísque Ferdinandi aduentu perculsus, summa trepidatione per claustra, per flumina, aufugisset, subsidia tamen quædam & ferentariorum copias nonnullas ingentes nostratium celeritate præuentus, post se in suam exercitusq́; tutelam relinquere est coactus: Quarum vna, quæ & Tyrannum ipsum ponè sequebatur, & cui Bassa quidã præfectus erat, in hos equites nostros incidit. Trepidatum primò, & mox correptis armis acriter vtrinque concursum: cæsi fusiq́; momento Turcæ, & Ducem hunc quoque suum amisêre. Nam Vagitius Paulus illum primo visu agnitum teli cuspide equo deturbauit, impetitum & humi deiectum gladio peremit ocyus resurgere nisum. Caput huius lanceæ cuspidi præfixum diu circumlatum, & equo illius ephippium totum aureum detractum, fræna quoque & phaleræ vnionibus & gemmis mirum in modum exornatæ, victori belli iure tanquam Duci à Duce opima spolia adempta, virtutis in signum concessa. Multi tunc ex vulgi fece honorem hunc (quia æmulis non caret virtus) Paulo inuidebant, sed nemo bonus (quis enim bonæ mentis, viro tam bono & forti inuideret?) qui Thrax & patria exul pro nobis & religione nostra suos contra Thraces & gentiles tam fortiter depugnaret. Alia quoque prædatoria manus, quæ numero iustum exercitum propè adæquabat, eo vel repentino equitum nostratium aduentu ab alijs exclusa, vel voluntaria malitia & libidine prædandi impulsa, ad Lyntium vsque Harpiarum quodam more excurrerat: omnia Cæsaris Ferdinandi sub oculis incendendo & rapiendo deuastans. Scripsit igitur Ferdinandus Cæsar, missis binis literis Principi Friderico, admonens ne prædones istos cũ tanto nostro discrimine diutius euagari pateretur impunè, sed ijs procerum consilio properaret obuiare. Princeps per hoc quum antea quòd Augustali rescripto, armis donec ipsius Maiestas adueniret, temperare iussus foret, incertus satis, factus est magis dubius. Vt igitur quid huiusmodi in rebus factu esset optimum ab alijs quoque exquireret, indicto consilio proceres Viennam euocare iussit. Non conuenerant adhuc vocati, &*

Comes virtutis inuidia.

præfecto

præfectorum præsidij Legati aderant, qui ferentarios prædones istos inter Chremsium nunc & Viennam obuersari indicabant, ijs duos exitus tantum ad effugium patere, quos placeret positis illic præsidijs occludere. E diuerso verò & ipse princeps interim & priusquam legati isti aduenerant tres ex consultoribus belli ad Labacensem Præsulem, vt de famæ inconstantia certum quid referrent, demiserat: qui quoniam ad Thermas istas Paduanas cum Latroniæ Comitis militibus in occursum hostis contenderat, Viennæ non fuit inuentus. sed non diu pòst literas ad Principem dedit, quibus hostis aciem Neopolim versus dirigere significabat, deprecans equestre quoque hos contra subsidium, cui à Principe quia quò hi euasuri tandem essent incertum. petita commodè fieri non posse responsum. nam debilitatum satis antea per submissum Cantio subsidium equitum robur: consultius videri Viennam ad indictum consilij diem, quò & Marchionem de Quasto, Augustæ Maiestatis loco venturum speraret, conuenire. res enim huiusmodi colloquio inter præsentes, quàm literis inter absentes commodiùs pertractari, & quia conuentus iam instabat dies, Princeps Palatinus prima luce de rebus his, cum Præsule illo atque Marchione de Quasto, Proceribusque alijs in medium consulturus Viennam est ingreßus, sperans & hos rebus communibus non defuturos: sed iam diei multum processerat, & tamen neque Præsul, neque Marchio, quamuis Proceres reliquiq; præsentes forent, comparebat: sed demum expectati multùm missis literis se venire non posse excusabant: alter quia hostis ad Thermas Paduanas erumpere conaretur, alter quia iniussu Caroli Imperatoris atque sine mandato comparere non liceret, causam & rationem quæritans & prætexens. Quare indiscusso negotio Principum illorum ob absentiam iterum discessum. Nam & tunc penitus nihil actum, nisi quòd Marcomannorum atque Boihæmorum Duces Zidislaus de Loypp & Ioannes de Berenstain se ad omne obsequium vnà cum militibus suis offerentes, à Principe Palatino humaniter sunt suscepti: & indicia quædã varia & incerta non vsque adeò tamen incertis autoribus, de Turcarum illorũ exitu sunt allata. Nonnulli enim hos in Viennensi saltu intra latibula ferarum delitescere: Nonnulli eas ad Thermas Paduanas, vel vicum Threskirchen eruptionẽ parare. Quæ omnia quãuis ancipitẽ Principis animũ in diuersum abriperent, eò tamen tandem, ne vllã incuria sua prætermisisse videretur occasionẽ, impulere, vt peditũ cohortes nonnullas cũ valida rusticorum manu, quæ intercisis arborum molibus saltum circumsepiret, properè dimiserit, atque Pemplingero illi & Turco Valæ, quos cum equitibus suis expeditis & Latroniæ comitis militibus Præsidij præfecti ad Thermas illas hosti opposuerant, cõmuni procerum & Apo electorum decreto Equites nongentos ex Boihæmis Germanisq; lectos cum peditum cohortibus octo in auxiliũ demiserit, hisque Brandeburgij Marrchionem Principis electoris filium & Hoierum de Mandsfeld Comitem, & Conradum à Bemelberg Equitem illum auratum, qui olim Clementẽ Septimum Pontificem Maximum in sede sua tam immaniter perculit, præfecerit: ipséque assumpta exercitus parte, & Zidislao de Loypp, qui mille

Ioach. Brandenburg.
Hoierus Mãsfeld.
Conradus Bemelberg.

& ducentos equites, quum sexcenti tantùm ab eo fuissent petiti secum adduxerat, montem Viennensem inter vrbem & saltum eiusdem nominis mediũ situm spe bona plenus insederit, illicq́, per integram noctem quamuis durissima pruinæ instaret tempus, ignibus sine & luminibus, ne qua præsentiæ eius procul fieret significatio, hostis aduentum & exitum expectauit, sed frustra. Quare & sic transacta vigilijs nocte, ne superuacaneis fatigaret laboribus militem in castra reduxit, Imperatoriq́, Augusto omnia hæc festina celeritate perscripsit, rogitans enixè, si quid maiestate sua absente cõtra hostẽ hunc perpetratum iri contingeret, id pro innata clementia animo æquo susciperet, bonique consuleret. Belli namque fortunam non maturum semper & quod è longinquo aduocetur consilium expectare, sed repentinum potius, & quod sub manu ipsa (vt Scipio dicere solitus sit) nascatur requirere. Sæpius enim pugnandum non quia velis, sed quia necessitas impellat, hostis cogat, vel disciplinæ militaris ratio expostulet. Aduenerat non diu post, Imperialis aulæ prætorijq́, Præfectus, Adrianus à Roy Comes, mandata quædam Augustæ Maiestatis de communibus belli rebus secum afferens, de quibus cum principe Palatino secretè & semotis omnibus arbitris colloquutus, huiusmodi propemodum reportauit responsum: Quoniam moris sit apud Germanos inueterataq́, consuetudine receptum, res belli atque ad communem statum & vtilitatem pertinentes, vnanimi procerum consilio pertractari, haud iniquum sibi videri, easdem nunc quoq́, Heroum illorum qui imperij atque Maiestatis suæ pro decore, ad tot & tantos labores perferendos huc aduenissent, communi decreto definire: sic maximum apud hos si veteri honore se dignari senserint, beneuolentiam comparari. Et sic vix dum digresso comite Adriano à Marchione Ioachimo ex Thermis Paduanis rescriptum, certò per exploratores constare, hostes triuium quoddam, quò vel per Valerianos ad Tergestum illud antiquissimum & nobile, vel per Chenbergum montem hunc tædiferum, vel Suuarcacum amnem vorticosum euadere liceret, occupasse cliuum tamen anteriorem & posteriorem, quia vterque natura sua satis angustus esset, & vix plaustro permeabilis, à prouincialibus, arborum truncis & saxorum molib. præclusum: medium verò præsidio valido, vt his inde etiam nullus pateat exitus, insessum. oportere igitur cum toto exercitu priusquam hostis ille lubricus & inconstans iterum elabatur confestim & sine mora insequi. Princeps Palatinus vt hæc accepit, communitis castris & relictis præsidijs quibusdã qui ea tuerentur, postera die se cum inuicta equitum peditumq́, manu Laxenburgum, mercatura boum insigne emporium contulit, atque inde mox idem Marchioni de Quasto qui cum Hispanis militibus ad diui Peletini oppidum residebat, significauit, & vt eò vsque nunc progressos hostes, quibus ipse oppositis vndique & elocatis subsidijs effugia omnia obstruxisset, iam tandẽ propelleret, nec pateretur eos cum tanto Hispanæ gentis dedecore, in Christi plebem diutius & impune ità pergrassari: sed ab illo quamuis rapi, vastari, ac depopulari corãm penè conspiceret omnia, contra hos actum aut gestum penitus nihil. quam autem ob rationem nec hodie satis constat, multi vt est dicax

Laxenburgũ mercatura boũ insigne emporium.

dicax militum vulgus, metu id, multi inuidia, qua is erga Germanos peculiariter moueretur, factũ iudicabant. sed an verum id sit, quum & innocentum milites proscindere famam sæpius soleant, incertum, hoc tamen certum alterum nec pium satis, alterum nec vsque adeò magnificum. Hostes verò quum omnem exitum aufugiumq́ intelligerent esse occlusum, nunc illuc rimam quæritantes, incerti & furibundi circumferebantur: quare Glogenitz primò, dein Bistorphium quò vsque & Brandenburgij Marchio eos est insequutus, procurrebãt: postremo etiam Loyberstorphium, quò & Princeps Palatinus sub media nocte, quum & hos castra sua illic posuisse exploratores indicassent, motis properè signis est profectus, & mox iterum & vix dum explicatis tabernaculis & tentorijs hostes adesse, compositáque acie aduersum nos contendere relatum, quare ad arma à nostris conclamatum, sed vana trepidatione quorundam id factum: nam & ij nec illic diu perstiterant. Missi itaque ad exploranda visendáque omnia ex nobilioribus equites quatuor, qui vsque Starckenbergium arcem progressi eos in valle ima inter Altenmarckt oppidum, & vicum Podenstain, ingenti præda onustos consedisse compererant. Sub idem tempus sunt reuersi, nunciantes illos montium intra septa, quæ ob angustias nec equiti peruia forent, se occuluisse, nec diu pòst, Turco Vala mille cum equitibus suis, quibus præerat, idem indicaturus superuenit, ob armorum vestiúmque similitudinem primo hostis creditus, postea verò ex signis, quæ errorem nostris aperuere, agnitus, vnde & arma quæ miles repentino tumultu arripuerat dato redeundi signo reposita. Quum autem iam post multa diuersáque explorationum indicia certũ esset, vbinam locorum hostis resideret, commodum visum Philippum de Oberstain Rhenensium Ductorem, cum expeditis cohortibus quibusdam, vt si itineris celeritate atque temporis oportunitate quid proficere posset, præmittere, & huic tandem etiam quòd cunctari aliquantulum videbatur, Sebastianum Schertlium Augustanæ Vindelitiæque, & Iohannem Sayler Palatinæ cohortis præfectos, cum veteranis trecentis in subsidium & ad ferendam opem tanquam manu & consilio promptos bellatores submittere. Qui acto raptim agmine ad Philippum statim noctis tamen sub conticinio peruenere, & hostis præsentia animaduersa castrorum situm & reliqua speculaturi per sentes & vepres atque alia syluarum abdita ferarum more reptantes, ad procubitores ipsos in stationibus pro exercitu suo vigilias agentes penetrauere: ex quibus vno, fuga sibi consulentibus reliquis, peropportunè capto, quindecim Turcarum millia in valle proxima castra posuisse, cognouerunt. Ad supremas igitur vigilias, & eò vnde intra vallum ipsum & castra prospicere licebat, progressi, eos, qui intra castrorum se munimenta condiderant, adducta sagittariorum cohorte adoriuntur. Fundentes namque numeroso crepitu à bombardis ignitos plumbeosq́ globulos, stertentes passim atque graui somno oppressos & torpidos Turcas vel premebant vel ad arma excitabant: qui conscensis raptim equis ex valle in montium cacumen prosiliunt, & structa protinus acie, militibus nostris animo & impetu ferocientes

Sebastianus Schertle Augustanus.

occurrunt

nebat, & vnde in campos armis virisque fulgentes prospicere licebat, fastigium & cacumen. Quare illi primùm conspectis agminibus nostris, veluti viso lupo exanimes & amissa voce conticuere. Mox verò & postquam spiritus redditi, sublato ingenti & ad sydera vsq; clamore, barbarico ritu ferale quid vlulare, atque tum etiam veteris militiæ memores, & in cuneos arctius constipati, suspenso pede & animo, effugium circumspicere. Iussit hos Princeps inter spem metúmque dubios, excussa campestri machina primùm excipere, & non diu post fulmine hoc territos, dato per lituos tubásque dimicationis signo inuadere. Impetiuit illos primùm Bohemorum atque Slesitarum equitatus: qui ad signa cursoria, vt nostri appellare solent, à fronte agminis principalis constiterat. Deinde & ipse princeps phalange sua & armatura graui, magnanimiter & acri impetu concurrens. Quare certamine paruo in fugam fœdam versi, totis campis palantes, nunc huc, nunc illuc sunt circumacti, & demum etiam cum omnia effugia insidijs præoccupata & occlusa intelligerent, deficientibus pauore animis, per omnia arcta præruptáque veluti cæci ruentes, in flumen paludémque præcipitabantur, vbi pars quædam profundis gurgitibus hausta submergebatur: pars alia relictis equis, resectis sarcinis & vestimentis, atque solis armis quibus se tutari posset aliquandiu retentis, corporibus nudis enatabat: multis tamen limosæ paludis vada obstitere, omnémque fugæ spem ademere. Hærentes enim illic tanquam pedica irretiti, & ocyus se inde expedire nequeuntes, ab equitibus peditibusq; nostris, qui vnà cum Spettio illo vltra flumen subsederãt, trucidabantur: quos Princeps quoque ipse cum eos contempto omni discrimine vitæ in diuersam fluminis ripam eniti, seq; iterùm conglobare animaduertisset, traiecto statim amne est insequutus: & continuato cursu, nunc à fronte, nunc à tergo & latere fortiter insistens, per milliaria duo Germanica impellebat, nec antea destitit, donec cædibus & vulneribus abunde satiatus, ad Marchionis illius à Brandenburg milites protrudisset, qui & si rerum harum penitus ignari, casu quodam fortuito superuenissent, intermissum tamen iam reintegrabant prælium. Cæsus est tunc iterum magnus hostium numerus, & magna tunc quoque Marchionis antiquos auos & proauos manu & fortitudine referentis emicuit virtus. non solum enim is inter primos dimicabat acriter, verùm etiam & ad idem faciendum commilitones suos verbis adhortabatur, & exemplis magnanimiter admonebat. Restabant iam pauci quidam quos equorum velocitas tutata manibus nostratium eripuerat. Dijs immortalibus forsitã ita volentibus, vt victoriæ ac gloriæ huius omnes nostri fierent participes, nam nebula quæ repentè & saltus & campos omnes circa intexuerat, eos ad Cantium illum atque alios heroas Vuolfgangũm à Montfort, & Gregorium de Losenstain, qui cum copijs auxiliaribus fugientis Tyranni recentia vestigia erant insequuti, tanquam ad aras Tauricæ Dianæ, aut certum quoddã mactationis deduxit sacrificium: nã & illic, vel ab Equitibus illis, vel à colonis & agricolis ita cæsi & extincti sunt, vt ex quindecim millibus istis, ne vnus quidem qui cladis nuncium ad suos referret superfuerit: captus enim est ex

Turci iterum fugantur.

his ob peculiare Prouincialium in Turcas odium penitus nemo. Signum vnum purpurei coloris ereptum, Caroli imperatori in honorem & victoriæ symbolum oblatum, à quo multi quorũ virtus eo in prælio ante alios fuerat insignis, dignitate equestri aureisq́; calcaribus sunt donati. Captiui multi tunc quoq;, quos Turca solita pro crudelitate nondum enecauerant, recepti. Præda omnis, quæ tamen perexigua fuit, militibus concessa. Fuit hæc victoria nostris omnino incruenta. Nam præter vnicum equitem Agnulum, vulgo Lêle, toto exercitu desideratus est nemo. Videbatur Princeps hāc hieroglyphico, quo vexillum suum atq; labarũ post susceptum præfecturæ imperium inscribi voluerat, præauguratus: quia in hoc Angeli imaginem, dextra macheram, sinistra verò schedam quandã huiusmodi cũ inscriptione (è cœlo victoria) ferentem, parari iusserat. Turcarum cadauera ob diuitiarum sitim quas illi absorbuisse ferebantur, (heu pudet auaritiæ) incisa, sed hi stomachi in penetralibus nil nisi vuarum baccas & granula quædam habere sunt inuenti, ea famis vehementia, Mahumeti sui cōtra legem, quâ ab omni vini vsu arcentur, insumere compulsi, quoniam & profana & fœda omnia in vsum conuertere necessitas coëgerat. Acta sunt crudelia hæc à gregarijs nonnullis: de nobilioribus enim atq; veteranis, quod vnius probare exemplo sufficit, longè aliter constitit. Fuit hoc in conflictu Eques quidem Germanus, Sebastianus de Fleckenstain, nobilitate reiq́; militaris peritia insignis, cui inter dimicandum, Turca quidam sacculum nummis plenum veluti redemptionis pretium quum obiecisset, equi ex sella in quam forte quadam deciderat, hunc tanquam victoriæ remoram indignabundus reiecit: ad Ditem vestrum hinc abite, inquiens, diuitiæ: non enim hic aurum, diuitias aut alia huiusmodi irritamenta malorum quærimus, sed virtutis præmium potiùs honorem & gloriam militarem. multa tunc Turcarum Saracenicis literis conscripta apud interfectos reperta sunt monumenta, horum elogia siue testamenta, quæ ij ob instantem metum, quemadmodum olim ad Vesuntionem Romam sub Cæsare Iulio, in castris antea obsignassent credita. Fugientem Tyrannum lues ingens sequuta, cum maiori suorum clade, quàm antea priori profectione affecit. Relatum nemq; tunc vltra centum & quinquaginta hominum millia, Numinis diuini ira fuisse perempta: non minus ea tum quoq; quàm etiam olim sub Senacherib rege, quum angeli manu vna nocte octoginta quinq; millia cæderētur sæuiente. Cecidit per idem tempus è cœli summitate pluribus in locis ingens ignium vis, quare à multis creditũ, supremum mundi instare diem, quòd Adamus Protoplastes, vt Iosephus Iudæus testis est, hunc etiam sub igne aliquando periturum retulisset, & Cometa proximis tribus annis & singulis qui profectionem hanc præcessere, naturæ suæ secundum rationem Septentrionem versus, regnorũ mutationem significans, appareri visus. Et Dracones numero multi, diuersi tamen coloris, per summitatem aëris nunc quoque volauere, Boihamiam petentes, spiritus immundi kakoq; Dæmones, quia ij Philosophorum iuxta sententiam migrare nonnunquam locumq́; immutare soleant, existimati. Parta autē victoria hac ad castra quæ hastatorũ

Christianorum victoria incruenta.

Auri sacra fames.

agmin

agmini asseruanda interim commendata fuerant, reditum, & die vna ad quietem reficiendoq́ corpora militi concessa, Laxenburgum toto cum exercitu quem secum adduxerat Princeps Palatinus, repetitum, quò & Philippus Princeps ex fratre nepos & consanguineus, cum Eckhardo de Reisch equite aurato nomine Augustæ Maiestatis congratulatum venerat, & petitum, vt Strigonium oppidum quod Capusij comes viribus ingentißimis oppugnabat, missa copiarum exercitusq́ parte vi eximeret, obsidioneq́ arctißima qua premeretur quàm primum liberaret. Legatis verò quia Imperatorem Carolum vnà cum fratre suo germano Cæsare Ferdinando Viennam appulisse constabat, paucis, Maiestati verò suæ coràm postea concordi procerum sententia hunc propè in modũ responsum: Neminem in hac tam insigni Principum omnium procerum ac militum corona esse, qui augustißimæ Maiestatis suæ Imperium non summo studio veneretur & adoret: id enim sacrosanctum haberi & iudicari apud omnes. quare etsi profectio illa sero nimis iam & eo tempore, quo veteres Romani milites suos olim ex castris ad hyberna deducere sint soliti, apparetur, se tamen omnes ad quoduis periculum pro Maiestatis suæ ac imperij honore & gloria subeundum, esse paratos: dummodo omnibus vnà coniunctim ire atque toto cum exercitu illuc traijcere liceat, & reliqua omnia quæ ad huiusmod pfectionem sint necessaria, maiori cura & diligentia quàm antea preparentur. Periculosum namque esse, hosti se tam acri & seuero, neglectis omnibus, sine quibus nullum bellum rectè suscipiatur, tanquam prædam quandam certam & indubitatam obijcere. Quamuis autem Imperator promittendo sal tem exiguo aliquo Strigoniensibus subsidio iterũ instare decreuisset, Principis tamen Palatini consilio destitit & quieuit, indicantis si Strigonium ipsum eò vsq́ furorem hostilem & impetum, quò illuc exercitus aliquis vel subsidiũ traijceretur, sustinere posset, id & postea hyemis beneficio, sub qua omnis oppugnatio inutilis plerunq́ esset & intempestiua, tutum fore & inexpugnabile. Principi dein à Carolo Imperatore de caso fugatoq́ tanta felicitate hoste gratiæ ingentißimæ actæ: Duces reliqui, tribuni, proceres castrenses, & milites vna omnes laudati, quòd patriam communem & imperium tam insigni opera sua tutati essent egregiè & adiuuissent, & ita missione facta cunctis abire liberè concessum. Debebatur quidem ob rem bene feliciterq́ gestam militi laurus, Principi triumphus: sed quia non idem hodie, qui olim virtuti habebatur, honos, illis nec vllus decretus est.

IOANNIS CRISPI AEGEI MARIS NAXIQVE DVCIS, BYZANTINI IMPERATORIS TRIBVTARII, ad Pont. Rom. & Christianos principes, Epistola.

*Q*Vanta *animi consternatione, quantóque dolore ac cruciatu me, ac mea omnia Byzantino tyranno dediderim, non ignorat Deus, ille vnicus humani cordis, humaníque consilij perscrutator & inspector, arcanorúmque omnium cognitor. Ne autem vos etiam fallat, quæ id de causa factum sit, quò breuius potero, explicabo. Siquidem cum vestra in primis haud dubiè intersit, vehementer opto, non tam excusandi mei studio, quàm vestra ipsorum salute, ne Christiano desim officio, idem quoq; particulatim nostris literis vobis innotescere. Proinde attentis auribus & animis rem omnem, vt sese habet, quæso accipite. Cum proximo itaque Maio, & Iunio, è Ponto & Propontide maximus Solymanus centū & quinquaginta triremes, ac biremes octoginta, & præter has hippagines, ac onerarias & actuarias naues centum & septuaginta, centumq; simul alia non vnius generis nauigia, eodem tempore primo in Aegeum mare, ac subinde in Ionium, & in Hadriaticum, demū ad Epiri littora emisisset, ipse itinere terrestri cū centū & aliquot vltrà millibus partim equitibus, partim peditibus, nullo nō armorū ac telorū genere instructis (quæ omnia procul dubio ad aures vestras peruenere) Apolloniā rectà contendit, Italicū bellū siue solus sponte sua, seu cum socijs Principibus (vt fama erat) ex condicto primo quoq; tempore suscepturus. Vt igitur illuc appulit, maiorem & meliorem classis partem, in qua decem mille pedites lectos, & duos mille equites robustissimos imposuerat, in Apuliam præmisit. Quæ copia, vt in continentem fuerunt exposita, oppida & vrbes aliquot, breui tempore deditione ab incolis vltrò facta, partim barbaricæ classis, barbaricique terrore exercitus, quem maius indies incrementum accepturum ferebatur, partim etiam opera reguli Vxenti aliquot ante annos regno pulsi, & fœdere idcirco atq; societate cum aliquot alijs Imp. Mahumetano iuncti, in potestatem perfacilè redegere. Cum autem ad castra Apollonica ex Cilicia fuisset allatū, Sophi Persarū regem (siue id simulatè ageretur vulgareturq;, seu ita esse verè cōstaret) iam bellum parare, ac paulò pòst in Mesopotamiam descensurum: tyrannus Byzātinus animaduertens sociorum vires & apparatus opinione infirmiores ac tardiores, veritus etiā si solus bellū id sumeret, ne res ex animi sentētia parū procederet, flexo aliorsum consilio, ex Appulia copias & classem cū ingenti virorū & militum, ac preciosæ suppellectilis præda, quā improbus Mahumetanus ab ijs qui se dediderant antea ceperat, in Epirū præter communē omniū fermè spē reuocauit. Simulato igitur in Thraciam reditu quē præmisso rumore de Persico bello fucauerat, dū Corcyreū fretum classis*

classis innocua præternauigatura à plerisque existimatur, quod proximis diebus præstiterat, cum Apolloniam peteret insulam, circumquaque ea nauigijs bellicis propè septa, animo intercipiendi quadraginta triremes, ac totidem fermè alia minora nauigia, aliquot item naues vestrorum firmissimum robur, vestrámque certissimam tutelam Venetorum: quæ inquam illic (vt notissimum est) in anchoris stabant, callidus Barbarus occupari mandat. Corcyrei nihil tale suspicantes, non ignari pacis quæ plures quidem ante annos confecta, proximè inter Solymanum, vósque Venetos firmata fuerat, vbi vestras triremes oram soluere, ac vela ventis dare, paulóque pòst Turcicam classem appellere, & armatos milites inexpectatò in littus emitti cernunt, pauefacti subito hostium aduentu, sese illico in fugam conuertunt. Alij deuia nemora, reconditas specus: alij præruptos excelsósque montes petiere, pars circa vrbis mœnia rupi asperrimæ impositæ se recepere. Complures igitur vtriusque sexus mortales principiò à Turcis in suburbio intercepti, cæsi sunt. Quamuis (vt postea compertum est) multo plures etiam in insula passim abditi inuenti: qui ad primum hostium descensum diffugerant, capti ac interfecti sint. Cum autem præter priores milites ex Bathroto, locisque finitimis quadraginta mille milites transportati in insulam fuissent, Corcyra vrbs admotis tormentis, & alijs machinis bellicis tertio nonas Septembris à Barbaro obsideri cœpta est. Corcyra à Barbaro obsessa.

Verùm cum perdifficilis impendio munita, arduoq; in loco sita vrbis expugnatio videretur, largissimis præsertim per eos dies de cœlo imbribus assiduè decidentibus, cœptam obsidionem (id opt. maximóque Deo in animum illi suggerente, tum Corcyreorum iam fame frigoreq; pereuntium, cum vestro omnium beneficio: nam eò propriorem, magisq; in conspectu, atque eò infestiorem hostem haberetis, si vrbe potitus fuisset) decimo die penitus soluit, incensis interea suburbanis ædibus amplissimis & penè innumerabilibus: sacellis item, ac templis, alijsq; locis cùm sacris tum prophanis, ex quibus gemina permagna ciuitates erigi ac construi potuissent: deuastatisq; prius agris, villis, prouincijsq; aspectu iucũdissimis, & verè Alcinoijs. Insulaq; plurima sui ex parte consumpta, præda ex his deniq; quàm maxima hominum, auri & argenti, aliorumq; bonorum abducta, & nauibus imposita. Quæ omnia rapacissimus & alieni appetentiss. miles Mahumetanus duodeuiginti dierum spacio, vt Corcyram inuaserat, passim depopulatus fuerat. Hæc cũ Solymanus ita egisset, aduocatum ad se classis præfectum, in Hellespontum redire iubet. Id se cum terrestribus copijs, misso interim ad vos Venetos nuncio, qui propensum & beneuolum eius animum testaretur, & integrũ ad mutuam reconciliationem vtrinq; reditum superesse proponeret: Hadrianopolim via Candania regredi quàmprimum cõstituit. Cũ autem propter Zazynthũ classis ea præteruehereretur, nautici milites nocturno tẽpore luporũ more, quibus per amica nox est, in insulam descendere: ac centum & vltra miseros agrestes, quos ex diurno labore defatigatos, & propterea dormiẽtes inuenerat, captiuos (imò seruos) reddidere. Illinc digressus præfectus, cũ Zazynthiorum vrbẽ magno virorũ præsidio firmatã intelligeret, & iã

ad resistendum paratam, ad Cytheram cursum tenuit: tentataq; arcis illius loci expugnatione, cum res ea parum ex voto procederet, octingentis & vltra vriusq; sexus hominibus captis, abacto insuper omni Cythereorum pecore cum dominis, & succensis domibus, quæ circa oppidum, & in insula frequenti virorum & mulierum copia habitata, passim constructæ erant, inde in Aegeum reuertit. Illatisq; damnis & malis permagnis, & innumeris in eo cursu maritimo tam Monembasiensibus, quàm Neapolitanis, ad Aeginã non ignobilem insulam maritimis fortissimis viris frequentem, ac satis opulentam contendit. A qua cum non procul abesset, præmissis nuncijs ad vrbis prætorem, & ciues ad deditionẽ cùm promissis, tum minis solicitat: recusantibus autem ijs, & iam palàm resistentibus, signo dato pugnam infert: Aeginetæ pugnam non detrectãt & audacter sese contrà offerunt. committitur prælium atrocissimum, plurimi ex hostibus primo congressu caduntur: demum cum Barbarus cæde suorum admodũ indignatus, immisso recenti supplemento militum pugnam redintegrasset, cum parua manus, & iã ex acri longaq; dimicatione fessa, tot Mahumetanorum millia sustinere haud posset, Aeginetas retrocedere, ac intra vrbem sese recipere compulit. Itaque vlturus audaciam Aeginetarum, è nauibus tormenta & missilia non pauca extrahi, & vno atq; altero in loco apponi mãdat. Dirutâ igitur maiore nemorum parte, quò patentior militibus aditus foret, quàm maximo datur impetu & conatu vrbem adortus, extemplò capit, & eodem tempore expugnat. Aequatis autem mœnibus solo, deprædatisq; ciuium bonis, ac domibus combustis, viros Aeginetas omnes ad vnũ obtruncari iubet. Fœminas verò
Sæuitia Turcici Tyranni. *tum nobiles, tum ignobiles, ne vllus sæuitiæ locus relinqui fieret, ad stuprum nautis & militibus promiscuè concedit. Quas inquam postmodũ, vnà cum infantibus & pueris nauibus oneratas, quæ iam ex ingenti multiplicíq; præda fatiscebant, & in Atticam eiectas, Byzantium ad durissimam & perpetuam seruitutem trahi imperat. Deletis penitus Aeginetis pari propemodũ impetu ac immanitate Parios, & proximos, atq; aliorum locorũ incolas aggreditur. Quos omnes momento fermè superatos debellauit, depopulatusq; est, resistentibus & aduersantibus, senibusq; pariter interfectis: arreptis ad hæc iuuenibus, qui cædi superfuerant, & remigio addictis: adolescẽtibus verò constupratis & ablegatis ad claustrum illud percelebre Constantinopolitanum. vnde sanè pueri illuc introducti, puberes iam effecti, & militarem iam disciplinam edocti, nullo nõ die in perniciem Christianorũ postmodum educuntur. Hæc atque alia id genus atrocissima & nefandissima cum sub oculis propè nostris fierent, vix vno aut altero die interiectis, ecce classis ad nos haud præter opinionẽ & expectationem remis velisq; simul acta repentè adnauigat, imò aduolat. Accurrunt ad vrbem pauidi trepidiq; ciues, & agrestes mares fœmineq;, desertis totius insulæ locis, desertis domibus, relictáque supellectili maiori ex parte. Fit ingens turba, coëunt, lachrymãtur omnes, ac vociferantur: it clamor cœlo. Quæ inquam in extremis periculis plerunque contingunt: haud namque ignorabatur, quid ad Naxum classis adferret. Vt igitur ad nostra littora est appulsum, & in ipsis descensum,*

infidi & inhumani hostes Mahumetani in turrim & domos proximas irruunt: nemineq; illic reperto, cellas frumentarias & vinarias atque oleariás effodiunt, exhauriũt, euertunt, domosq; ac turrim demoliuntur. Interim autem à præfecto classis nuncius ad nos ascendere & aduenire adfertur, mandata quædam expositurus, proinde fandi copiam petere. Id cum nobis significatum fuisset, etsi ægrè, attamen ita sentientibus & volentibus plerisque cõcessimus. Vt in oppidum & in Ducarium subinde nostrum impius nuncius introductus fuit, in hæc verba sine vlla præfatione prorumpit. Si te ac insulas locaq; tua Constantinopolitano Imperatori (imò verò iam totius Asiæ atque breui totius Europæ domino futuro) sponte subieceris, ipsius gratiam facilè promerueris: si effeceris secus, ipsius odium, indignationemq; tibi denuncio. His quædam alia in eandem fermè sententiam subdit, fatus: Si te dedideris, integra saluaq; omnia tua erunt: alioqui si recusaueris, gratiæ locus nullus supererit. quin imò te, ac vxorem & liberos, ciuesq; ac subditos omnes propediem vnà pessundabimus. adest classis potentissima: robustissimus, victorq; miles: adsunt armamenta omnia expugnationi idonea. ab Aeginensibus, Parijs, atque alijs Cycladum Regulis exemplum & consilium sume: præclara est fortuna tua, ni desipis: cum ex alienis malis valeas, tuo mederi nolis. & cum liceat esse incolumi, sponte detrectes. His auditis, nuncium Christianum hominem aliquantisper secedere mandauimus, vt interim cõsuleremus ac decerneremus quid facto opus esset. Itaq; eo amoto, pauidi omnes, & mœrore ipso penè confecti, consilium inimus: & cum non pauca in vtranq; partem strictim, vt ratio temporis ferebat, exposita fuissent, cum nec opes ad repugnandum, nec vires ad resistendum tanto furori nobis suppeterent, nec vestrûm aliquis (vt par fuisset) auxiliator accederet: nec aliunde subsidiarius miles, subdiariáue classis expectaretur, intuiti omnia plena timoris & miseriarum, cogitantesq; nos impendenti periculo prædæ ac cædis iam obnoxios, cum inter omnes ita constitisset, necessitate coacti, cui aduersari nemo sanè potest, re iam desperata & conclamata conditiones demum perindignas & periniquas accepimus: rati magis è re ac vsu Christiano esse, atq; futurum, si mortales penè innumerabiles quos habebat nostra Insula, clarorum olim virorum ingenijs & monumentis affatim celebres, ad feliciora tempora seruarem (quæ vtinam me superstite contingant) quàm si in nullum vsum & commodum me atq; illos seruituti atq; neci obijcerem: & in commune reliquorum detrimentum, communemq; iacturam vnà omnes perditum irem. His igitur causis compulsus, quæ fortissimum quenque vestrûm ad idem meritò compulissent, Mahumetano tyranno tertio Idus Nouembris deditionem feci, ita illius iugum simul & imperiumq; subij. Pollicitus ad hæc & annuatim quinque aureorum millia tributi nomine, ijs etiam ante tempus persolutis, quò placatiorem dominum mihi redderem. Quæ summa tametsi maior & grauior à nobis, atque à ciuibus nostris æstimetur, quàm Duci pauperi, & regno pertenui conueniat, integrè tamen quotannis à nobis enumerabitur: id quod declinandi euitandique magis aduersi & atrocioris infortunij gratia perfecturum me

planè

planè profiteor. Quanquam haud ignoro, aliquot post annos idem mihi quoque proculdubio euenturum; (nisi ipse Christus redemptor noster suppetias attulerit, vestrisque sedatis & pacatis controuersiis atque dissidijs, vos in vnum composuerit, & ad sumendum bellum aduersus potentissimum, & penè inuictum hostem compulerit) quod octogesimo abhinc anno Constantino Palaeologo nouissimo Graecorum Imperatori euenit, qui bello fatigatus, fractúsque, cum ab Amurata Turcarum rege pacem ea conditione impetrasset, vt ei ac successoribus perpetuò annuum tributum penderet, id quod etiam quotannis fideliter praestitit: contra omnia humana diuináque iura, à Mahumeto ipsius Amurati filio & successore, octauo anno post initum & percussum cum patre foedus, de Imperio Constantinopolitano exturbatus & eiectus fuit, ac pariter occisus. Arrigite proinde aures & oculos, animósque intendite Principes, dum res vestra integra & incolumis est: ac dum vobis aliena vecordia, alienáque pericula & mala prodesse possunt; nolite vobis ipsis deesse, imò veriùs obesse: ne si communis hostis vos sigillatim inuaserit, quod habet in animo, & sibi de vobis, vtpote semper discordibus perfacilè pollicetur, eandem & aleam & fortunam subeatis, quam equidem proximè subij, & plures ante me Principes indignè subierunt: praesertim cum ea hoc tempore Solimano auri argentique vis sit, ea imperij magnitudo, is militum exercitatissimorum numerus, id robur & obsequium ac fides, & ea terra marique potentia assiduis Christianorum concertationibus quaesita, & maximum ac incredilem propè in modum aucta, vt non solùm vobis, tametsi concordibus, & in vnum coactis (quod difficilimum est ad fidem) palàm resistere, verùm etiam molestiam & vim quàm maximam inferre valeat. quod re ipsa certissimum intelligetis vbi ferocissimus Barbarus felici rerum suarum successu meritò elatus, ac plurimis iam victorijs efferuescens, sequenti anno (id quod die noctúque meditatur, & vndequaque molitur) vos omnes terrestri maritimóque bello fuerit adortus. Quare interea date operam quaeso (vestra omnium salute, non odio dictum arbitremini) ne post tot bellorum ciuilium turbines tantásque tempestates, quot quantisque hactenus vltrò citróque iactati estis, vos denique, vbi discordes praeoccupauerit (vt veteris instituti morisque vestri est, ac immitissimus ac fallacissimus Barbarus maximopere cupit, & clam nititur, dum vni callidè arridet ac blanditur, vt alium intercipiat & opprimat) vniuersos postmodum more maiorum suorum breui tempore perdat ac deleat: vnde conuersis oraculis Prophetarum, vnum in toto orbe terrarum ouile, Mahumetanum scilicet, vnúsque omnium pastor Mahumet nostra culpa fiat. Quod ne cui vestrûm mirum videatur, aut impossibile putetur, laudatissimum & comprobatissimum illud nostri generis autoris testimonium in mediumq proferam: qui, inquam, paruas res cōcordia crescere, maximas discordia dilabi ac interire censuit, memoriáque prodidit. Verum ne plus aequo Crispo nostro tribuere me ducatis, accipite oraculum ab ore Christi prophetarum minutissimi olim emissum, qui (vt testantur

tur quatuor diuini illi Euangelici præcones) regno dissidenti interitum & desolationem interminatus est. An obscurum est, ducentorum & quatuor, siue (vt alij malunt) ducentorum & triginta annorum spacio Othomani familiam Christianorum principum odijs & contentionibus mutuis adductam & pellectam, cum à primordio sui priuata & pertenuis esset, multo ampliora & opulentiora, firmioraq; imperia passim in orbe terrarum sibi comparasse (pace vestra dictum velim) quàm vos, licet omnibus regnis vestris in vnum positis, & cum illis regnis collatis, cuncti teneatis & possideatis? Expergiscimini quapropter, & deposito antiquo veterno, aliquando (imò quàm primum) resipiscite, reualescite, rerum vestrarum euentum prospicite, calamitates ac infortunia vestra, si non præsentia (vtinam equidem mentiar) at saltem impendentia & futura ex alienis miserijs cogitate, perpendite, metimini, omniq; sublata mora, vt veros Christianos reipsa, haud solo nomine decet, dum Persico bello distrahitur noster hostis, vnanimiter (quamuis serò propemodum id fiet) arma parate, arma capessite, Mahumetanas prouincias magnanimiter inuadite: immanem beluam terra mariq; primi fortiter impetite, vexate, & infestate. Quo auspice & fauente Deo opt. max. cuius omnipotentia plurimum dare ac fidere vestrarum partium est, ereptis vobis locis & regionibus, ereptoq; sanctissimo sepulchro seruatoris nostri Iesu Christi, illum exuere ac denudare possitis. Vocat vos beata immensa illa Trina maiestas cœlestis ad hoc laudatissimum certamen & bellum, ad hunc gloriosissimum triumphum. inuitat Christiana pietas, cœtusq; reliquus Christianus. Hortatur vestrum munus & officium, admonent promissa ipsi Christo duci & imperatori nostro à vobis facta. Excitant propinqui & finitimi Turcorum imperio populi, vt nonnullis vestrûm subiecti, ita ipsorum ignauia simul & auaritia ex parte aliqua neglecti, & aliorum quorum non interest nequitia & iniquitate penitus destituti, ac prædæ crudeliter indubitatò expositi. Extimulat infinitus numerus captiuorum Christianorum compedibus ferreis, cathenisq; vinctus, reliquo gregi libero non impar, qui inquam Mahumetano tyrannno durissimè ac dolentiss. seruit. Arctat vestra ipsorum tutela & salus, vrget miserandum & flebile plurimorum principum exitium & excidium. Cogit, aut cogere decet imminens discrimen, ne cum regnis & imperijs vestris libertatem & vitam pariter amittatis, atque ita erroris & delicti admissi pœnas, tum superstites sub hoc cœlo, tũ breui defuncti sub alio vt grauissimas, sic etiam meritissimas luatis. Haud sanè pauca supersunt, quæ hoc in loco aptè accommodateq; memorare possem, cùm de natura & moribus, tum de armis, armamentis, ordinibus, & vafamentis, ac de militari disciplina Turcarum: demumq; de genere ac forma belli, vt scilicet, & quà inferri ac geri debeat. Verùm cum huiusmodi, aliaq; id genus, vtpote hinc aut aliunde ad vos sæpius allata, exactissimè tenere, vos verisimilimum sit, & armorum peritia, atque animorum & corporum robore Byzantinum Imperatorem, eiúsque Duces ac Præfectos superetis, ex industria omiserim, ne longiore oratione apparatus vestros bellicos diutius

remorer: in primis cum intelligam, ab Othomano ex Thracia fecialem iam istuc missum properare, indicendi vobis propediem belli causa. Itaque cum iam haud dicto, sed facto opus sit, quo apparatiores, magisque accinctos, cum illuc accesserit, vos offendat, epistolæ (atque utinam ita lachrymis & luctui daretur) finem imponam. Valete, ex Naxo. Data Cal. Decemb. Anno ab enixu & puerperio virgineo M. D. XXXVII.

IOANNIS MARTINI STELLAE LL. DOCT. DE TVRCARVM IN REGNO HVNGARIAE, ANNI M. D. XLIII. & XLIIII. successibus, ad fratres Gulielmum & Michaelem Martinum Stellam, Epistola.



XISTIMAVI *etiam me hoc vobis debere, ne quicquam eorum quæ hic vel geruntur, vel pro certis à fide dignis dicuntur, ignoraretis. Principiò nemo opinor Christianorum est, qui non videat, in quo periculo vniuersi simus: nos tamen quo propiores, & quo minus in longinquis spei & subsidij videmus, tanto sanè animis sumus, aut, vt in rebus propè deploratis, consternatiores: aut quod in extremis fieri solet, ex desperatione pertinaciores, eoq; ipso fortaßis fortiores. Ab eo igitur tempore, quo per anni tempestatem Turcæ bellum gerere potuerunt, arcem Vualpo, quæ in confinibus Bosniæ, Croatiæ & Hungariæ sita est, ferè tres totos menses frustra obsederunt: neque audire quicquam potui, quod à nostris pro illorum subsidio aut alleuiatione sit gestum, præter castrorum inquietationes. Cum autem ipse Solymannus expeditionem contra nos totis viribus moliretur, sentiens quanti intersit, nihil à tergo malè pacati relinquere, maiores eò copias destinauit, per se extrema tentaturus, nisi obsessi aut expugnari, aut ad deditionem cogi possent. Deditio igitur facta est: sed perfidia militum, qui suum præfectum omnia potius experiri, quàm se se dedere volentem, comprehendère, Turcisque tradidère. In quem Turca non solùm non immanis, sed etiam munificus fuit, & benignus. Cæterum milites omnes, quanquam dedititij, fœdè interfecti. Non quidem ipsius Turcæ, vti audio, imperio, aut studio gloriæ, exemplóue in proditores memorando: sed auaritia & spe prædæ, quam apud illos inueniri posse rebantur. Interea pontes supra Sauum & Drauum instituti, per quos copias & exercitum traijceret. Erant iam proximi Quinquecclesienses, qui superioribus bellis steterant inconcußi, & hoc anno visi fuerant non malè animati, ex legatione, quia hinc publicè bombardas, puluerem, ac globos, & petierunt, & impetrarunt. Verùm tantum pauoris illis & amissum Vualpo, & magnitudo exercitus Turcici incußit,*

incussit, vt Episcopus & reliqui optimates, plus præsidij in fuga, quàm in vrbis munitionibus putarint: reliqua plebs quæ aut circumuenta ab antecursoribus Turcicis, aut propter inopiam fugere nequiuerat, missis legatis deditionem fecere. quibus quæ fides seruata sit, certè ignoro: hoc vnum tamen hic constanti fama relatum est, neminem Turcarum toto triduo vrbem ingredi ausum fuisse. Proxima fuit (de locis loquor, in quorum munimentis vlla spes fuit resistendi) Soclosia, oppidulum primo impetu captum, direptum & incensum fuit. Qui vero in arcem confugerant, principio obsidionis pacti sunt inducias quatuordecim dierum, intra quos dispicerent, quid sperare deberent subsidij, aut quibus conditionibus sese dederent. Termino elapso, confisi munitionibus (sita enim est loco, natura & opere munitissimo) vim repellere sunt conati. Ac primis aliquot diebus se valde strenuos gesserunt, præsertim cum se à cuniculis Turcarum, quos XII.*millibus fossorum aggere instituerant, tutos & satis firmos esse intelligerent. Postquam tamen adducta machina, ac ex contiguis arci ædificiorum prius exustorum ruinis, multam murorum partem humi prostratam viderunt, diffisi se posse vlterius tam violento hosti resistere, etiam ipsi deditionem fecerunt: ea conditione, vt libera corpora & res suas secum saluas auferre liceret: quæ res pauperibus saluti, ditioribus omnibus exitio fuit: tenuioribus enim omissis, reliqui ob suspicionem prædæ & diuitiarum interfecti, pœnas ignauiæ soluerunt. Nam si in animum induxissent, sola victoria, neque pactione pacem pariendam esse, & locum & vitam & res suas procul dubio conseruassent. Fuerunt itaque reliquis omnibus exemplo, quantum fidei Turcarum promissis aut pactis sit adhibendum. Vt enim neque Rhodios neque Taurinum referam, taceam etiam Budensium & Pesthensium magistratus eo prætextu interfectos, quòd cum Christianis commercia habuissent, ac boues ad nos adduci passi essent: item quod alijs, si qui reliqui in patria permanserint, non vt mancipijs interdicto armorum vsu, sed vt vespillonibus, ad sepelienda extra vrbem cadauera, plateas & cloacas aliáque curanda, quanquam de illis optimè meriti sint, abutantur: nemo possit sine summo mœrore referre, quod secundo ab hinc anno, cum nostri cladem apud Budam accepissent, in duas cohortes, quæ viuæ in potestatem hostium venerunt, est patratum. Quibus quasi vitam dono concessurus edixit, vt deposito squalore, arma ac vestitum solitum reciperent, ac se in aciem & ordinem, vti Christiani solent, redigerent. Quod cum alacriter, nihil suspicantes mali, nostri factitassent, ipséq; ordines aliquandiu obequitasset & circumlustrasset: tandem iussit rursus arma abijcere. ordinibus tamen seruatis, selegit ex numero aliquot præstantissimos viribus & corpore: reliquos omnes à tergo circumuentos, gladijs à suis iussit concidi. eorum verò quos selegerat, alios iaculatoribus opposuit pro scopo, alios duob. filijs suis proposuit, in quibus sese, suásque vires, vter profundiora vulnera, formosioresq́; & conspectiores plagas ederet, plúsque sanguinis è corporibus Caurorum (sic appellant Christianos) hau-*

Soclosia capta & diruta.

riret, ostentarent. Illud verò quod superioribus diebus gestum esse, constantissima hic fama est, multum interesse puto, ne quis Christianorum ignoret. Nam si qui tam vecordes sunt, qui cum eo ad paciscendum descendunt: illi hoc spectare videntur, quod qualemcunque vitam, etiamsi turpem, tamen cum viuere liceat, chariorem illam existiment, quàm si pro patria certantes, gloriosam & honestam mortem oppeterent: qui si considerarent illam ipsam ignominiosam vitam, quam honestissimæ morti præferunt, sibi ne concedi quidem: sed quoniam non vtri imperent, sed vtri sint, nobiscum bellum geritur, pariter & victos & deditos eodem loco haberi: potius compararent se vt strenuè bellando occumberent, quàm dum animos spe longioris vitæ demittunt, deditionem paciscuntur. Cùm & illam ipsam conditionem quam prius habebant, honestè scilicet pro patria moriendi, amplius non sint habituri: quando illi qui paulò antè propter abiecta arma salutem sperabant, nunc instar pecudum iugulantur, mactantúrque. Cum igitur alterutro de duobus, aut per ignauiam, aut vti fortes decet, prorsus mori necesse sit, certè vt est exoptabilius, & cum minori sensu iniuriæ: sic gloriosius & laudabilius, hoc modo miserijs calamitatibúsque defungi, cui hoc accedit, vt sæpe sit minus periculi, cùm & ipsa desperatio salutis, imbelles armare, & timidos excitare soleat. Dum igitur arcem Soclosiam obsidet, dediderunt se loca vicina: ac vti imperatum erat, omne genus commeatuum in castra detulerunt. Principiò, iubet omnes iudices pagorum sibi præsto adesse, statim paretur: obedientibus deinde imperat, vt postridie singuli, cum sibi subditis, rursus adsint: cùm & hoc pro imperio sedulò factitatum esset, ille nescio sanè quam opinionem de se relinquere volens, iussit inspiciente exercitu ad vnum omnes trucidari. hoc facto, puto nobis plus roboris ex eius immanitate & inclementia, quàm illis bonæ famæ aut potentiæ accessisse. Ex hoc loco castra mouit, ac Budam ingressus est, XI. Cal. Augusti. Hinc varij sparsi rumores, in quam partem primum ducturus esset: & quo nos incertiores consiliorum redderet, tripartito visus est instituisse. Pars nanque incendijs & ruinis omnia vastabat circa lacum Balathonium, qua iter est in Steiriam, & prouinciam Vuandalicam. Alij, quo scilicet nobis omnem suspicionem de Strigonio adimerent, cuncta vsque ad portas Albæ Regalis sunt depopulati, quod nobis non mediocrem metum incusserat. Præsidia enim quæ submittebantur, adhuc Taurini consederant: & vix beneficio noctis effectum est, vt intra vrbem M. D. *pedites partim Itali, partim Germani reciperentur. Eram ego tunc Altemburgi, & in vicinis locis, cum bombardæ, quas itineri committere ausi non erant, retro in arcem, vti tutiorem locum, reducerentur. Postremò paululum infra Budam pontem supra Danubium facere instituit: quæ res mihi magnam sollicitudinem adfert, ne in ciuitatulas mõtanas, ac in vniuersum patrimoniũ Sereniss. Reginæ Mariæ irruat, quod fama est, pro magnitudine periculi non satis firmo præsidio custoditum esse. quam rem certè mihi non videtur neglecturus: nam neque sui interea, dum*

Turca Budã ingreditur.

dum Strigonium obsidetur, pontis curam abiecerunt. Situm est autem Strigonium quinto milliario supra Budam è regione vbi in Danubium influit fluuius Granus, à montibus Carpathijs, & oppidulis quas nunc montanas appellamus. Atque adeò vetus illi nomen erat Istrogranum, quasi circa confluentia Istri & Grani situm. Cœpit igitur Strigonium obsideri IX. Calend. Augusti, non sine magna nostrûm omnium perculsione, quòd nullos adhuc milites præter consuetum præsidium eò submisissemus: neque vlla potestas succurrendi videbatur, quòd Turcæ omnem Danubium profligata nostra classe in potestate sua habere crederentur. Duo tamen adhuc restabant, in quibus aliquantulum spei reliquum erat: quòd Vulzigradum (est hoc medium inter Strigonium & Budam, quà se Danubius à recto itinere terrestri nonnihil sinuat) videbatur interdiu facilè prohibiturum, ne commeatus, aut etiam bombardæ aduerso flumine castris subueherentur: quæ spes non fefellit. nam plus minus duodecim naues, inter quas duæ puluere & bombardis onustæ erant, à nostris submersæ. Deinde quòd trans Danubium omnia adhuc nostra, idest, Christianorum essent. Archiepiscopus igitur Strigoniensis per Barpthololomeum Croacum, statim ducentos boues sub ipsa arce obsessis transmisit: & nostris Comaroni indicat, tam arctè obsessam non esse, quin facilè eadem via, aut etiam secundo flumine subsidium submitti posset. Redierat per eos dies vexillifer cohortis præsidiariæ, & Hispanus quidam Sancius Gotta, qui ad Regem pro stipendio missi erant, hi intelligentes obsidionem, Viennæ pecuniam publicam reliquerunt: ac si vllo modo se ad suos recipere possent, tentauerunt. ipsi quidem seriùs venerunt: sunt tamen milites propè sexcenti, & cum his annona & puluis tormentarius in arcem recepti: qui cum retulissent qua causa stipendium deuectum non fuisset, militum animis satisfecerunt, vt ad rem fortiter gerendam nihilominus animati essent. Rescripserunt igitur ducibus Regijs, se de fide & liberalitate Regia nihil dubitare, neque stipendium aut pecuniam eo tempore contra hostes, sed milites, quos ad se missos gaudebant, fortius posse pugnare. His contrà à Senatoribus Regijs ita responsum est, ne quicquam de stipendijs dubitarent, omnia illis satisfactum iri: & si quis interea casus vllos iactaret, hæredibus ea omnia integra & salua, quæ viuis debita fuissent permansura: quæ responsio (vti huc relatum est) mirum quantum animi obsessis addiderit ad pericula contemnenda. Dum iam classis nostra, quæ subsidium subuexerat, reuertitur, visa est sibi occasionem rei feliciter gerendæ nacta esse. Cùm enim (vti ibi fit, vbi nullus hostis formidatur) Turcæ liberiùs castrametati essent, nostri circa extrema castra quæ in ripa erant, irruentes subito tumultu omnia turbarunt, & quinquaginta ferè interfecerunt, ac inter hos vnum ex principibus, vt ex signo galeæ, quo nullis nisi ex familia Otthomanica prognatis vti conceditur, est deprehensum. Principio obsidionis Turcæ Martinum Lascanum, natione etiam Hispanum, præfectum præsidij, ad colloquium super deditione inuitarun. Est è regione Strigonium obsidetur.

*arcis alius colliculus eiusdem ferè altitudinis. Hinc Turcæ bombardas, in-
terea dum colloquuntur, contra nostros erexerunt: pluteis & multa materia
muniuerunt, dißimulante id præfecto, ac suos clam admonente. Cùm Tur-
cæ se nemine prohibente, omnia quæ eo pertinebant, procurare tutò cre-
dunt: nostri repentè omnib. machinis in eam partem collatis, munimenta &
custodias deturbauerunt, ac magnum incommodum fractis bombardis, siue
comminutis rotis, intulerunt. quare etiam nunc à iaculatione dicuntur ces-
sare, credunturq; hoc conari, vt eam cuniculis subuertant: quæ res quem e-
uentum habitura sit, nō possumus diuinare. vnum speramus, quòd propter
aßiduas ab hoc nouilunio pluuias is conatus non nimis feliciter sit cessurus.
Præterquàm quòd à longinquo, & multis in locis per rupes sit instituendus.
Cōtra etiam huiusmodi casus, præfectus arcis, iam ad aliquot menses, plus
minus quinquaginta milites aluit, exercitos in aurifodinis: ita vt spes sit,
vel irritum fore hunc conatum: vel obuiam iri, & hostem in cuniculis ob-
rui, non difficulter posse. Reliquum nostri exercitus, quod post distributa
vndiquaq; præsidia supererat, ducib. Ioanne Vngnad, Otthone à Discha,
& Comite Philippo Torniellio, subsedit Comaroni. Sita est hæc arx in insu-
la Danubij, quam Germani Schutte vocant. Insula hæc totius Danubij pro-
pè nobilißima est. incipit sub Posonio, bipartito fluente Danubio: ac desinit
decimo deinde miliari, fluuio rursus coeunte: posteaquam à læua & Septen-
trione, Polonia scilicet & montibus Carpathijs, flumen Vagam in se acce-
pit. Colonorū habet supra duodecim millia, ac fuit superioribus bellis sem-
per intacta. In fine huius insulæ, vbi rursus Danubius in vnum coit, est vetu-
sta arx Comaron, quam nostri nunc opere & aggere terreo circundede-
runt: & ne hostes possent aduerso flumine nauigare, vtrumque fluminis
alueum tribus ordinibus trabium obsepiuerunt, tanto interuallo distanti-
bus, vt nulla nauis, nisi sub arce, vbi spacium relictum est, pertransiret. hoc
loco nostræ copiæ, quæ sanè quàm exiguæ adhuc sunt, consederunt: quid
autem accessurum sit, malo vos ex re ipsa aliquando, quàm ex nostra spe
cognoscere. Viennæ tamen omnia præparantur, quæ ad obsidionem toleran-
dam opportuna ducuntur. vallum, fossæ, turres reficiuntur. præter alia
iampridem cogitata munimenta, ante portam quæ in Carinthiam ducit,
& alteram quæ in Hungariam itur; quæ omnium hostium ictibus apertè
patebant, propugnacula ex trabibus, lignis, & terra figura triangulari
suscitantur. Ciues vxoribus & liberis quoquò versus ablegatis, quàm
multi è suo corpore arma ferrent, numerum inierunt. Conscripserunt
adhæc vnum vexillum militum, qui nunc vnà cum ipsis pro portis & turri-
bus excubant. Mauritij Saxonis ducis, Reipub. Nurenbergensis, & Anto-
nij Fuggeri cohortes singulæ in suburbijs collocatæ sunt. præter has tres aliæ
paulò superius, in ripa Danubij, vnde statim in vrbem recipi poßint,
aliorum sociorum auxilia indies expectantur. Item Italorum adhuc qua-
tuor millia. Postridie Cal. Augusti, equites quingenti lustrati sunt, qui ne-
scio an vrbi præsidio mansuri, an ad reliquum exercitum exituri sunt.
Maiores naues hic instruuntur decē: sex sunt biremes, reliquæ myoparones.*

Sunt Camaroni minores nauiculæ, ſiue celoces, numero XL. *Hic eſt apparatus noſter naualis, contra triplo maiores copias hoſtiles: reliquæ naues quæ non exiguo numero hic vel in nauali, vel in Danubio ſunt, niſi inſeruiantur, aut ſubmergendæ erunt, aut igne conſumendæ. In ſumma, omnia hic feruent, videas tota vrbe arma expediri, feſtinari, ingentes trabes, quæ de ſolutis ratibus in ripa Danubij iacent (vnde etiam, ſi neceſſitas poſtularet, vel quantum totius muri ambitus continet, rurſus vallum conſepiri poſſet) conuehi: ligna item & faſces in pluteos frumenta, farinam, & aliam annonam, denique nihil non intra vrbem & mœnia deportari, quémque pro ſe ſedulò niti, inæqualia & foſſas, quæ olim ſuburbijs circumdatæ erant, adæquari & complanari. Ex alia parte, ruſticis iā præſcriptum eſt, quò quiſque debeat aut fugere, aut ad reſiſtendum conuenire. In agris duntaxat meſſem triturant, vel ſerunt rurſus, ne poſt hoſtium diſceſſum inopia laboretur. reliqua quæ in loca munita conuecta non erunt, à noſtris corrumpentur. ſic ſunt quidem in agris ruſtici, ſed ſine vllo inſtrumento, quod non ſit neceſſarium vſui quotidiano. ſigna itaque & ignes è ſpeculis & montibus obſeruant, ad quæ, vti edictum eſt, in tutiora fugere, & ſeſe ſeruare poſſint. Dicitur Turca ducenta viginti millia in armis habere: in quibus etiam Tartarorum* XXIIII. *millia, homines truces & feri: nulli tamen generi pugnæ, niſi ad vaſtandum agros, idonei. horum noſtri qui Albæ in præſidio ſunt, mille, dum incautius prædantur, interfecerunt. Rex verò Ferdinandus iam cœpit ex Bohemia verſus Dirnauiam mouere, eſt id apud Vagam fluuium, poſt Morauiam primum oppidum Hungariæ, dicitúrque magnum exercitum trahere. Certè ſi Turca (quod nunc creditur) ſegnius oppugnent (fama enim eſt, eos peſte, dyſenteria & fame, quoniam omnia circa Strigonium & Budam vaſtata, deſerta & inculta ſint, laborare) neque huc veniant, noſtri obuiam prodibunt. Quæ tamen omnia ex euentu pendent. parua enim momenta, etiam maxima conſilia in bellis mutare ſolent. Miſſi erant centum foſſores aurifodinarum, vt Strigonium nauigarent. His nunc alij ducenti acceſſerunt. verùm cum ſeriùs veniſſent, neque Strigonium tenere poſſent, hic retenti loco huius vrbis ſuſpectiſſimo, poſt monaſterium fratrum Minorum, ab interiori parte fodere cœperunt: hoc opus vel ad deſcenſum in imam foſſam, vel ad erigendum propugnaculum, vel quod magis credo, ad cuniculum eiaciendo igni, inſtituitur: vt ſcilicet tota illa pars, quæ maximè de oppugnatione dubitatur, extra muros in aggere, cuniculo ſit ſuffoſſa, vnde oppugnaturi, ignibus, malè mulctati à mœnibus deturbentur. Hæc hactenus. quæ verò ſequentur, ſi non tam fama conſtabunt, quàm oculis videbuntur, non committam vt minus curioſè ad vos perferantur, Valete, Viennæ No nis Auguſti. Anno.*

1553.

IOAN.

IOAN. MARTINVS STELLA GVLIELMO ET Michaëli fratribus, S.

ETsi sciam non iucundissimum nuncium me vobis esse allaturum, tamen cum fortuna, quam nemo effugere potest: & superi, qui cuncta præuiderũt, in omnib. dominãtur: visũ est, quoquo modo ista sese haberẽt, eorũ vos quàm verissimè possem, certiores reddere. Audistis igitur ex superioribus literis meis, nõ solùm obsidionem, sed & oppugnationem Strigonij: nunc verò (tanto miserius & indignius, quanto minus timebatur) vel expugnationem, vel deditionem, vel etiam si vultis, desertionem audietis. Quid enim aliud dicam? aut quid conquerar? aut quem incusem? Sed malo vt vos culpam dijudicetis: ego quæ hic dicuntur, & quæ acta sunt, vt potero describam. Principiò cum cœptum esset obsideri Strigonium, nunciabatur non solùm in vulgus, sed mandato regiminis, senatusque Regij, etiam in concione dicebat Episcopus Fridericus Nausea, vir & pius & eloquens, quàm fortiter, quàm strenuè, quàm viriliter se gererent obsessi: non solùm primam illam oppugnationem, in qua nostrorum soli decem obierant, de qua prius, illam concionem secutus, scripsi: sed præter illam, tres alias violentissimè repulissent: multa millia Turcarum, duos etiam Bassas occidissent, de reliquis benè sperarent: obsidionem ab hostibus desperatione obtinendi loci, vel nunc deseri, vel mox desertum iri: bombardas iam secundo flumine (vt alia taceam) remitti. Hæc inquam in concione die Dominico, qui erat pridie Iduum Augusti, prædicabantur: preces, laudes, hymni & cantus. ac modò non triumphus agebatur. Iam ciuium vxores & liberi reuertebantur, à multis quotidie quoquo versus literæ rei feliciter gestæ scribebantur. Quinetiam instituta iam opera segniùs administrari, rustici in agros cum instrumentis & supellectile reuerti, cœperunt. In summa, omni metu ac hostium pauore amoto, pristina vrbis facies reddita, decorq; & splendor restitutus videbatur. Sed ecce, vix erat dimissa concio, primum mœstum silentium totam vrbem inuaserat: murmur deinde ac rumor incerto authore, postremò aperta fama ac deploratio perditi amissique Strigonij. Et quod miserrimum erat, neque quomodo nostri perijssent, neque quid hostis ageret, quàm mox nos oppugnaturus esset, aut quem modum victoriæ statueret, sciebatur. Et cùm die Mercurij, qui erat quinto Idus Augusti, deditio facta esset, nos hîc die Dominico sequente, Te Deum laudamus, pro Io triumphe cantabamus. Mirum si hoc primores ignorabant, in tanta vicinitate loci: solùm enim absumus XXV. *miliarib. Hungaricis, ac potest totum hoc iter vehiculo cisio intra* XX. *horas confici. Si sciebant, nescio quo consilio populum vana alacritate & spe falsa erigebant. At quid dixi ignorabant? cum acrem illam oppugnationem in diem Iouis conferrent, quo die nostri armis exuti, & sub iugum missi erant. Reliqua erant multo atrociora, cum alij præfectos proditionis, alij primores vrbis malæ conscientiæ. plurimi magistratus ignauiæ, velut causam omnium malorum, accusarent: neque mihi quicquam à seditione, præter auctores,*

abesse

abesse videbatur. toto deinde triduo, ita incertis rumoribus, tota vrbe atrocissima & dicta & credita sunt, vt etiam referre mihi ipsi sit molestum. Caterùm quod ad amissionem ipsam pertinet, ego pro eo atque in talibus sum curiosus, à Germanis & Hispanis, qui ad nos reuersi sunt, diligenter & sedulò edoctus, rem omnem ita sese habere credo. Cum iam Turcas Budam appulisse constaret, omnes ciues Strigonienses deserto oppidulo, alij alio aufugêre, equites trecenti trans flumen in pacata abiere. Itali verò, qui sub Francisco Salamanca Hispano militabant, numero quidem sexcenti, sed inter quos vix quingenti, ætatem & animum haberent militarem, difficulter tandem persuasi, in arcem sunt ingressi: quæ res non mediocriter animos Turcarum auxit, cum neque oppidulum sine bombardis, quæ adhuc retro erant, vti aliqui putabant obtineri, neque sine illo arx obsideri potuisset: deinde si illinc aliquandiu vim repulissent, potuissent interea nostris secundo flumine plura auxilia submitti, neque classis nostra quæ ibi portum & firmam stationem habebat, Turcis concessisset. per hanc enim semper potuissent. præsidio obiacentis insulæ, sese in arcem tutò recipere. nostri ergo oppidulum, cuius nullam spem retinendi habebant, excusserunt & diruerunt. Turcæ aduentantes, in ruinis & vicinis locis, intra iactum vnius bombardæ tendebant, nullo nostrum impediente: ne si vlla subsidia in itinere essent, bombardarum sonitu percellerentur, auerterentúrque. Hoc enim Iuliano Salazario pro tessera dederant, se maioribus machinis ante aduentū classis Turcicæ non vsuros. Congrediebantur nihilominus quotidie leuibus prælijs, cum equitibus & lixis: qui, cùm nostri ociosè sese obsideri paterentur, incautius liberiúsque castra metabantur. Tertio demum die, circiter trecenti milites Germani, duabus onerarijs nauibus, vnà cum puluere, & reliquis ad obsidionem necessarijs sunt recepti. Id Turcæ obseruantes, etiam fluminis ripas, ne auxilia submitterentur, obsederunt. Erant igitur nostri iam omnes in vnum coacti, paulo plus minus mile trecenti, qui ne pro paucitate sua pluribus quàm opus erat, locis distinerentur, quædam velut arcis suburbia, excusserunt. Erant etiam cum nostris ferè quadraginta Heydones (sic appellant Hungari suos bubulcos, hominum genus ferox, rapinis & latrocinijs assuetum: qui quòd semper sub diu, niuibus & imbribus post armenta assueuerunt, optimi milites existimantur) hos præfectus arcis, paulò ante obsidionem trans flumen vsque Marusium, quod è regione Vuizigradi est, miserat. Vnde per notos tramites recurrerent, ac aduentum classis Turcicæ nunciarent: ne, si auxilia à nostris in itinere essent, errore tesseræ ab hostibus interciperentur. Verum illi, nescitur sanè dolóne an timore, aliò sunt auersi. Nostri cum iam nihil subsidij amplius sperarent, omnia extrema experiri statuerunt. Principiò Turcas, qui liberius, vti dixi, castra metati erant, bombardis & sclopis tanta iactura affecêre, vt tentoria & prius occupata loca, deserere ac retro cedere fuerint coacti. Quare ex longinquo vineas agere, aggeres & mo-

les iacere, operáque quæ ad bombardas necessaria, præparare, ac totum illum tractum orientalem, à mole siue castello aquaductuum vsque ad colliculum, quadraginta magnis bombardis æneis, ac munitioribus ferè trecentis, quatere cœperunt: & ne vllum nostris tempus respirandi daretur, ita sibi inuicem per vices succedebant, vt quæ modicè sparsim & crebris ictibus, à minoribus labefactabantur, ea maiores vno eodem tempore emissæ, funditùs conuellerent. Habebant etiam aliquot bombardas, quas à similitudine mortaria appellant: his multam ædificiorum ruinam & stragem ediderunt. Templum, quod etiam pro munimento erat, ita comminutum, vt fornix & tota moles corrueret: ac aream arcis, cui obiacebat, ita denudaret, vt eam planè sub conspectum hostium è colliculo proximo, quem diui Thomæ appellabant, daret. Alias præterea partes continuis diebus & noctibus ita concusserunt, vt non solùm propugnacula solo æquarent, illorumq; ruina fossam propè implerent, verùm etiam murum interiorem ita complanarent, vt nemo se ex vlla parte auderet ostendere: sed quo se ab ictibus tutarentur in vicinis locis, pars humi postrati, pars sub tabulatis quæ in muris hærebant, hostis ascensum expectabant. Interea dum nemo nostrorum in muris ab illa parte conspicitur, Zenitzari (quod genus militum Turcarum selectiss. maximamque virtutis opinionem habet) transuersis tramitibus contra montem, aut vineas agebant, aut sibi iter ad oppugnationem per fossas, quas trabibus & tabulatis, instratis storijs, contra saxa & ignes nostrorum cooperiebantur, præparabant, quo ad muris & penitus sub ipsa munimenta subierunt. Hinc contis, marrhis & roncis nostrorum pluteos, & iam recens in locum diruti muri extructa opera reuellebant, terrámque velut subter furabantur. Cùm hoc modo per dies aliquot, hostes se & ea quæ ad oppugnationem necessaria præparassent, octauo Idus Augusti ante exortum solis, signum oppugnaturis datur, concurritur vndiquaque: alij per anfractus & secretò extructos tramites: alij, quia nostros multitudine opprimere posse sperabant, etiā apertis vijs & plenis cāpis, magno (qui mos est gentis) vlulatu et truci clamore omnia complentes, accurrerunt, summisque viribus quisque pro se primus inuadere nitebatur. Adsunt spectatores & hortatores duces, quibus quisq; suam virtutem quàm testatissimā volebat esse. nostri contrà se omni genere telorū defendere, neq; vllum in tanta multitudine, etiā temerè iactum, irritū cadere, sclopis iaculari, hastis, cōtis de loco protrudere. Erat nostris præparata magna vis globorum, ex pice, sulphure & puluere tormentario, quem ignem artificialem milites appellant: hoc genere teli immensa vis hostium interfecta & consumpta est. quicquid enim vel solo attactu corripuerit, ad viuū planè amburit: ac si quis à se decutiat, ipsa agitatione magis accensam pestē in proximum reijcit, contagioneq; corrumpit. & est hoc malū Turcis multo formidabilius quàm alijs, quòd pauci galeis, plerīq; lineis in capite tegminibus vtātur. mulieres etiā & pueri, pro defensione malleis & vectibus saxa sepulchrorum reuellere, ac trans murum in hostes, e superiori loco deorsum

per

per decliuia montis proijcere: hi pro salute, illi pro victoria cuncta conari. Hoc pacto summo ardore, octo totas horas, cum interea ab hostibus septies fessis recentes submitterentur, contra nostros, qui pro paucitate sua, corona & in orbem propè pugnabant, certabatur. tandem hostes, vt conatum suum irritum esse vident, suos cum maximo damno à muris receperunt: nostri verò victoria recreati, vt ex captiuis rescirent, quāta copia, & an ne ipse Solymannus in castris esset, per castellum aquaeductuum eruperunt. hoc loco ipsa nouitate audacia hosti terrorem incutientes, alios ad naues, alios aliò fugarunt: reliqui deinde de muris, bombardis, sclopis & saxis insecuti, per decliuia montis in pracipitia deturbarunt, creduntúrque in sola ea fuga propè quingenti perijsse. prater hac, copiarum naualium, qua eodem pars oppugnatum venerant, pars bombardas in insulam detulerant, multi casi, & XIII. celoces submersa: neque magni negotij fuisset, earum pluribus potiri, si nostri pro paucitate sua, longius insequi fuissent ausi. ita tamen hoc die varijs in locis pugnatum est, vt tria millia hostium occubuisse crederentur, prater sauciorum infinitam multitudinem: quos noctu in castra, cum nostri pugnam extra munimenta committere non audebant, camelis & equis reuexère. nostrorum verò tam ex pugna quàm incendio, propè ducenti vel vulnerati, vel occisi. in medio nanque feruore pugna nescitur dolo an casu ab hostibus iniecto igne, conflagrauit turris vna, vbi multum pulueris, picis & aliarum rerum velut condo reposuerant. Sed neque hoc labefactabat eorum animos, quin postea quam iam paululum laxamenti ad respirandum, corporáque curanda datum esset, intus collapsa repararent, instauraréntque: tacita tamen quadam indignatio, mixta suspicione & metu, animos occuparat, quòd paucis antè diebus adolescens quidam, qui iam primùm arma gestare incipiebat, ex Taurinis, non adeò magna experientia in re militari: post hunc verò Italus quidam senex, cui inter milites nomen erat Presbyter, Italicè el misser, natione Calabêr, vir spectata fortitudinis, & de cuius fide nemo vnquam dubitasset, transfugerunt. senis huius consilio milites credere, priores cuniculos institutos, & turrim illam incensam fuisse. erat tamen omnibus vna sententia, extrema experiundi. Sub noctem huius diei, ac postridie quo pugnatum fuit, Turca rursus velut de nouo iaculari: ea omnia qua inter oppugnandum obstetisse visa erant, petere. ex insula etiam molem illam siue castellum aquaeductuum, summis viribus oppugnabant: idq́; adeò erat, quod fama ad nos retulerat, bombardas secundo flumine rursus ablegari. nostri illo die castellum fortiter defenderunt, ita tamen vt mandatum esset, quòd agri, infirmi, & mulieres se in superiorem arcem reciperent: ne, si rursus pari pertinacia oppugnatum hostes venirent, aliquid periculi ex illorum tarditate acciperetur. Tertio deinde ab hac oppugnatione die, qua erat, vti antè dixi, quinto Idus Augusti, cùm vndiquaque iaculationes fierent, hostes iam sub ipso muro tutò starent (quòd nullis propugnaculis collateralibus arx extructa

esset) neque iam quicquam auxilij sperarent, multum de animi fortitudine ferociaq́; pristina remiserunt. omnibus tamen propositum erat, pugnando potius mori, quàm indignis conditionibus locum deserere. Cùm hoc statu rerum castellum aquæductuum acerrimè oppugnaretur, alijs vel magnitudine periculi torpentibus, vel desperatione rerum omnium mortem pro alleuiatione expectantibus, Italus quidam Cisenas agri Romani, quem sui commilitones presbyterum à massa appellabant, vexillifer cohortis quæ sub Ioanne Baptista Marsso stipendia faciebat: cum videret suos in tam arctum cogi, vt munimenta contis subtraherentur, & sentiret omnia vndiquaque cuniculis peti, ratus totam arcem suffossam esse, commilitonibus suis, nescio sanè an fraude, an quia aliter nostris consuli posse non putabat, edixit, vt à iaculatione cessarent, ipse duobus comitatus, de muro se in castra hostium demisit. perductus ad proximum Bassam, petijt vt deditionem omnium nomine, saluis rebus & armis facere, deq́; ea publica fide pacisci liceret. Qua conditione data & accepta, duobus Turcis comitatus, in arcem redit: & Francisco Salamancæ suo præfecto, Turcæ mandata, & quæ cum illo egisset, exponit. Quæ omnia quanquam perfidè fortaßis ab ipso vexillifero acta non sint, sed cum locum retineri posse diffideret, atque tot fortium virorum interitum absque vlla vtilitate, videre nollet, sua sponte prodijsset, idq́; egisset, quod necesitas cogebat: tamen cum ea inconsultis reliquis tractasset, non desunt qui Salamancam reprehendunt, cur non statim, quòd nemo iniussu ducis de præsidio exire, neque de priuata, aut communi salute, nisi imperio ducis aut consensu omnium statui debeat, ad stabiliendam disciplinam militarem, exempla in eum ediderit. Dum iam cum duobus Turcis agitur, interea per totos muros torpor quidam mixtus pauore omnium mentes inuaserat. Lascanus (quem iam post hoc infortunium calumniantur nomen familiæ, quam ex matre solum attingit, assumpsisse, ex domo Moricarum aliàs prognatus) tametsi saucius, alia tamen alijs in locis procurabat: & cum veteranis, quos varijs locis dispertiuerat, colloqui studebat. vt cum sciret omnibus mortem chariorem, quàm vlla conditione locum deserere, cui diu assueuerant, & vbi fortunas omnes habebant (multi nanque erant, qui hanc alteram Turcarum obsidionem pertulerant) per illos posset alios animatiores reddere. sed cum plerique militum animos deiecissent, neque ipse neque Salamanca quidquam salubris monere potuerunt. metuebant enim, ne si quicquam in vexilliferum statuissent, reliquos omnes Italos in se concitarent: præsertim cùm nescirent, quàm latè hoc malum serperet, & salutem singulorum, in concordia vniuersorum positam viderent. Nihilo tamen minus, ex altera parte Turcæ ab oppugnatione inferioris castelli cessabant. Accurrit igitur eo nescio quis, qui & nostris & Turcis, silentio facto, cessationem ab armis indicit: clamitans, illa esse contra iam pactas conditiones, & datam fidem. Nostri, qui adhuc incolumes supererant, se in superiorem arcem, vti iußi erant, recipiebant.

Turcæ

Turcæ, nulla pacta curantes, quaſi victis noſtris, caſtellum inuadunt. Quæ res obſeſsis non multo arctiorem obſidionem, ſed deſperationem auxiliorum, ſubſidiorúmque adferebat. diſtento tamen hic hoſte, Salamanca de conſenſu aliorum, de præſidio egreſſus, ad Turcam eſt adductus, vbi quid aliud actum ſit, neque ſciebant noſtri milites, qui reuerſi ſunt, neque aliud fama ferebat. Cæterum cùm prohibitus ab hoſtibus in arcem redire, apud eos in caſtris pernoctaſſet, poſtridie, qui erat dies Iouis, quarto Idus Augusti, miſit diploma Turcicum, quo pacta illa ſuperiora, ac obſeſsis liber abitus, cum rebus omnibus & armis, permittebatur. Iuſſus eſt etiam Laſcanus, ad Turcam claues arcis deferre. concurritur itaque ac cuſtodijs muríſque relictis, diſpicit vnuſquiſque, quid potiſsimùm inter multa impedimenta ſecum auferret. Erant præterea multa illic à mercatoribus, exercitus noſtros ſuperioribus annis in Hungariam ſecutis, depoſita: quæ primùm noſtris, deinde Turcis, in prædam conceſſere. Dum igitur omnia per arcem conuaſantur, ac ſeſe agmen velut ad profectionem componit. Turcæ vndiquaque ad diripiendum, munitiones ſuperantes, noſtros circumſtetere: qui mœſti in terram demiſſo vultu, ſibi mutuò valedicebant, modo arma, quæ mox traditurí erant, modò loca quæ relicturi, extremum aſpiciebant: neque amplius vllam vitæ ſuæ, aut honeſtæ mortis conditionem expectabant. occurrebant animis exempla Socloſiæ & Vualpo, quantum pactis huiuſmodi credere deberent. Sperabant tamen adhuc, neque diffidebant, quin cum primi in eos non irruiſſent, etiam in reliquis fides ſeruaretur. Vbi verò adſunt, qui iubent ſclopos, haſtas & bipennes, in proximam foſſam, qua noſtri contrarium cuniculum inſtituerant, abijcere: omnium vultus non aliter, quàm ad præſentem mortem, mutabantur. Cùm verò portam egreſsis alij adſunt, qui gladios adimunt: poſtremò vbi in vicum peruentum eſt, cætera illis arma, galeas, caſsides, thoraces, & quod ſupererat detrahunt: nullum vulgare genus mortis, ſed exquiſitæ cuiuſdam crudelitatis expectabant. Attamen tandem cum diu ſecum Solymannus deliberaſſet, præter omnium opinionem, ac ſuam conſuetudinem, vt ſcilicet fama clementiæ alijs præſidijs pari modo potiretur, vitam illis incolumem ſeruare decreuit: ſed priuſquam dimitteret, ad ludibrium nominis Chriſtiani, omnium iniurijs contumelijsq́; expoſitos poſtridie nudos & inermes turmatim, rurſus in arcem, additis Turcis, qui fuſtibus latera detunderent, imbelliamq́; exprobrarent, ad cadauera ſepelienda, foſſas rurſus curandas, ruderáque mœnibus decuſſa, in arcem referenda, deniq́; omnia purganda, duxit & reduxit. Poſtremò, per interpretem interrogauit ecqui ſecum militare, præmia, equos, & arma accipere vellent? quam conditionē non pauci acceperunt, metu fortaſsis mortis non aliter euadendæ: alij ne nimis quidem ad hoc, neque terrore mortis adduci potuerunt. quorum nonnulli, dum pertinaciùs renuunt, interfecti: pars non ſine noua iniuria, trans flumen vecti. horum alijs vxores abductæ, alijs coràm per vim ſtupratæ: alijs qui vim violentiùs fere-

 bant,

bant, in fluuium abiectæ & submersæ. pueruli etiam, quorum ætas iniuriæ adhuc obnoxia non erat, neque alias idonea vt inter Zenitzaros tyrones describerentur, in flumen præcipitati. Vidi ego hic vnam mulierem, cui cum tricis etiam crines euulserunt, dum se in Danubium deiecit, ac singulari in maritum fide & amore adnauem adnatauit. Postquam traiecisset miserabile & inerme agmen Germani, Hispani & Itali permixti, laboribus, fame, vigilijs, itinere & suspirijs consumpti, Schindam proficiscebantur. Vbi autem res hæc vti gesta erat, clariùs Viennæ rescita est, indignatio & metus simul omnium corda cogitationésque occupauere. alij negabant tectis aut mœnibus recipiendos, tam imbelles, siue infidos socios: alij etiam laudabant, quòd se melioribus temporibus, cum suam mortem nulli vtilem fore cognoscerent, conseruassent, præsertim cùm tam pauci, tam amplo castello tutando, contra tam potentem hostem impares fuissent. Vtut sit, ipsi Duces, cum reliquias semilaceri exercitus Posonium vsque deduxissent, in vincula, facti sui rationem reddituri, sunt coniecti. Turca hac victoria lætus, ad Comaronem vsque processit: ac castellum Thata, quod è regione est, in suam potestatem etiam deditione redegit. Dicebatur quidem hic facta proditio: cumque Cancellarius regius mihi dixisset, se rem omnem vti gesta erat, narraturum, quia eadem nocte eius vxor obijt, nolui ad mœrorem molestias addere. Cæterùm Turca eam demolitus, retro iter Albam regalem flexit: quòd sibi ad nos, propter paludes circa Altemburgum, esset iter minus expeditum. Illa etiam fama indies magis magísque confirmatur, quòd parte copiarum Albam, reliquo exercitu nos sit oppugnaturus: quæ qualia erunt, si ante obsidionem alias literas mittere potero, curabo ne ignoretis. Rex iam ex Bohemia versus Morauiam mouet: quanto autem exercitu, & quibus copijs, adhuc ignoramus. Nos hic sedulò vrbem munimus: in quo Leonardus à Felz, Regius legatus, omnem operam industriámque diligenter nauat. Valete, Viennæ: octauo Calend. Septemb.

IOAN. MARTINVS STELLA GVLIELMO ET Michaëli fratribus.

VVlgò dicunt, mala nuncia semper satis maturè nunciari: adeò vt non debeam vereri, ne vobis videor tardior aut negligentior, dum curiosè studeo, vt quæcunque hic aguntur vel dicuntur, quàm verissimè referre: præsertim cum nihil tale nuntiare possim, vbi debeam metuere, ne vos alius gaudio præoccupet. Ego tamen in alia sum atque vulgus opinione, qui qualiacunque sint, quàm primum cupiam rescire: vt si bona, tanto gaudeam diutius: sin mala, possim maturius prospicere, méque aduersus ea præmunire. Vt igitur intelligatis, quàm nulla hic sit à malis respiratio, alleuiatióque miseriarum, statui vobis ea scribere, quæ hactenus post fœdam illam Strigonij amissionem successere. Inter dedendum itaque & tradenda arma, cum nostrorum militum sclopi in lo-

cum vnum coniicerentur, temerè factum est, vt funes fomentarij, quibus ignem seruant, & lagenulæ sclopetariorum eodem congererentur. sic malè extinctus ignis, in comminutam fortè ipso casu thecam incidens, omnem vicinam sulphuream materiam corripuit: vt ea res Turcis multis exitio, nostris summo pauori fuerit. Cum igitur pars nostrorum portis emissa, pars adhuc incomposito staret agmine: plurimi, metu ne casus huiusmodi aßignaretur illorum culpæ, quo præsentem mortem euaderent, inter tumultuandum alius aliò per arcem diffugêre. Horum nonnulli hîs diebus postliminio reuersi, vnà cum Hispanis aliquot, qui quarto ab hinc anno in sinu Patrensi apud Prauisam, vti dicebant, fuerant intercepti: inter quos erat nobilis quidam filius N. Figaroæ, qui tam liberaliter seruierat, vt patrem, cum quo captus fuerat, singulari pietatis exemplo, seruitio liberârit. Ex his sanè intellectum est, quanta peritia esset rei militaris apud hostes, & quàm longè nos & scientia & patientia, laborúmque tolerantia, superarent. Ne enim referam, quibus artibus, & qua fortitudine arcem munitißimam, intra XVIII. *dies, quam nostri vix intra annum expugnari posse sperabant, obtinuerint, cuniculísque in loca arcis etiam nostris incognita peruenerint, ea solùm quæ subsecuta sunt, describam. Cum igitur spe sua & omnium opinione celerius, loco munitißimo potiti essent, non cessandum rati, sed victoria pro instrumento ad debellationem vicinorum vsi, ad Tatha & loca circa Comaronem exercitum duxere. Erat Tatha præsidium nostrorum satis firmum, partim Germanorum, partim Italorum. Italis praerat Annibal Tasso Bononiensis, ductor cohortis, quæ sub nobili adolescente N. Goniadino, equite Bononiense militabat: Cui Philippus Tornellius hunc honorem tribuerat, propter egregium virtutis specimen, editum superiori anno in oppugnatione Pesthi. Erat autem Annibal cætera quidem vir multa experientia in rebus bellicis, sed vita corruptißima, & in Deum ac diuos omnes blasphemus maximus. Ne illa tamen dicam, nostri non expectata oppugnatione, hostibus arcem tradidere: qua fide, quibusue conditionibus, nondum potui intelligere. quam tamen fortiter, hinc scire potest, quòd eum Torniellius supplicio capitis affecerit. Turcæ demoliti arcem, retrò iter flectentes Albam obsederunt: quæ ideo cognomen Regalis habet, quòd ibi Reges Hungariæ inaugurari & sepulchris condi solent. Ego Albæ nunquam fui, eius tamen situs mihi talis describitur. Vrbecula ipsa exigua, vndequaque cincta altißima & latißima palude, præter vnam atque alteram, aut ad summum tres vias: quæ per eminentiores vel natura vel opere excitatos aggeres, in oppidum ducebant, per has solas facultates dabatur oppugnandi: & erant hæ viæ quàm ipsa vrbs, ædificijs frequentiores. nostri, quæ sibi obfutura opinati erant, prius fuerant demoliti. vnum suburbium operibus, de ipso oppidulo parum soliciti, foßis & vallo validißimè munierant. erat adhuc eo loco monasterium quoddam, cuius templum & turrim pro arce in ipsis munimẽtis constituerãt. Vnde hostib. multa incomoda,*

Annibal Tasso Bononiensis.

Albæ descriptio.

magnamq;

magnámque cladem intulerunt. Principio obsidionis simulabant se extra has munitiones ædiculam quandam sacram, velut frontem retinere velle: eam Turca non ignari quantum sibi allatura esset utilitatis, summis viribus oppugnabant. nostri quasi inuiti locum deserentes, diu restitere: & tandem tanquam frustra repugnassent, sé ad suos recepere. Hunc hostes velut cuneum habituri, contra nostros etiam munire, & bombardas eò adducere cœperunt. Interim ignis sub materia ac alijs velut temerè desertis, subitò accensus, & ædem illam sacram discußit, & hostes multa clade malè mulctauit. Nostri in hanc occasionem intenti erumpentes, omnia longè latéque turbauere: & post multa damna illata, victores in oppidum rediere. ceciderunt in pugna illa tumultuaria multi nobiles ex Turcis, ac inter eos maximæ existimationis Bassa quidam eunuchus. captus etiam est unus ex bombardarijs, ut verbo militari utar, quos Rex Galliæ illi transmisisse dicebatur. Verùm hostes nihil eò animis remißiores, omnia quæ ad obtinendum locum opportuna putabant, administrare: contra illud monasterium, quod dixi, etiam ipsi altam molem, lignis & terra congerere: pontonibus & tabulatis, per paludes iter instituere. Erat vicinum nemus quoddam: hinc sexcentis quotidie curribus, tantum cæsæ materiæ conuehere, ut paludem, quam nostri hactenus nisi hyemis rigore duratam, inuiam & insuperabilem putauerunt, minori spacio quàm duodecim dierum, plurimis locis sibi peruiam effecerint. Hinc effoßis transuersim semitis, ad fossas sub ipsum vallum accesserunt. cúmque iniecta terra & materia, sibi ad nostras munitiones iter strauissent, quater conati sunt, si per vim irrumpere & locum expugnare possent. verùm & opportunitate operum, & nostris fortißimè contrà resistentibus, cum conatus suos supra vires esse vident, intermisere. Erat enim inter alios cum nostris Octauianus Scruzatus Mediolanensis, vir valde industrius, qui breui tempore ex terra & lignis, commodißima à lateribus propugnacula, quibus hostium adscensus impediretur, excitarat. Turca volebat excitata alia in contrarium mole, multo quàm nostra erant altiori, istas defensiones nostris adimere: sed neque sic efficere potuit, ut munitiones desererentur. Talis erat rerum status usque ad Calend. Septembr. Postridie verò cum dies sereno & claro sole illuxisset, repente excitata (ut hîc vulgus fert, arte magica, ut mihi verò videtur, naturalis, utpote loco palustri, & ubi magna hominum pecudúmque multitudo in angustum coacta erat) nebula & densa caligo, omnia circa urbem occupauerat, cum alijs locis mira serenitate sol fulgeret. hostes hanc occasionem non negligentes, quam occultißimè possunt, per vineas & opera sua, ad nostras munitiones accedunt: ac propè priusquàm ad arma conclamaretur, in propugnaculum quod milites Germani seruabant, euadunt. oritur, ut in re inopinata & perdita, miserrimus clamor: concurritur, undiquaque crudißima pugna, qualis in externis fieri solet, committitur. hi pro obtinendo loco, in quo omnem victoriæ spem: illi pro defendendo, in quo suam vitam & incolumitatem positam videbant, omnibus & extremis viribus contendebant. Sed superatis nostris, & multitudine & virtute hostium impetum

petum

petum diutius sustinere nequiuerunt. alij etiam, qui lõgius ab ipso periculo aberant, minus pertinaciter (vti fit, vbi adhuc alia refugia superesse putantur) succurrebant, & quomodo se in interiorem vrbem reciperent, dispiciebant. Ab his igitur fugæ initio facto, etiam reliquos secum traxerunt, & hostibus faciliorem expugnationem, victoriamq́; minus cruentam præbuerunt. Erat ingressus in vrbem angusto inter paludes aggere, in quo ostium ex clathris instar rastri, modico ante portam interuallo, pro obice obiectum, & tunc nescio an alicuius imperio, an temerè obclusum erat. Nostri igitur ex vtraq; aggeris parte se in aquam deiecere. quorum multi alto cœno & aquis, sese mutuò demergentes, absorpti: multi, in hac turba & angustijs, ab hostibus à tergo, cum nemo ad resistendum vel vires vel animum haberet, concisi, pauci vado aut natando in vrbem recepti. Neque tamen ibi sese res aut melius aut sanius habebant. occupatis nanque præsenti periculo & terrore omnium animis, nihil videri vel audiri potuit, quod in medium pro communi salute consuleretur. Amissis enim ducibus, qui omnes, ac fortissimus quisque, ceciderant: è Germanis Erasmus Vuitzenberger, iuuenis omnibus liberalibus artibus ornatissimè institutus, & de quo magna spes virtutis habebatur: ab Italis, Scruzatus, Ioannes Dominicus Torniellius, Carolus Secius Mediolanenses, & Oscasallus Cremonensis: his inquam occisis, nemo erat qui vel multitudini imperare, vel alteri commodè parere sciret. nihil tamen æquè ciues deiecit, atque mors ipsius præfecti Georgij Barchoth, viri integerrimi, & qui regiæ corporis custodiæ multis annis fidelissimè præfuisset. In hunc Turcæ etiam mortuum, suum odium & sæuitiam exercuere: amputatum caput, & dextrum brachium, in fortunæ contumeliam, pro spectaculo circumtulerunt. Varij igitur intra vrbem motus animorum: alijs sese dedere, alijs potius omnia tentare, ac vim vlterius repellere volentibus. tandem magistratus ciuium, vt quorum post hanc cladem maior procul dubio, quàm militum, & numerus & auctoritas erat, maluerant paciscendo clementiam victoris, quàm irati hostis immanitatem experiri. Iudex igitur eodem die ad hostes egressus, deditionem omnium nomine, retentâ rerum suarum vniuscuiusque cum libertate pristina possessione, paciscitur. milites etiam quocunque vellent, liberè profecturi, ex oppido ademptis armis dimittuntur: qui ex quatuor vexillis nominis Italici, & mille Germanis, (Heydones enim, quorum ab initio numerus supra millenarium fuerat, peritia locorum freti, alij alio, nullius expectato imperio sibi per paludes consuluerunt) ad trecentos redacti, ex equitatu satis copioso vix ducenti supererant. his ex itinere Tartari, spe prædæ insidiati, totum agmen turbauere: ita vt quisque quà sibi commodissimè poterat, fuga per paludes & syluas, salutem quærere cogeretur: qui ignari locorum & viæ, vel inedia in solitudine, vel ab ipsis Hungaris interfecti, plerique perire: pauci ad nos nudi, inermes, tetri, squalidi, vmbræ potius quàm homines, ac solùm non confecti fame, rediere. Turca principiò velut clementer cum deditis acturus, in vrbem admissus, sepulchra regum visitâ-

f uit:

uit. proponit deinde edictum, ne quid durius de se timeatur. non enim Hungaros debellatum, sed à seruitute Germanorum venisse liberatum, quo posset regnum vero regi, legitimóque hæredi, Stephano scilicet filio regis Ioannis, pacatum & integrum restituere. Tribus deinde vel quatuor interiectis diebus principes ciues, velut solenne ab ijs fidei iuramentum accepturus, in campum non procul ab oppido, quò corpora damnatorum deferri solent, euocauit. Quò cum omnes, quàm poterant ornatissimè, velut ad solenne festum instructi, conuenissent: Turca nullius pacti aut conuentionis religione motus, ad vnum omnes interfecit. Hunc exitum habuit præclara illa & nobilissima totius regni ciuitas, omnísque Germaniæ velut alumna, & villa pecuaria: certè multo minoribus impensis potuisset seruari, quàm vnquam poterit recuperari, nisi à nobis omnia adhuc imparatiora fuissent. Interea verò temporis dum adhuc circa obsidionem hærebat, quo vicinorum animos ab omni cogitatione subsidij mittendi auerteret, equitatum Tartarorum, cuius aliàs inter obsidendum modicus vsus erat, ad populandum proxima loca dimittit. hi studio rapiendi incautius vagantes, ab Hungaris circumuenti, amissis suorum plus minus tribus millibus, malè mulctati, in castra rediere. fuit insignis in hoc certamine, opera comitis Nicolai Tzrinij Croaci, qui cum principibus aliquot Hungariæ, Nicolao scilicet Kadouuith, duobus Bartholemæis Horuuath, Emerico Vuerbecio, & Andrea Bathori, viris olim summæ inter Hungaros potentiæ & nobilitatus, pro patria recuperatione, omnes o fortunæ casus subeundi, fœdus percusserat. Cæterùm vulnus ipsius Nicolai obstetisse dicitur, quo minus nobilem de se victoriam Tartari præberent. Conuertit hoc loco omnium oculos in se, captiui vnius tetra & immanis barbaries, cui in pera annotina dimidia pars infantis bimuli adhuc de obsonio, nondum commesta supererat. Alio loco æquè infeliciter Franciscus Capolnaij, dum hostium excursiones, agrorumq; vastationes, septingentis equitibus prohibere conatur, cum pluribus congressus, vnà cum equo in terram collapsus, indignè, & summo multorũ, propter egregiã virtutem, mœrore est interfectus. Turcæ hac victoria læti, castra versus Comaronem mouisse creduntur. est in itinere arx quædam Pappa, vbi noster equitatus se antea continebat: hanc, nunc vel expugnarunt, vel certè oppugnabunt. Ego superiorib. literis meis vobis situm Comaronis descripsi. Nos ibi in præsidio habemus reliquias Italorum, quos Philippus Tornellus adduxerat: qui interea nihil omisit quod ad loci munitionem, vlla ratione facere posset. Misimus etiã suppetias, reliquias scilicet Germanorum, qui à clade Strigoniensi in vnum colligi potuerunt. Nam Italos exauthoratos, vti intellexisti, & stipendio frustratos, nisi quòd singulis aureum pro viatico numerarint, quo vellent, abire permiserunt. Illos verò eò meliores milites fore sumus arbitrati, quo minus clementiæ ab hoste, contra quem iã secundò arma ferunt, sperare possunt. Hæc ferè hactenus in Hũgaria gesta sunt: contra quæ à nobis nescio sanè quàm salutaria, certè sera præsidia comparantur. Rex nondum exercitum in vnum locum contraxit: neq; quãdo huc

sit ventu-

sit venturus, certò scimus. Circa hanc vrbem habemus militum Germanorum ferè septem milia, Italorum quatuor: quos Pont. Max. ductu Ioannis Baptistæ Sabelli, nobis subsidio misit. Et quanquam sit vir ille summa integritate & iusticia, vt qui vnum è suis militibus propter furtum duorum panum, vnà cum ipsis panibus, ad exemplum, suspenderit: tamen nescio quo modo illis & nostris adeò malè conueniat. Alij Strigonij proditionem, alij illis cum Turcis omnia conuenire, criminantur. Hoc sanè hic pro certorumoribus relatum est, cum Caradinus Aenobarbus, siue Barbarossa, obsessurus Niceam, Massiliensium Hostiam prœternauigaret, quòd neque pontificios læserit, neque suos rursus: ab illis aut læsos aut malè habitos, sed commeatu adiutos fuisse. Verùm enimuero quoquo modo ista sint: Pontificij sibi pacem, cum essent ad resistendum imparatiores, redemerint: mihi tamen nondum de Pontifice suspicio incidere potuit tanta, vt eum de repub. Christiana malè sentire credam. Extant etiam vetera exempla, tam Periclis apud Athenienses, quàm Fabij Maximi apud Romanos: quorum agri ab hostibus intacti, quo illis apud suos suspicionem crearent, relinquebantur. Quid enim aliud credam, quàm hæc hostium consilio gesta esse, quo maiorem inter nos seditionem concitarent? Principum tamen consilio & authoritate temperatur, ne odium in apertam seditionem erumpat. Quod haud scio an difficillimum sit, eorum quæ toto hoc bello videre potui. nam reliqua fortassis, æquioribus animis Germani paterentur. Illud verò indignè eos ac sanè malè habet, quòd nullius pudicitiam ab illorum libidine satis tutam arbitrantur. Ecce enim, quid nudiusquartus hic sit actum. Redibat fortè ciuis quidam ex vicina villa: sequebatur famula canistro portans nuces. Socij aliquot nauales, quorum ferè trecentis in illo suburbio hospitia assignata sunt, satis lasciuè à puella nuces extorserunt. ea ad vim inclamabat herum: qui credens virginis pudicitiam attentari, ciuibus suis & militibus, qui ad portam in statione erant, ad vim arcendam acclamat. Adsunt & Itali, ac suis è propinquo subueniunt. Quid dicam? multis hinc atque inde concurrentibus, atrox prælium committitur, saxis, hastis, gladijs & sclopis res geritur. multi vtrinque vulnerantur. tandem socij nauales multitudine superati, (ex tota enim vrbe eò accurrebatur) tribus aut quatuor occisis, plurimis vulneratis, retrocessere: neque fuisset dies illa sine magna transacta calamitate, nisi nox pugnam diremisset. Iam enim Itali suos trans flumen, intra vnum miliare castrametatos, ad opem ferendam accersebant. Hinc vides, quo statu & conditione rerum hic viuatur. sanè ni superi nos respiciant, metuo quem exitum tam multæ calamitates sint habituræ. Spero tamen, quòd in nos benigniores erunt, quàm ipsi promereamur.

Vale, Viennæ: sexto Idus Sept.

M. D. XLIII.

IOAN. MARTINVS STELLA GVLIELMO ET Michaëli fratribus, S.

ETsi vos mihi fratres credere certò sciã, inter has molestias peregrinationis, nihil mihi grauius accidere potuisse, quàm quòd vos mei videndi desiderio valde angi scriberetis: tamen in maximo amore & pietate erga vos, alia omnia tolerabiliora fuerunt: hoc certè tenerius tuli, quòd superioribus mensibus, tunc cum maximè cuperem, propter caussam captiuorum Lascani & Salamancæ, quorum (ne indicta caussa captiui detinerentur, cõdemnarentúrue) etiam ego patrocinium mandato regio suscipere cogebar, venire non possem. Quare etiam nunc, cum in caussa ita à nobis pro illorum innocentia laboratum sit, vt procuratores fisci, quartum iã mensem nihil porrò agãt, neq; contra nos (vti loquimur) triplicent, impetrato publicè cõmeatu, vt vos viderẽ, itineri me accinxi. Veni itaq; Spiram pridie Nonas Maij. Vbi certè cùm ab omnibus fuissem humanissimè exceptus, tũ meam ipsius expectationem superauit humanitas patroni, domini Granuellani, & filij eius Episcopi Atrebatensis. De literis verò, non est quòd sitis solliciti: saluæ sunt apud me omnes. Et quanquam cuncta à me vobis commodiùs coràm narrari quàm scribi potuerant, tamen cum nescirem, quando hi me dimissuri essent, nolui tempus hoc sine scriptione aliqua ad vos, transigere. Mitto igitur expugnationem Albæ Regalis, quam requirebatis. De reliquis verò anni illius gestis, in hunc vsq; diem, breuiter ita habete. Dum
Expugnatio Albæ. *Turcæ Albam expugnant, iam nostræ copiæ circa Posonium conuenerunt: erant ex peditum Germanorum* VIII. *millium: Italorum quatuor, qui circa Viennam retenti fuerant, vt subitò in vrbem, si hostis eam tentare voluisset, reciperentur. Bohemorum & Morauorum erant circiter* XX. *millia. quibus accedebat ordinarius equitatus Hungarorum, cum Austriacis: quorum ego numerum vix puto octo millia excessisse. Cum his copijs Rex Posonij ex vtraq; parte Danubij castrametatus, triduum in construendo trans fluuium ponte consumpsit. Erat illius pontis eadem, atq; secundo suprà proximo anno, ad obsidionem Pesthi, vsi fueramus. Vehebantur singulis carris singulæ scaphæ, cum binis pontonibus ex trabibus & tabulatis. Principio ergo, scaphæ in aquam demittebantur. Hæ anchoris & rudentibus ex superiori loco, contra vim fluminis reuinctæ, & inter se arctissimis vinculis colligatæ, pontonibus insternebantur. Quod opus certè valde solidum erat, & satis latum, qua pedites quini, equites terni, sine offensione per transirent: adeò vt tantus fluuius à maximo exercitu, intra vnum diem trajci potuerit. Cum ita instructa & parata omnia essent à parte nostra, neque difficile plerisque videretur, quin eodem anno, non solùm Alba, sed etiam Strigonium recuperari potuissent: insuper etiam pro certo ad nos allatum esset, Solymanum dimisso exercitu retrocessisse: sciremúsque exercitum hostium semel solutum, quoniam non voluntarijs, sed plerisque coactis constaret, difficulter ad officium reuocari potuisse: vide quæ malignitas tempestatis & auræ fuerit, adeò vt ipsi superi nostrum progressum impediuisse videri possent. tanti imbres continuis diebus de cælo*

lapsi

lapſi ſunt, vt vix locus editior metandis caſtris ibidem reperiri potuerit. fuit ea ventorum & procellarum vis, vt nec tabernacula erigi, nec ignes in caſtris potuerint excitari. Hæc ſanè cauſam præbuerunt, vt Bohemi, qui ſe ſolum ſuos fines tutari velle dixerant, difficulter mouerentur. metuebant enim, ne ſi ſemel pontem tranſiſſent, illo interrupto, quo nollent, inuiti ducerentur. Populariter ergo Regem adeunt: orant ne ſumma hyeme, inuitis ſuperis in hoſtem pergat ducere: ſeſe primo vere omnes præſto adfuturos, quocunque etiam mouere vellet. Rex itaque partim illorum voluntatem, partim neceſſitatem ſecutus, quòd videret ſub dio & pellibus militem contineri non poſſe, exercitum dimiſit. Et cum iam ingentia fuiſſent frigora, vt multi noſtrorum militum, dum auſcultatorias ſiue ſentinellas, ſiue vt Germani eas vocant, ſcutarias vigilias obeunt, frigoribus obriguerint: tanta tamen poſt ſolutum exercitum ſecuta eſt ad aliquot hebdomadas aëris temperies, vt omnibus res admirationi fuerit. Rex igitur Viennam reuerſus, omni conſilio in curam ſequentis anni, quibus artibus & viribus bellum geri poſſet, intendere cœpit. Conuentus regni Hungariæ, alios Bohemiæ habere inſtituit. Ab Hungaris qui adhuc in officio erant, multa ſedulò promiſſa. Quin & frater Georgius Epiſcopus Vuaradinenſis, qui nomine puerili Stephani, filij Regis Ioannis, Proregem in Tranſiluania agit, pro magno habuit Caſparem Horuuath, de concordia, & neſcio qua ratione, qua non partibus, ſed ipſi regno conſuleretur, conuenire. Gaſpar etiam, quanquam eſſet valetudine propè deſperata, tamen omnia pro nihilo duxit, dum per intenſiſſima frigora, magnis itineribus, ad regem Pragam vſq; contendit, vt inclinanti fortunæ aliquid opis adferre poſſet. Quæ tamen omnia, qualia futura ſint, magis ex euentis, quàm conſilijs iudicabuntur. Fuit hæc hyems ſatis quieta, niſi Turcæ per concretum frigoribus fluuium traijcientes, noſtris plus terroris quàm periculi creaſſent. Erat præter hæc oppidulum quoddam Hungariæ, Regibus nihil tributi aut vectigalis pendere ſolitum, niſi quod ianitores aulæ regiæ ſuis ſtipendijs eſſe cogerentur. Iſti ſeſe frequenter Turcis dediderāt, etiam ſuperiorib. annis. Accolæ autē & vicini, vt viderunt illis ad hanc diem fidem ſeruatam, multi ad illos in tantis periculis commigrarunt, ita vt ex minimo oppidulo, vrbs fieret & frequens & populoſa. Hos Turcæ ab omni ſuſpicione remotos, circumuenientes, partim occiderunt, partim captiuos adduxerunt. Vnde ſtatim ad dubia etiamnum ſigna veris, circum omnia vagari, & cum à noſtris nullos obuios haberent, retro conuerſi à Vuizigrado, quod ex ſuperioribus literis inter Strigonium & Budam eſſe intellexiſtis, initium belli gerendi facere cœperunt. Arx hæc etiam duplex eſt, altera ad ripam Danubij, altera in editiſſima & inacceſſa rupe: ita tamen vt ſuperior, niſi ſiti premerentur obſeſſi, inferioris nihil indigeret. Hanc Turcæ iam aliquot dies, priuſquam ego Vienna exirem, obſederant. A noſtris hæc contrà præparabantur. Viennam per otium munire volebant, in quo pleraque eorum quæ ego de illius munitione ſcripſi, obſeruare decreuerant. Foſſas anno ſuperiore ita dilatare cœperant, vt in

imo fundo spacium pateret perticarum decem. Nunc duobus angulis, uno scilicet post monasterium Dominicanorum, altero post Franciscanorum, non procul à porta quæ extra arcem ducit, duo validissima propugnacula instituunt. Alio loco Leonardus à Felz equitatum nostrum ex præsidijs colligebat, ad obsidionem impediendam. De cuius conatu, uti huc rumoribus & literis est perlatum, fortuna ita indicauit. Turcæ multos dies Vuizigradum obsederant, ita tamen ut obsessis parum fuerit timendum propter loci naturam, priusquam tamen succurri posset, sic sunt ad extrema omnia redacti, ut constet uniuersum præsidium totos quatuor dies non bibisse: tandem itaq. siti coacti, sese dedidere, solam vitam & liberam abitionem pacti. Porrò Turcæ nullis pactis stantes, ad unum omnes, præter Petrum Amandum præsidij præfectum, interfecere. Bassa enim qui obsederat, eum sua manu multitudini subduxerat. Erat Petrus Amandus vir magno ingenio, & singularibus moribus, natura abstemius: quod illi causam excolendi ingenij, inter corruptos aliorum mores, fuisse credendum est. Hostes hac arce potiti sese accingere dicuntur, ut duorum Bassarum exercitibus, quæ quinquaginta millia hominum excedunt, priusquam nos parati simus, Comaronem oppugnatum veniant. Tormenta & bombardas Budæ ea gratia in naues imposuerunt. Comaronem ego alijs meis literis descripsi. sita enim est, ubi Danubius rursus coit, cum in se fluuiū Vagam accepit. Hanc nostri toto biennio muniuerunt, & fossas ita duxerunt, ut eam à continenti abscriderint. Propugnacula ex terra & lignis opportunissima duxerunt, quibus veterem arcem velut incluserunt. Cumq. munitiones has extrinsecus muro circundare vellent, atq. ad id operis fabros & qui lateres coquerent, ex superiori Austria coëgissent, quia semel ad arma conclamatum fuerat, homines insolentes talium turbarum in officio retineri nequiuerunt. ita opera illa adhuc solùm terrea sunt: circundata tamen, uti audiuistis, duobus fluuijs latissimis & altissimis, & fossa manuducta: loco tam opportuno & commodo, ut nisi illa retineri à nostris potuerit, nihil videam in illis regionibus munitionum, quod tam potenti hosti obijci possit. Deus optimus maximus à populo suo timorem auferat: & contra hostes nominis sui, fortitudinem tribuat, & virtutem. Valete, Speiræ: sexto Idus Maij. M.D.XLIIII.

Petrus Amandus.

DESCRIPTIO ET MVNITIONES ALTENBVRGI, ARCIS DOTALIS SERENISSIMAE REGINAE MARIAE, ETC.

Per Ioannem Martinum Stellam, missa ad amplissimos viros, N. N. &c.



Ongratularer mihi pro eo sanè atque deberem, amplissimi viri, quòd tantum in me iudicij contulistis, ut crederetis mea industria atque ingenio, aliquid roboris, ad munimenta veteris arcis, quam Germani Altemburg, Hungari Ouuar appellant, posse accedere: nisi ex altera parte me solicitudo

citudo maxima, difficultásque torqueret, opinionem, quam (vtinam ne fallacibus argumentis) de me concepistis, in tanta iudiciorum diuersitate, sustinendi. Cum tamen cogitem, neminem ad ea quæ præstari nequeunt, cogi posse: confisus de vestra beneuolentia & humanitate, conatum meum in meliorem partem acceptum iri, vt potero describam, quæ mihi ad munitionem arcis & vici pertinere videntur. Altemburgum igitur, siue Vetus arx, vti omnis nouistis, sita est ad ripam ramuli cuiusdam ex Danubio, vt illa à Septentrione, inter alueum fluminis & fossam arcis media, aggerem efficiat: è diuersa parte, scilicet meridionali, ita eam fluuius Litha hinc atque illinc propè alluit, vt insulam constituit. circundata præter fluuios istos fossa lata & tam profunda, vt fluuiorum altitudinem superet: ita vt nullum periculum sit, ne aquæ deriuari ac fossa exsiccari possint. Loco præterea tam necessario & opportuno, vt nulla alia per regiones illas via, ex Hungaria in Germaniam, nisi sub arcis conspectu, imò adeò sub ipsis portis, pateat, si quod iam à præfecto Stampa institutum est, via per paludes solis incolis & rusticis nota, præpediatur. cuius rei variæ rationes ab illo sunt excogitatæ. Principio præfodit solitas vias, ac pontes instituit, quos cum necesse erit deijciet, & tabulas secunda aqua apud arcem excipiet. Deinde sperat restagnatione fluminis Lithæ efficere, vt palus illa adeo inundetur, vt nusquam via pateat. quod & mihi videtur, si certis locis illa ipsa via crebris fossis incidatur. Nam de restagnatione quod dictum est, non tantam habet vim, quòd hostes, si loca aliàs plana & dura essent, multum impedirentur. Fluuius enim Litha postquam in plana illa è regione Altenburgi fluere cœpit, planè tardus efficitur, & velut dormitabundus incedit. Hinc vastæ illæ paludes & dubius cursus, quo se potissimùm loco Danubio insinuare velit. Scindit se igitur non procul ab ipsa arce, primùm in duos alueos: vnus ad arcem, etiam bipartito fluens, eam, vti suprà dixi, in insula cõstituit. Alter ille, vix scias an fluat, an immobilis in paludem sit conuersus. In summa, longè lateq; expansus, tandem cum Rabitza coniunctus, etiam Danubio sub laurino miscetur. neq; per eam partem temerè est viam vllam inuenire, nisi illam, quam suprà dixi, sub conspectu huius arcis. Quòd si iam alueum hunc quo ad arcem bipartitò fluit, quispiam restagnauerit, superficiæ eius spacij, quod medium est à prima diuisione fluminis, poterit restagnatione exæquari: cuius tamen altitudo tres pedes non excedet, cùm nec terræ superficies ibidem multo editior videatur: quod ipsum tamen exiguum existimandum non est. Fossæ enim & loca alia iam decliuia, & natura sua palustria præter solitum aquis aucta, nulla neq; arte neq; labore poterunt vadari. Siquidem natantibus præter latitudinem, obstabunt etiam cannæ & herbæ: euntes impedient fossæ & lacunæ. Qua autem arte ista restagnanda sint, iam dispiciamus. Tres aluei, ex hac palude, siue fluuio in Danubium patent. Primus est post ipsum vicum, versus Hungariam in orientem: secundum propugnaculum quoddam terreum, ibidem olim excitatum. Exitus iste, nunc trabibus & lignis obstruitur, atque ad reliquæ ibidem regionis altitudinem terra & fimo

Descriptio Altenburgi.

fimo exaggeratur. Alter est alueus Lithæ, versus Ratzendorff spectans, inter Septentrionem & occasum, qui simili opere etiam erit obstruendus. Medius inter arcem & vicum, molas ante portam arcis subigit. Hoc loco, quem propter vicinitatem semper in potestate habere possumus, solitis instrumentis, quibus molitores aquam sistunt, aqua vel augenda vel imminuenda erit. neque duobus alijs locis quicquam præterea necessarium videtur, quàm vt obiecta mole, illac nullus aquæ exitus in Danubium detur. nisi fortè in alueo illo altero Lithæ velis ostium relinquere, quo si maior vis aquæ incubuerit, ea emittatur, aut etiam cursus ille antiquus aquæ retineatur: ne si restagnata contra naturam suam aqua, id pati nolit, & vis fluminis aliò, scilicet Rhabitzam versus, auertatur. Ostiorum verò huiusmodi non est vbique eadem ratio: vnam suprà retulimus communem & molitoribus vsitatam, aliam habent Gandenses. Hi oblongas trabes, per transuersum contra postes hinc atque illinc dispositos, leui negotio, secunda aqua demittunt, quæ ad æquabilitatem dolatæ, velut obices vim fluminis retardant. In Italia aliud solitum est: ibi enim ex parte aluei, suspenduntur de firmis cardinibus, ingentes valuæ, quæ sine vllo labore, impetu ruentis aquæ & secundi fluminis, clauduntur contra postes, ex altera parte aluei obiectos. aperiuntur verò catenis & vinculis retrorsum retractæ. Gādensium autem & molitorum rationes, mihi inutiles videntur, in locis quæ non semper in potestate habere possis. Quod verò ad ipsam arcem pertinet, aut ad vicum (sine quo, vti nostra ipsorum victoria testimonio est) arcis difficilis esset retentio, alia mihi videtur esse consultandi ratio, vbi facultas est, eorum quæ consulta sunt, maturè exequendi: alia, vbi tenuitas ærarij consilia interturbat. Ego tamen vt potero, me temporibus accommodabo. Ac primùm de vico, si quis munire velit, necesse habet, vt eius ambitum faciat minorem, redigatq; in formam propè triangularem. frontem igitur sibi constituat, eam molem terream, siue propugnaculum illud rotundum, versus orientem, apud quod suprà diximus aquam cœptam esse restagnari. Hinc rectis lineis ducat ad dexteram, qua Danubius alluit, vsque ad illum locum vbi Lithæ coniungitur: à sinistra verò, item recta linea, præscindat atque amputet totum illum tractum, vbi est præstructa & occlusa porta, qui propter orbicularē formam & inutilis defensioni, & in operibus est deformis. Vbi hoc loco ad punctum peruenerit, vnde rursus recta linea ad arcem, sine magna demolitione, aut iactura domuum duci potest, tametsi alibi præsentem fossam transgrediatur, recta fossam cauet, terram intus in vallum satis amplum & altum exaggeret. Sic vicum propter latitudinem duarum fossarum ab oriente (à qua parte sola aut oppugnari aut obsideri copijs terrestribus potest) à meridie propter fossam & paludem: inter septentrionem & orientem; propter Danubium, qui contra naues raris trabibus & catenis obstruetur, valde firmum constituet: si verò addantur & propugnacula qualia conuenit, etiam inexpugnabilem. Duo enim propugnacula, aut ad summum tria his angulis (nam circa confluentem Danubij & Lithæ tertium non esset inutile, imò propè ne-

cessariu

ceſſariū, contra impetus nauales) & arx, omnia latera ipſius vici tutarentur. Porta autē ſiue ingreſſus in ipſum vicū, eodem loco, pro ratione tamen lineæ ſuperius ductæ, vbi & nunc eſt, mihi videtur relinquendus, ſed alio inſtitutus modo. Mola illa quæ ante arcem eſt, vtilius aliò transferretur. Danubius enim frequenter auctior, impedit caſum aquæ. Quòd ſi hæc mola, itē porta vici, noua ad hoc ædificata domo, extruerētur, vnis impenſis duabus difficultatibus conſuleretur. Diximus ad hæc ſuprà multa de reſtagnatione, quæ hoc loco commodiſsimè inſtituerentur. Vellem ego præterea hanc portam prorſus à vallo vici ſeiunctam, ex illo aggere pendere, qui nunc medius eſt inter Litham & foſſam ipſius arcis. quæ duplici oſtio intrinſecus & extrinſecus communita, tota in poteſtate arcis eſſet. Huc adde, quòd eadem opera ita extrui poſſet, etiam pro ingreſſu in ipſam arcem ſeruiret: vſque adeò, vt alio ſupra Litham ponte non eſſet opus. Verùm vt eſſet hæc ſtructura valde vtilis, ita omnino nollem illam inchoari, niſi animus eſſet etiā reliqua opera perficiendi, ne magnæ impenſæ fierent in rem quam deſerere, ſi hoſtes ingruerent, oporteret. Quòd ſi vicum ad eum modum quo nunc eſt reliqueris, propter rotunditatem, nunquam exactè munies, etiam ſi plura propugnacula erigantur. terram deinde in vallum, aliunde maiori impenſa congerere oportebit: quæ nunc, adaucta foſſa, ſuperabit. Si in præſentia opus illud aggredi non placeret, prouidentiæ tamen eſſet, totum illum locum qui futuris mœnibus directis lineis deputaretur, proximis menſibus arboribus conſeri, quæ tempeſtiuè ſuccreſcentes, latenter futuris munimentis incomparabile robur præpararēt. De arce hoc vnū habeo dicere, me valde mirari, cur, cum ipſa vetus ſtructura quadrata ſit, eandem non obſeruarint, qui vallū extrinſecus & foſſam circundederunt. nunc ſanè neq. orbicularis, neq. quadrata, neq. trigonalis, neq. vlla elegās forma eſt obſeruata, ſed informis quædā in circuitu congeſta terra. neq. turres inſtitutæ, quæ conantē hoſtē aſcendere, à latere deturbent. ſed omnes hoſtiū conatus à frōte excipiendi ſunt, & repellendi: quæ res quanti laboris & periculi ſit, non ego vos debeo docere. Si quis eam & pro dignitate nominis, & loci vtilitate inſtaurare vellet, is eam ad quadratam formā redigeret: ita vt duo illi à fronte anguli, qui quà porta eſt, apparent, longius excurrerent: ſed ita, vt recta linea vallum exaggeraretur. ab altera parte poſt ſacellum, vbi nunc orbicularis eſt, præſcinderetur: ſic hoc loco foſſa, quæ nunc anguſtior eſt, dilataretur. alijs verò angulis, cùm terra foris adijceretur, robur duplicaretur. imum vallum, muro pedum ſenūm: ſupra hūc dumo ex viua ſpina circundaretur. deniq. propugnacula adijcerentur, quæ & à latere & à tergo aſcendentem hoſtem impedirent. Nunc ſanè nihil eſt quòd in altitudine aquæ multum fiduciæ collocetur: ſiccioribus nanque æſtatibus, ſi non vniuerſa, tamen ita deriuaretur, vt etiam vadari non difficulter poſsit. præſertim cum fundum habeat arenoſum & firmum. Quod verò pro præſenti neceſsitate, & temporis anguſtia dici poteſt: laudo ipſius præfecti opus, qui ſub vallum, extrinſecus aggerem humiliorem, quàm ſit terra quæ arci circumiacet, egerit: quo primus aſcenſus, ſi fortè aqua deriuaretur, ex

cipi & impediri posset. in hoc aggere etiam propugnacula, pro operis magnitudine relinquit, quæ à lateribus hostem molestent. si tamen fieri posset, vellē hæc opera, quæ ex materia instituta sunt, limo induci, incrustarique, ne ignem tam facilè susciperent. propugnacula etiam à fronte altius suscitari, vt ibi defensores vel oppugnati, tutò permanere, & latera defensare possent. pluteos ad hæc, qui in summo vallo, aut iam exaruerunt, aut putruerunt, simili materia & foris & intus circundarem, ac firmius terra consolidarem: tandem hæc limo pastinarem, quo etiam ab igne tutiora redderentur. Vallum superius certis in locis, ita alia adiecta terra reficerem, ne in superficie, vna totius ambitus facies videretur. Sed aliam partem ab alia operibus distinguerem, ne si fortè partem aliquam ab hostibus capi contingeret, eadem opera vniuerso vallo potirentur: sed facilius & ab operibus illis quæ dico, & arce interiori, iaculis & sagittis, loco deturbarentur. Ne autem inopia rei pecuniariæ opera hæc negligerentur, posset à colonis impetrari, vt cum scirent ista omnia ad illorum tutelam instituta esse, non grauatim ipsi per vices, labores & partem impensarum subirent. si itaque octingentis colonis, qui ad arcem hanc pertinent, hæc opera ex æquis partibus imponerentur, laborantibus solum victus ex ærario publico, & præmia diligentius operam nauantibus proponerentur, crederem fieri posse, vt intra breue tempus neque impensarum neque industriæ quenquam pœniteret. Cum hæc, Amplißimi viri, vestra inductus authoritate scriberem, venit mihi in mentem, quàm scitè etiam in me dicere possetis, id quod Annibal Rhodii in philosophū de re militari disserētem dixit. Quapropter cum ibi conscius, quàm parum conuenienter professioni meæ, aliquando militiam secutus sim, & nunc de re militari disseram, metuam in quam partem meum hoc iudicium accipiatur: vos etiam atq; etiam orare cogor, vt quid oneris non affectanti ipsi imposueritis, consideretis. Et si in hoc, sutorem aliquid supra crepidam conatum, iudicio lapsum esse mirum non sit, sanè non diffido, quin, quoniam vestra voluntate impulsus id feci, mihi etiam condonaturi sitis. Valete, ex ipsa Arce veteri, siue Altemburgo, VIII. Calend. August. M. D. XLIII.

DESCRIPTIO ET MVNITIO VRBIS VIENNAE: PER IOANNEM MARTINVM STELLAM.

CVM hesterno die decretū Amplißimi ord. vestri expectarē, animaduerti ex ijs, quæ cū scriba quodā loquebaris, tibi etiam curā huius vrbis muniēdæ incūbere. Qua in re tametsi sciā neq; consiliū ciuitati, neq; tibi prudentiam deesse: tamē existimaui in meliorem partē accipi oportere, tanquā beneuolentiæ argumentum, si quis pro sua virili parte cuperet prodesse. Neq; enim omnibus Diogenes ille placuit. qui in bene merita ciuitate, dū consilio prodesse poterat, suū duntaxat dolium versabat. Ac cum

mihi ipsi abundè in eo quod suggerere volebam, ratio meæ considerationis constaret, vt qui studiosè omnes Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, vtriusque Germaniæ, nonnullas Hungariæ munitiones ipse vidissem, & tum à peritioribus, tum à me ipso rationem vel munimentorum, vel cur locus aliquis parum munitus diceretur, exegissem: adhæc sæpe disputationibus eorum interfuissem, quos Galli & Itali capitaneos ingeniarios vocant: speraui, vt si aliud nihil, tamen tibi studium meum non ingratum fore, cùm beneuolentiam meam erga ciuitatem hanc testatam esse conarer: aut si quid non inutiliter, admonuissem, id faceres quod Ephori Lacedæmoniorum fecisse dicuntur, cùm sordidus quidam vtilissimam Reipublicæ sententiam dixisset, metueréntque ne parum ponderis propter hominis vtilitatem haberet, alium grauem & ornatum virum, qui eandem sententiam diceret, induxerunt. Tametsi hoc me valde sollicitum haberet, quòd huiusmodi rationes non tam commodè explanari, quàm intelligi possent. Veruntamen cùm considerarem, quod mihi ingenio deesset, id tuam humanitatem suppleturam: visum est, vt quantum eius assequi possem, tibi, quæ cogitarem, ostendere conarer. Animaduerti igitur loca alia natura, alia opere, nonnulla vtroque modo munita appellari. Vienna verò ex ea parte qua eam Danubius alluit, videtur propter flumen ab hostib. sic satis tuta esse. In reliqua parte, quia cōplusculo operis indiget, vos video plus laborare. Quæ mihi multò munitissima, paruulo admodum opere, sic reddi posse videtur. Torrens ille, quem vrbis nomine Viennam incolæ appellant, duobus pontibus superatur, locis sic satis angustis. Ego, si qua vis hostium ingrueret, pontes hos obicibus firmarem: aut ita saxis & terra exaggerarem, vt aqua sisteretur. vias hinc inde ducentes, ad pontium altitudinem exæquarem: hoc modo fieret, vt restagnata aqua, omnem eum tractum qui in medio est, inundaret: neq; vrbs oppugnari nisi ab arce regia, ad portam quam Scotorum vocant, posset. Nemo enim hostium tam stolidè temerarius foret, qui committeret, vt intra stagnum & fossas conspiceretur. Atqui hoc stagnum non posset ab hostibus. nisi cum difficultate deriuari, etiam nemine repugnante. Deinde posset sine magno negotio illorum conatus impediri, extructis ad exitum pontium duobus castellis ligneis, qualia Germani Catzen vocant. Aut si id periculosum defensoribus videretur, præsertim in superiori ponte, quia longius à muris abest, posset pons ille atq; agger, sine castello negligi. neque enim ideo loco tantopere desideraretur. in inferiori tamen ponte, hoc omnino necessarium esset, vt ex vicino, si hostes conarentur perfodere, fossores impedirentur, sine vllo periculo defensorum, propter vicinitatem murorum, & aliarum munitionum. Denique si vniuersa vis hostiū eò incumberet, vt castellum illud expugnarent, posset eo modo extrui, vt momento temporis incendio consumeretur, ipsis defensoribus intra vrbem receptis, ab hostibus igne necatis: vti Hispani Gallos ludificati sunt, ante annos ni fallor x x. cum omnibus opibus arcem Salsarum (est ea apud Perpinianum in Comitatu Russinonis, opus Comitis Petri Nauarræ) oppugnarent, ac iam vnū ex propugnaculis, vti putabant, expugnassent. In-

terea tamen, etiamsi hostes stagnum hoc deriuare contingeret, non illud sine multis & difficultatibus & ludificationibus efficere possent. In lucro autem ponendum est, vbicunq; hosti sine tuo damno incommodare potes. In summa, ego putarē huiusmodi restagnatione, siue torrentis, siue cuiuslibet parui riuuli hostibus omnia, etiā ad castrametandum, angustiora reddenda esse. Qualc etiā hoc esset. si quis riuulum Alsam, incisis aquæductibus sua sponte sineret vagari, qui cum decliuia inibi inundasset, deinde se cum alteri riuulo, apud arcem coniungeret, posset commodè etiam & ibi restagnari, excitato aggere, per quem via extra vrbem in agros duceret: vsque adeò, vt omnis potestas hostibus adimeretur, siccis pedibus vrbem oppugnandi, etiamsi nulla in fossis aqua contineretur. Hic tamen cogitandum esset, si quis noxius halitus ex huiusmodi restagnatione generaretur, ciuibusne pestilens futurus esset, an solis hostibus, vt qui sub dio & extra vmbras agere cogantur. Dominus enim à Lautrech cum obsideret Neapolim, ac putaret se ciues ruptis aquæductibus, siti ad deditionē coacturum, ex graui intra valles restagnatæ aquæ fœtore, & se & exercitum pestilentia perdidit, & res Gallorum miserè afflixit. Nunc ad vrbem & ad ipsas fossas propius accedamus. hîc in primis laudo, quòd fossæ dilatentur, & profundius effodiantur. verùm terra illa quæ egeritur, cum neque rectâ lineâ ducatur, (quod tamen esset vtilissimum) neq; placeat intra vrbem pro vallo deferri, posset vtilius, vti mihi videtur, ac ijsdem impensis alio modo collocari. Habes in memoria Magnifice & amplissime vir, cùm prima obsidione Turcarum, aliquot cohortes eruptionem infeliciter tentassent, nec sese possent omnes ordinatim recipere, quàm multi se in fossas præcipites dimiserint, qui vel casu ipso obruti sunt, vel in ipsas sociorum cuspides inciderunt. contra huiusmodi casus, primum in arce illa Mediolanensi prospectum obseruaui Hoc imitati sunt postmodum Galli in Turinis, & Morini. Veneti deinde in Niort (locus est inter Brixiā & Cremam) postremùm etiam ipsi Duces Bauariæ, in muntionbus Ingolstadij, quanquam ratione nonnihil diuersa. verùm non est admodum difficile, aliorum inuentis addere. Fossæ igitur harum vrbium, quas suprà dixi, vestris similes sunt, nisi quòd rectæ sint, & agger exterior muro distineatur. Neq; statim ex agris aut campis vrbi circumiectis, in ipsas fossas præcipitium est: sed relictum est nonnihil spacij, velut gradus quidam, altitudine pedum senùm vel octonùm. ita vt si quis rectà accurrat, & hostem vitet, demittat se in illum quem dixi gradum, vbi vel tutò stare, vel se ad portas sine incōmodo possit recipere. In locis illis prædictis, hæc ita extructa sunt, vt etiam duo equites cōmodè vagari possint. Habent præterea & alias commoditates huiusmodi fossæ. Principio si leui prælio est erumpendum, non semper iter secundum ipsas portas instituendum est, quòd eas hostes vt plurimum intentius obseruant. Deinde si ex aliqua parte fossæ ab hostibus impleantur, sine incommodo hac via mederi, & rursus curari possunt. Quinetiam sine magno discrimine, si qui oppugnabunt, hinc à lateribus molestabuntur, denique tota vrbs etiam extra munimenta, inuitis hostibus, vel obequitarē potest.

potest. Et est hæc fossarum ratio, vobis adhuc tota integra. Præterea animaduerti, alia adhuc propugnacula præparari. Vnum, vti intelligo, in eo angulo erit, qui est post monasterium Dominicanorũ, loco valde opportuno. sed ego cùm res adhuc integra sit, propugnaculum illud sic institui posse puto, vt in se habeat aliquot molas, quæ semper etiam in obsidione farinam præberent. Quòd si vna sola institueretur, video postquam altius effossæ erunt fossæ, satis fontium fore, vt ex earum scaturigine mola subigatur. sin plures, dixi suprà ad altitudinem pontium vias esse exaggerandas: potest in illo aggere talis ex Vienna aquæductus relinqui, qui etiam pro cuniculo seruiat, ac ducat in castellum illud ligneum, quod ad exitum pontis superiùs collocaui. Qui aquæductus siue cuniculus, etiam tertiam vtilitatem adferret. cùm enim perforatis basibus quæ pontium fornices sustinent, instituetur: erit commoditas, si propter magnum aliquod stratagema, pons igni deijciendus esset, illius adimplendi. Hoc tamen cauendum, in quo ciues etiam nunc video peccare, ne cùm aqua turbida est, eam intra fossas reciperent, ne limo aut arena replerentur. Est ad hæc in eodem angulo, murus ille altus chori diruti, exiguo spacio à mœnibus distans: contra hunc murum sensim collis siue agger terreus fimo & lignis compactus, in multam altitudinem excitari posset: in cuius summo vertice, duæ aut tres bombardæ, possent omnem vicinum agrum, insulas etiam Danubij tutari, quæ res quãtam vtilitatem allatura esset, nemo opinor ignorat. Certè huiusmodi collibus natura Massiliã muniuit: opere verò, Ferraria in Italia, Aurelia in Gallia sunt instructæ. Ex huiusmodi munimẽto Cæsareani Mediolani obsessi, Iacobum Gabanneum, admiraldum Galliæ, vt vocant, illiusq́; exercitum, ita infestarunt, vt obsidionem soluere fuerint coacti. Huiusmodi colliculi complures intra mœnia excitari possent, locis tamen opportunioribus vti mihi videtur, hisce: in cœnobio Augustiniensium, qui angulus est inter Regiam, & portam quæ ducit in Carinthiam. medio item angulo inter eandem Regiam, ex alio latere, & vicinum illud propugnaculum, quod est in fundamentis viciosũm. Postremò si quis vellet alium post Scotorum monasterium excitare, multum vrbi prospiceret, vel in hoc, quòd hostibus magna ex parte adimeret facultatẽ, ex anfractibus illis viarũ, quæ ex superioribus locis ad subiecta pascua ducunt, subsidia & auxilia, quæ secundo flumine submitti possent, impediendi, vexandiue. Sed his omnibus locis perquàm necessarium est, vt propugnacula aut reficiantur, aut de nouo instituãtur. Illud verò quod vitio fundamentorũ ex parte subsedit, nec inutiliter etiã sic relinqui posset, & muro solum extrinsecus velut camisia, vt Galli & Itali loquutuũr, vestiri. Quo modo castigaretur & alterum vitium. Angustius enim esse videtur, quàm vt duas bõbardas vtrinq; eiaculantes commodè possit continere. Sic Cæsar Fontem rapidum, & sanctum Sebastianum muniuit: quæ loca sunt omnium quæ ego vidi munitißima, sita in Pyreneis montibus, contra Vascones & Aquitanos. Sic item Veneti Veronam inexpugnabilem reddiderunt, dum veteres munitiones, vbi id ratio operum patiebatur, circundederunt nouis muris, magis ijs instar fulcimenti cuius-

ti cuiusdam accliuis, quàm ad perpendiculum directis. Quod fortassis etiam necessarium in illo propugnaculo, quod Regiæ obiectum est, videretur, si quis hoc omnino à cuniculis tutum reddere studeret. nam intelligo non nimis altè fundamenta iacta esse: præterquam quòd ea multis in locis terræ natura videatur, vt etiam si in superficie aquam fossæ habeãt, tamen nisi ad altitudinem scaturiginum fontium depressæ fuerint. possit vrbi incommodari: non aliter quàm Petrus ille Nauarra, ex cõtinenti in insulã subter mare cuniculo acto, arcem Neapolitanorum subuertit. Huic igitur incommodo si obuiam iretur, aut si temporis angustia impensæq; id in præsentia non paterentur, saltem crebris trabibus circunsepiri conueniret: quæ fistulis tam altè sub terram adigerẽtur, vt neq; subter, neq; per eas, via patêret fundamenti tentandi: aut loco motæ, id statim proderent. Excogitatum est & aliud in illo foris adiecto, siue fulcimento siue muro: vt in imo fundamento, quoquò versus via opere Camerario relinquatur, quà commodè cuniculis obuiam eatur: aut excipiantur, & hostes fumo suffocentur. Noua autem propugnacula quæ erigenda sunt locis non aquosis, cuiusmodi est quod regiam tuetur, munitum illud quidem, vt apparet & firmum, & qualia sanè optanda essent alijs in locis: verùm putarem adhuc vtilius ea construi posse. Primùm Veneti & Genuẽsẽs, fenestras illas collaterales, Germani Streichuuer vocant, per quas in fossas bombardæ iaculantur, duplici ordine extruxerunt subdiuales omnes, propter fumum: frontem verò illam trigonalem ita ordinauerunt, vt duo laterales anguli sic ante fenestras obijcerentur, ne in illas sagittæ immitti possent. Cæsareani nunc Albæ, Astæ & Vercellis, ad illa superiora aliud adiecerunt, multo ingeniosius. in angulis enim illis lateralibus, quos dixi fenestris prætensos & obiectos esse, fecerunt gradum & descensum quendam auersum, neque vlli qui extra vrbem est conspicuum, per quem in imas ipsas fossas descenditur ad multa quæ obsessis procuranda sunt valde necessarium, siue velis in ipsis fossis manum conserere, siue fossam etiam durante obsidione profundius ac latiùs excauare, siue etiam pecus velut in stabulis cõtinere, vt faciunt præsidiarij in arce Salsarum: præsertim dum non semper tanta necessitas vrget, vt sit necessarium aquas in fossis habere. Ea enim vt superioribus locis vtilis est, ad cuniculos impediendum, ita sanè inutilis. si materiam ab hostibus in fossas iniectum comburere oporteret. & est huius vrbis situs talis, vt cum voles aquas inducere & deducere, non difficulter possis. Quæ verò reliqua iam instituta sunt opera, scilicet murus ille qui in imis fossis ex vtroq; latere terrã distinet, qualis apud Regiam cœptus est: item alter ille, qui intus aggerem sustinet, quanquam in his spiracula, quibus colantur aquæ pluuiæ, deesse videantur, multum roboris adderent vrbi, si ad finem perducta essent. Verùm non miror eam esse ærarij angustiam, in Republica præsertim iam diu bellis & calamitatibus afflicta, vt difficulter neruos & sumptus suppeditare queat. Huic tamen rei quo commodius mederi possit, narrabo quid in duobus Frisiæ oppidulis factum sit, quæ ante annos XII. Dux Geldriæ per proditionem occupata, solo æquarat: cum iam ciues rursus in vnum

conue-